JACOBI USSERII, ... HISTORIA DOGMATICA CONTROVERSIAE INTER ORTHODOXOS & PONTIFICIOS DE...

James Ussher, Henry Wharton, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
B
24

Digitized by Google

7. 3. 10.

Digitized by Google

JACOBI USSERII ARMACHANI

HISTORIA DOGMATICA

DE

SCRIPTURIS

ET

SACRIS VERNACULIS.

BIBL. FONSEC.

A

Digitized by Google

Imprimatur.

Ex Ædibus Lambhithanis, Junii 27. 1689.

Guil. Needham RR. in Chriſto P. ac D. D. Wilhelmo Archiep. Cant. à Sacris Domeſticis.

Digitized by Google

JACOBI USSERII,

ARMACHANI ARCHIEPISCOPI,

HISTORIA DOGMATICA

Controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios

DE

SCRIPTURIS

ET

SACRIS VERNACULIS.

Nunc Primùm Edita.

Acceſſerunt Ejuſdem Diſſertationes II. de Pſeudo-Dionyſii Scriptis, & de Epiſtolâ ad Laodicenos; antehac Ineditæ.

Deſcripſit, Digeſſit, & Notis atque Auctario locupletavit
HENRICUS WHARTON, A. M.
Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, Archiepiſcopo Cantuarienſi, à Sacris Domeſticis.

LONDINI,

Typis R. R. Impenſis RICHARDI CHISWELL ad inſigne *Roſæ Coronatæ* in Cœmeterio D. *Pauli*. MDCXC.

Digitized by Google

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino,

WILHELMO,

Divinâ Providentiâ,

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

Totius Angliæ Primati ac Metropolitano.

Illuſtriſſime Præſul,

QUOD Clementiæ Veſtræ Opus iſtud nuncupare audeam, facit Uſſeriani Nominis dignitas; quæ ratione ſummi, quem in Eccleſiis Britannicis tenes, loci à te potiſſimùm Patrocinium quæreret; ſi tanto nomini quærendum eſſet. Ille quidem in cœlos jamdiu receptus, extra omnes invidiæ ictus col-

Digitized by Google

locatur; & præclarâ pietatis, eruditionis, atque omnifariæ virtutis famâ, ipſorum etiam, quos Perſecutores olim expertus eſt peſſimos, venerationem meruit: tibi tamen, cui Operum ejus poſthumorum in lucem protrahendorum tanta fuit cura, gratias quàm maximas debet, & quantum Opus iſtud efficere poteſt, agit. In tuto quidem eſt Uſſerius: Mihimet autem Patrocinium neceſſariò quærendum ſentio; ne Illuſtriſſimi Herois Manibus injuriam feciſſe videar; dum Lucubrationem illius aliquam ad incudem revocare; id quod Vir Maximus imperfectum reliquit, ſupplere; quod confuſum, digerere; quod minùs accuratum, emendare auſus fuerim. Unicum id mihi refugium; quòd tuis mandatis opus ſuſceperim, tuis conſiliis perſecutus, tuis demum auſpiciis abſolverim. Factum id à me quidem obedientiæ debito; à te autem Eccleſiæ Orthodoxæ cauſam adversùs errores & impetus Pontificios propugnandi animo, eo præſertim tempore; quùm Pontificiorum injuriis & violentiâ Eccleſia Anglicana

in ſummum adducta diſcrimen nutaret. Et forſan nutando proruiſſet; niſi Clementiſſimum Numen in hæc tempora Te, alioſque aliquot tui Suffraganeos Epiſcopos, reſervâſſet; quorum prudentiâ, zelo atque invictâ conſtantiâ res noſtræ ſtarent. Iſtud enim mihi muneris dediſti, paulò ante Glorioſum illum Carcerem; quo Leges Patrias aſſeruiſtis, fidem confirmâſtis, Adverſariorum impetus fregiſtis. Atque utinam is eſſem; qui & tuis in hâc re votis, & Uſſeriani Nominis amplitudini ſatisfacere potuiſſem! Cùm verò neutiquam id ſperare licuerit (neque enim facilè reperiendus eſt aliquis, qui Uſſerio ſuccedaneus fiat) id mihi ſolummodo reſtabat; ut apud te in humanitate tuâ, illâque quâ me ſemper immeritum dignatus es benevolentiâ; apud alios autem in patrocinio tuo refugium quærerem. Faxit Deus Optimus Maximus; ut in Religionis incrementum, in Orthodoxæ Fidei tutelam, in fidelium ſolamen, Eccleſiæ Anglicanæ Clavum diu incolumis teneas; ut quæ nobis imminent procellæ, te præſidente,

dente, diſſipentur; ne quod à malevolo olim Gallo [a] in opprobrium noſtræ Gentis causâ S. Edmundi deceſſoris tui, ſcriptum eſt [*Conſuetudinis eſt Terræ illi bonis Prælatis injurias inferre*] noſtris temporibus renovetur. Ita vovet ex animo,

[a] Monachus Pontiniacenſis in Vitâ S. Edm. MS. in Biblioth. Lambeth. prop. fin.

Clementiæ Veſtræ,

Devotiſſimus Sacellanus, &

Cliens humillimus,

HEN. WHARTON.

PRÆFATIO.

NON opus eſſe arbitror; ut quod Uſſeriano nomini inſcriptum prodit, Lectori datâ operâ commendem. Nôrunt quotquot literas meliores colunt, nôrunt & ſemidocti; quanta fuerit Uſſerii & quàm diffuſa eruditio, quàm infinita lectio, quanta judicii gravitas. Inter tot certè literaturæ Inſtauratores & Orthodoxæ Religionis Pugiles, quos Sæculo poſtremo tulit Orbis Britannicus; illum præ aliis habemus, quem nobiſmetipſis gratulemur, & in re literariâ Ducem ſtatuamus.

Neque magis etiam neceſſarium duco eam, quam in iſthoc Opere Author iniit, Controverſias pertractandi Methodum commendare. Jamdiu eſt, quòd Eruditis comprobari cœperit. Cùm Pontificii enim in Traditione refugium quærant; & erroribus ſuis Eccleſiæ Primitivæ autoritatem prætexant; id potiſſimum nobis agendum, ut Erroris originem inveſtigemus, ut adverſantem Patrum autoritatem in medium proferamus, & uniuſcujuſque Sæculi ſententiam ordine exquiramus. Quod quidem unico aut altero teſtimonio ſive laciniâ ex Patrum ſcriptis adductâ atque hinc inde prolatâ parùm efficitur. Ejuſmodi floſculi Scriptoris forſan alicujus ſententiam exhibent, neque id quidem indubiè; erroris autem fontem nequaquam indicant. Unicum id igitur nobis faciendum reſtabat; quùm & his & illis rationibus ſolutiones jamdudum utrinque excogitatæ fuerint; quin & ſuas Scripturarum interpretationes mordicus teneant Pontificii, ſuas & Refor-

Reformati; ut arbitri adhibeantur Patres; ut ſepoſitis utrinque ſive ex Scripturâ, ſive ex ratione ductis argumentis, Veterum Oracula conſulantur; ut Eccleſiæ praxis continuo Hiſtoriæ filo demonſtretur: cujuſmodi argumentis non ita facilè inveniri poſſunt effugia. Quas enim admittit Dialectica tricas & argutias, excludit Hiſtoria. Illi litem movere poteſt ſubtile atque acre ingenium; huic ſola frontis impudentia.

Atque utinam integram Controverſiarum, quæ inter Orthodoxos & Pontificios agitantur, Hiſtoriam aut ab Uſſerio aut ab Uſſerii non abſimili conſcriptam haberemus. Tunc in anguſtos fines redacta Controverſia integram hominum ætatem non exerceret; neque ſubtili diſputantium calliditate in ævum continuari poſſet. Id Operis olim in animo habuit Uſſerius; quod quidem illi per temporum injuriam abſolvere non licuit.

Unica tanti Operis, quod meditatum eſſe diximus Uſſerium, pars reſtat iſte, quem nunc demum evulgamus, Commentarius de Scripturis & Sacris Vernaculis. In iſthoc enim argumento vires ſuas experiri cœpit, atque ideo nomen illi indidit; *Specimen Hiſtoriæ Dogmaticæ Quæſtionum inter Orthodoxos & Pontificios controverſarum.* Verùm ne Specimen quidem ſuum finire illi datum eſt. Innumera etenim congeſſerat Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia; totam lectionis ſuæ vim coacervaverat; multa quidem ſecundùm temporis ſeriem diſpoſuerat; plurima autem prout in animum venerunt, aut legenti ſeſe obtulerunt, ſine ullo ordine, ullo partium contextu in Adverſaria ſua retulerat. Manebat adhuc Opus *rudis indigeſtaque moles*, ab Authore concinnandum & diſponendum; quod utinam fata dediſſent. Quod quidem illi præ ingruentibus Eccleſiæ & Reipublicæ turbis nunquam præſtare licuit.

Auto-

Autographum demum ab Authoris Hæredibus in Illuſtriſſimi Primatis & colendiſſimi Patroni mei Archiepiſcopi Cantuarienſis poteſtatem devenit: qui perlectum Opus luce non indignum & Eccleſiæ non inutile judicabat, quamvis ultimum præſtantiſſimi Authoris manum non expertum. Mihimet itaque operam dedit; ut rem conficerem, fœtumque imperfectum obſtetricante manu in lucem producerem.

Principio itaque integrum Autographum manu propriâ deſcripſi; membra inordinata in ſua quæque loca repoſui; lacunas, prout potui, ſupplevi; omnia methodo continuâ diſpoſui; teſtimonia quamplurima, ad quæ indicatis duntaxat Authorum locis Lectorem Uſſerius remiſerat, conquiſivi & appoſui: ſingula cum vulgatis Authorum libris contuli, errata emendavi; denique Græca Latinis addidi. Neque enim in citandis Patrum Græcorum teſtimoniis Græca protulerat Author Illuſtriſſimus (ſi pauculas demas lacinias, quas in ipſo Opere expreſſas habes) neque in multis viderat. Plurima enim nondum Græcè erant edita.

Hiſtoriæ Dogmaticæ de Scripturis & Sacris Vernaculis, comites dedi Diſſertationes ejuſdem Authoris binas, hactenus ineditas; alteram prolixiorem de Pſeudo-Dionyſii ſcriptis, breviorem alteram de Epiſtolâ ad Laodicenſes. Utriuſque copiam mihi fecit Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus, Archiepiſcopus Cantuarienſis; qui poſteriorem ex Uſſerii Adverſariis manu propriâ olim deſcripſerat; priorem etiam ab alio quodam mendoſiſſimè exaratam, & ſæpiùs hiulcam, Conjecturis ſuis in margine additis, plurimis in locis reſtituerat. Aderant & aliæ ejuſdem Diſſertationes de Ignatii & Clementis Romani ſcriptis. Cùm iſtæ autem nil haberent, quod in Notis editis ad Ignatii Epiſtolas Cl. Uſſerius non uberiùs tractaverit; rejiciendas duxi.

PRÆFATIO.

Iſta de Illuſtriſſimi Primatis Hiſtoriâ Dogmaticâ nunc recens editâ præfari neceſſe erat; ne famæ ejus injuria fieret, ſi (quod facilè auguror) Lector aliis illius ſcriptis aſſuefactus, ſolitam eruditionem, nitorem, & judicium inibi deſideraverit.

Quod *Auctarium* meum attinet; de eo nil magnum ſentio: lucis tamen nonnihil argumento præſenti additurum ſpero. In eo quatuor præcipue præ oculis habui; ut Verſionum Scripturæ Vernacularum Hiſtoriam (quod argumentum minimè exhauſerat Uſſerius) perfectiorem darem; ut Eccleſiæ praxin ampliùs illuſtrarem; ut teſtimonia Veterum Patrum ab Uſſerio aut per incuriam omiſſa, aut illi incognita (ſcriptis quippe nondum evulgatis) exhiberem; & ut recentiorum teſtimonia è Codicibus Manuſcriptis repræſentarem; quæ quidem Orbi Erudito minimè ingrata fore confido; cùm quòd argumentum præ manibus ſpectent; tum quòd plurimorum Authorum memoriam aut monumenta ab interitu vindicent. Si quæ ex vulgatis ſequioris ævi Authoribus teſtimonia adhibeam; ejuſmodi ſunt, quæ legendi faſtidium ſuâ gravitate facilè compenſent.

Elenchus

Elenchus Capitum.

CAPUT I.

VEterum Hebræorum Sententiæ. Pag. 3.

CAPUT II.

Græcorum Patrum ſententiæ à Chriſto Nato ad Annum DC. pag. 9.

CAPUT III.

Latinorum Patrum teſtimonia à Chriſto Nato ad Annum DC. pag. 59.

CAPUT IV.

De Origine Erroris Pontificii. pag. 97.

CAPUT V.

Teſtimonia Authorum, qui ab Anno DC. uſque ad inchoatam Reformationem claruerunt. pag. 101.

CAPUT VI.

Contrariæ Eccleſiæ Pontificiæ praxis ſæculo poſtremo. pag. 179.

CAPUT VII.

Decreta Eccleſiaſtica & Regalia de Scripturis & Sacris Vernaculis. pag. 193.

CAPUT

CAPUT VIII.

Praxis Eccleſiæ Antiquæ. Pag. 210.

CAPUT IX.

Contraria Praxis hoſtium Eccleſiæ. pag. 249.

CAPUT X.

Adverſariorum Teſtimonia. pag. 277.

Diſſertatio de Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ ſcriptis. pag. 281.
Diſſertatio de Epiſtolâ ad Laodicenos. pag. 300.

Auctarium.

Auctarium.

CAPUT I.

Judæorum ſententiæ & Verſiones. Pag. 307.

CAPUT II.

Græcorum Patrum ſententiæ à Chriſto Nato ad Annum DC. pag. 321.

CAPUT III.

Latinorum Patrum ſententiæ à Chriſto Nato ad Annum DC. pag. 336.

CAPUT IV.

Erroris origo, & Eccleſiæ tempore Caroli M. praxis. pag. 343.

CAPUT V.

Teſtimonia Authorum, & praxis Eccleſiæ, ab Anno DC. uſque ad inchoatam Reformationem. pag. 348.

CAPUT VI.

Contraria Eccleſiæ Pontificiæ praxis duobus Sæculis poſtremis. pag. 451.

CAPUT VII.

Eccleſiæ Primitivæ praxis, & Conciliorum decreta. pag. 456.

CAPUT VIII.

Verſiones S. Scripturæ à Chriſtianis, præſertim Orientalibus, factæ. pag. 460.

Addenda. pag. 465.

Errata

Errata Typographica.

PAg. 14. lin. 4. lege *Interroga*. P. 26. in Notis. Teſtimonia Græca figuris 53. & 54. præfixis notata, & figuras & loca invicem commutare debent. P. 31. l. 21. figura 72. ad lineam ſuperiorem apponenda erat. P. 40. l. 35. l. *ἄνθρωποι*. P. 42. l. 38. l. *μύρια*. P. 57. l. 12. l. *locum*. p. 128. l. 21. l. apenδan. P. 133. l. 1. l. *ſtudioſus*. P. 243. l. 10. l. *Orientis*. P. 261. l. 19. l. *incunabulis*. P. 276. l. 19. Sententiæ malè diſtinguuntur. P. 346. l. 16. l. *habetur*. P. 347. l. 17. l. *vera*. P. 361. l. 4. l. *inter legendum adhibitæ*. P. 364. l. 9. l. *eandemque*. P. 373. l. 13. l. *quodam*. P. 379. lineæ 10, 11, 12. verba ſunt Elfrici. P. 394. l. 28. l. *quibuſdam*. P. 402. lineæ 10, 11. verba ſunt Roberti Pulleni, uti & lineæ 25, 26, 27, 28. P. 403. l. 1. l. *num*. P. 404. l. 22. l. *Pariſienſ*. P. 414. l. 21. l. *nitentis eloquentia ; præparatæ votis*. P. 429. lin. antepenult. l. *ſemel atque iterum*. P. 458. l. 1. l. ƿıtoδlıce þeah. P. 466. l. 1. l. *Ruſhworthianam*. l. 29. l. *ſicut*. P. 467. l. 8. l. *poſſeſſiones*.

JACOBI

JACOBI USSERII
ARMACHANI
HISTORIA DOGMATICA
DE
SCRIPTURIS
ET
SACRIS VERNACULIS.

Hiſtoriæ Dogmaticæ Quæſtionum inter Orthodoxos & Pontificios controverſarum Specimen.

Schema totius Operis, quale Cl. Armachanus meditatus eſt.

- Diſputatio de primâ veritate
  - Καταςκευαςική
  - Ἀναςκευαςική
- Hiſtoria, in quâ de
  - Ethnicis (theſaurum hunc prorſus aſpernantibus)
    - Veteribus (inter quos & Chriſtianos veteres eadem fuit differentia, atque inter nos & Pontificios)
      - Sua myſteria celantibus.
      - Noſtram Scripturam ſupprimentibus.
    - Poſterioribus, Turcis ſcilicet, ſimul cum Papiſmi hæreſi natis.
  - Judæis, (quibus commiſſa primùm ſunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ) Videamus igitur num abſconderint ſub modio aut ſerâ. Ita quidem Phariſæi. Nobis tamen favent veteres Rabbini ante Chriſtum, & qui proximè Chriſto ſucceſſerunt. Reliquos non moramur: quibus velum obductum.
    - Veteribus
      - Ante Chriſtum.
      - Poſt Chriſtum (ubi de, Phariſæis uſque ad Juſtinianum.)
    - Poſterioribus (quibus velum planè obductum eſt) ubi de Saadiæ Gaonis Arabicâ verſione, & recentiorum Rabbinorum vulgaribus.
  - Chriſtianis
    - Veteribus, à nato Chriſto ad natum Antichriſtum, primis ſc. 600 annis (in quorum fine Gregorii teſtimonium notetur de verbi Dei contemptu; & ſubjiciatur Authorum χρονολογικὴ ἀνακεφαλαίωσις)
      - Orthodoxis
        - Ad annum 300.
        - à 300 ad 600. ubi horum notandæ Sententiæ hâc de re, & praxis.
      - Hæreticis, ubi nota Pontificios imitari non Eccleſiam, ſed hoſtes Eccleſiæ illis temporibus, tam Hæreticos, quàm Ethnicos.
    - Poſterioribus
      - A nato Antichriſto ad eundem adultum, à Greg. I. vel II. uſque ad Greg. VII. ſive ab anno 600. ad 1080.
        - Hæretici (quos hîc præter Turcas, imitandos ſibi propoſuerunt Pontificii) ſunt Gnoſimachi.
        - Orthodoxi (ubi incipiendum à ſententiâ tributâ Euſebio Emeſeno.
      - Ab adultâ ætate Antichriſti uſq; ad ſenectam ejuſdem ab anno 1080. ad noſtra uſque tempora, ubi de
        - Orientalibus, communionis Græcanicæ
          - Græcis.
          - Armenis, &c.
        - Occidentalibus, qui
          - A Romanâ Eccleſiâ ſeceſſionem fecerunt.
            - Waldenſ.
            - Lollardis,
            - Bohemis.
          - In ejus communione permanſerunt. Quæ Hiſtoria pertexenda eſt, ut intelligatur nondum ipſam Eccleſiam Romanam his erroribus penitus corruptam eſſe.

Jacobi Usserii Armachani HISTORIA DOGMATICA DE SCRIPTURIS ET SACRIS VERNACULIS.

CAPUT I.

Veterum Hebræorum Sententiæ.

Ante Chriſtum.

a JESUS filius Sirach, Eccleſiaſtici cap. VI. verſ. ult. 1 *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia Sapientiæ* (i. e. concupita ſapientia) *dabitur tibi.*

Ibid. cap. IX. 21. *In* 2 *ſenſu ſit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altiſſimi:* vel (ut Junius vertit) *cum intelligentibus eſto confabulatio tua, & tota narratio tua de lege Altiſſimi.*

a Vid. Damaſceni Parallela, l. 2. c. 49.

1 Διανοῦ ἐν τοῖς προστάγμασι κυρίε τελείως, καὶ ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτῦ μελέτα διαπαντός· αὐτὸς στηριεῖ τὴν καρδίαν σε, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῆς σοφίας δοθήσεταί σοι.

2 Μετὰ συνετῶν ἔστω ὁ διαλογισμός σε, καὶ πᾶσα διήγησίς σε ἐν νόμῳ ὑψίστε.

IV. Eſdr. 14, 45. *Priora, quæ ſcripſiſti, in palam pone, & legant digni & indigni, &c.*

Ben Sira à quibuſdam [b] putatur eſſe Jeſus Filius Sirach, ab Hebræis [c] nepos Hieremiæ Prophetæ fuiſſe putatur. In ſententiis ejus moralibus ita legimus: *Cùm penès præceptorem ſuum ſederet diſcendi gratiâ, dixit ad eum, Rabbi, doce me legere; Qui reſpondit ei, Nondum es capax diſciplinæ, eò quòd adhuc puſillus es.* [*Atqui ſapientes noſtri piæ memoriæ dixerunt, puerum quinque annorum idoneum eſſe ad diſcenda Biblia*] Videtur gloſſema Judæi ex Bag Bag, de quibus infra. *Dixit illi Ben Sira: Neſcis quod dici vulgò ſolet, Dies brevis eſt, & opus multum? Et tu dicis ad me; Quieſce, ne diſcas, adhuc enim puſillus es. Certè ego video in loco, ubi mortui ſepeliuntur, me juniores mortuos eſſe. Quis novit, quid ſit futurum, an diu ſim ſupervicturus, an brevi moriturus?*

Jonathan & Populus Judaicus in Epiſtolâ ad Spartiatas, 1 Maccab. XII. 9. 3 *Conſolationem habentes ex libris ſanctis, qui verſantur in manibus noſtris.*

De Matre VII. Maccabeorum vid. Joſephum circa finem lib. de Maccabeis, & 2 Maccab. VII. 6.

De Eleazaro & Judæis. Joſephus in proœmio Ἀρχαιολογίας de LXX. agens, hæc habet. 4 *Eleazarus hanc utilitatem Regi non invidit, reclamaturus omnino, niſi conſuetudinem haberemus à majoribus acceptam, res bonas & honeſtas celare neminem.*

Hillel, celeberrimus ille Hebræorum Doctor, anno 100. ante Templi ſecundi everſionem floruit; ut eſt in Talmud, ord. 2. Maſſécheth, Schabbath, & Elia præfat. in Methurgeman. Hujus ſunt illæ ſententiæ in Pirke Aboth, cap. 2. *Qui multiplicat legem, multiplicat vitam; Qui comparat ſibi verba legis, comparat ſibi vitam futuri ſeculi.*

Ex LXXX. Diſcipulis, quos excellenti ingenio ac doctrinâ præditos poſt ſe reliquit Hillel, (inter quos etiam fuiſſe dicitur Simeon Juſtus, qui Chriſtum infantem ſuſcepit in ulnis) maximus Jonathas Uzzielis filius extitit; minimus verò omnium Johannes Zacchæi filius, ſacerdos, quem Judæi Raban Johanan Ben Zaccai vocant; ut habet P. Galatinus de Arcanis Catholicæ Veritatis, lib. 1. cap. 2.

[b] Bonav. Corn. Bertram in Lucubrat. Francktallenſib. c. 5. [c] Paul. Fagius in Epiſt. præfix. Ben. Siræ.

3 Παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν.

4 ——εἰ μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν τὸ μηδὲν ἔχειν τῶν καλῶν ἀπόρρητον.

Et

Et quidem Jonathas [d], ut Prophetici libri à vulgo Hebræorum commodiùs intelligi poſſent [e], Vetus Teſtamentum in Chaldaicam Linguam tranſtulit. Tantæque eſt apud Judæos authoritatis illius Paraphraſis, ut in ipſorum Synagogis, cum ipſo Hebræo textu perpetuo quodam more ad hunc uſque diem legi conſueverit. Ita quidem Tremellius Præfat. in Jonathæ Paraphr. 12. minor. Proph. à ſe Latinè converſ. Sed Onkelon ſolum legi ita ſolitum apparet ex Eliæ præfatione in Methurgeman. Authorem hujus paraphraſis longè antiquiorem putat Joannes Dinckelius [f]; cui ſuffragatur, quod in Talmud in Maſsécheth Megilah legitur, Jonathanem Prophetas Chaldaicè convertiſſe ex ore Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ.

Johannis Zacchæi filii eſt illa ſententia, cap. 2. Pirke Aboth. *Si didiciſti multam legem; non eſt bonum tibi ipſi adſcribas; ad hoc enim creatus es.* Ibidem etiam trium diſcipulorum illius (qui circa tempora Servatoris noſtri vixerunt) ſequentes habentur ſententiæ.

R. Joſe dixit: *Præpara teipſum ad diſcendam legem; non enim ea hæreditate tibi contingit.*

R. Eleazar. *Da operam ad diſcendam legem; ut habeas quod reſpondeas Epicureo.*

R. Simeon. *Non teneris opus perficere; neque ſic liber es, ut prorſus abſtineas ab eo. Si didiceris multam legem; dabitur tibi multa merces. Fidelis enim eſt Dominus laboris tui, qui reddet tibi præmium laboris tui. Et ſcias, quòd merces juſtorum eſt in futuro ſeculo.* Senſus eſt, (ut Judæi exponunt) hominem non teneri, ut totam legem ediſcat, neque ut ab illâ penitus abſtineat; ſed præſtet quantum poteſt. Hoc tamen ſciat, quòd ſi multùm in diſcendâ lege ſudaverit, multum & præmii à Deo reportabit, non quidem in præſenti, ſed in futuro ſeculo.

Poſt Chriſtum.

Ex Philonis lib. 1. de Judæorum ab Ægypto egreſſu, egregium habetur teſtimonium in Euſeb. lib. 8. præpar. Evang. cap. 7.

Ex ore R. Eleazaris & R. Joſuæ (diſcipulorum Johannis Zacchæi filii) legem Chaldaicè interpretatus eſt Onkelus (ut [g] ait R. Jeremias, ſive R. Hija Abbæ filius in Talmud Maſsécheth Megilah) qui ſororis

[d] Vid. Steuchum in Pſalm. 109. fol. 214. & in Pſal. 102. f. 189. [e] Galatinus, lib. 1. cap. 3. & lib. 8. cap. 24. [f] Orat. de Linguâ Chaldæâ & Syrâ. [g] Apud Maſium Præfat. in Joſuam.

Titi

Titi filius fuiſſe dicitur (in [h] Talmud Maſſécheth ghittin, Perek hanninakin, & Elia præfat. in Methurgeman.) Hunc verò totam Bibliam in Chaldæum vertiſſe dicit Galatinus [i]: Sed ejus editionem nunc, præterquam in Pentateuchum, vix alicubi reperiri. Poſtea autem Munſterus [k] retulit penes Johannem Dernſchnammum fuiſſe Onkeli Paraphraſin in Prophetas, ex Budenſis Bibliothecæ ſpoliis.

Flavius Joſephus [l], lib. 2. contra Apionem. 5 *In unaquàque ſeptimanâ ad legem audiendam conveniunt univerſi. Noſtrorum quilibet de legibus interrogatus, faciliùs quàm nomen ſuum recitat. Univerſas quippe mox à primo ſenſu diſcentes in animo velut inſcriptas habemus.*

Idem lib. 4. Antiquit. cap. ult. (De Moſe verba faciens ad Deut. VI.) 6 *Pueri etiam ante omnia leges ediſcant; quâ diſciplinâ nec honeſtior eſt alia, nec ad fœlicitatem conducibilior.* Et paulò ante [ex Deut. XI.] *Septimo quoque anno, quando per Scenopegia feſta apud Sanctam urbem ſacrorum causâ convenitur; Pontifex è ſublimi ſuggeſto, unde à totâ multitudine exaudiri poſſit, legem pro concione legat; neque mulieres, & neque pueri ab audiendo arceantur: immò ne mancipia quidem. Nam bonum eſt legem ita animis impreſſam teneri, ut nunquam oblivione deleri poſſit. Sic enim neque peccabunt; cùm ignorantiam rerum, quæ in legibus definitæ ſunt, prætexere nequeant, &c.*

Idem, lib. 2. contra Apionem [de Moſe agens.] 7 *Juſſitque filios literis erudiri propter leges, & noſſe progenitorum actiones, ut actus imitentur; & cum legibus educati neque tranſgrediantur, neque cogitationem* 8 *ignorationis habere judicentur.*

Ipſum Joſephum ab *infantiâ ſacris literis eruditum* eſſe confirmat Hieronymus, Tom. 2. Epiſt. 84. ad Magnum.

R. Hanina Theradionis filius ab Adriano Cæſare interfectus eſt, ut ex Orationibus, quas Judæi in ſuo Machzor (Breviarii id genus eſt)

[h] Ap. Galatinum, lib. 1. c. 3. [i] Ibid. [k] Præfat. in Gnomonic. [l] Citatur etiam ab Euſebio, lib. 8. præpar. Evang. cap. 8.

5 Ἡμῶν δ' ὁντινοῦν εἴ τις ἔροιτο (malè apud Euſebium ἕλοιτο) τοὺς νόμους, ῥᾷον ἂν εἴποι πάντα ἢ (rectius ap. Euſeb. πάντας) ἢ τοὔνομα τὸ ἑαυτοῦ. Τοιγαροῦν ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτοὺς ἐκμανθάνοντες, ἔχομεν ἐν ταῖς ψυχαῖς (ὥσπερ, Euſeb.) ἐγκεχαραγμένους.

6 Μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ παῖδες πρώτους (fortè πρῶτον legendum) τοὺς νόμους, μάθημα κάλλιστον καὶ τῆς εὐδαιμονίας αἴτιον. —— ἀναγινωσκέτω τοὺς νόμους πᾶσι, καὶ μήτε γυνὴ, μήτε παῖδες εἰργέσθωσαν τοῦ ἀκούειν, ἀλλὰ μήτε οἱ δοῦλοι. Καλὸν γὰρ ταῖς ψυχαῖς ἐγγραφέντας αὐτοὺς καὶ τῇ μνήμῃ φυλαχθῆναι, &c.

7 Τοὺς παῖδας καὶ γράμματα παιδεύειν ἐκέλευσε, περί τε τοὺς νόμους ἀναστρέφεσθαι (ἐκέλευσε τὰ περὶ τοὺς νόμους, apud Euſebium loc. cit.) καὶ τῶν προγόνων τὰς πράξεις ἐπίστασθαι, &c.

8 Meliùs *excuſationem ſeu prætextum ignorantiæ*, τὴν σκῆψιν ἀγνοίας.

in

in jejunio propitiationis faciunt, oſtendit Galatinus [m]. Hujus eſt ſententia illa in Pirke Aboth, cap. 3. *Duo qui accumbunt menſæ, & non colloquuntur de lege; ecce iſte eſt conſeſſus irriſorum, de quo dicit Scriptura* [n], & in conceſſu irriſorum non ſedit. *Veruntatem duo qui aſſident menſæ & colloquia habent de lege; divinitas quieſcit ſuper eos.*

Similis eſt ibidem ſententia R. Simeonis [o]. *Tres qui edunt in unâ menſâ, neque loquuntur in eâ verba legis; perinde eſt ac ſi comediſſent de ſacrificiis mortuorum. Cæterum tres, qui cibum capiunt in unâ menſâ, & conferunt in eâ verba legis; perinde eſt ac ſi comediſſent de menſâ ipſius Dei.*

R. Meir in Pirke Aboth, cap. 4. *Minue negotia, & vaca legi. Si vacare velis à lege, multa erunt, quæ te avocabunt; ſed ſi laboraveris in lege, multa merces tibi dabitur.*

R. Eleazar Jacobi filius [p]. *Qui legem diſcit in pueritiâ, cui ſimilis eſt? Ei qui ſcribit in chartâ novâ. Qui verò legem diſcit in ſenectute, cui ſimilis eſt? Ei qui ſcribit in chartâ vetere.*

R. Jehoſchua filius Levi: *Omni die filia vocis* (i. e. vox cœlitus ſonans) *egreditur de monte Horeb, & præconizat: Væ hominibus ob ignominiam legis. Quicunque enim non exercet ſe in Lege, culpabilis vocatur. Nullus verò ſive liber, ſive nobilis, habendus eſt; niſi is qui exercet ſe in ſtudio legis.* Pirke Aboth cap. 6.

Ibid. cap. 5. adducitur ſententia בֶּן בַּג בַּג (ita appellatus eſt Rabbinus magni nominis ex Paganiſmo ad Judaiſmum converſus, quaſi בֶּן גֵּר וּבֶן גֵּרֶת) de meditatione legis divinæ: *Verte eam, & iterum verte eam: omnia enim in eâ ſunt. In eâ item totus eſto, neque unquam diſcedas ab eâ: non enim habes melius eâ exercitium.*

In Talmud Hieroſolymitano, Tractatu Suta: *Quùm R. Levi Cæſaream veniſſet, audivit aliquos recitantes* שמע *audi* (precatio eſt, quæ incipit: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, &c.*) *Græcè, Volebat itaque interdicere. Quod cùm audiviſſet R. Joſes; iratus dixit: Quicumque eam Syriacè recitare neſcit, ne recitet; ſed recitet eâ linguâ quam intelligit. Hoc pacto ſuo muneri ſatisfacit.* Verba Hebræa extant apud Angelum Caninium de locis N. T. p. 13.

Omne quod egreſſum eſt ab ore Domini, diviſum eſt in LXX. linguas; inquiunt Talmudici in Tract. Sabbath, cap. 9. (Prolegom. Bibl. Scrar. pag. 68. col. 2.) ut Anaſtaſius Sinaita, & Theodoretus.

[m] Lib. 4. cap. 24. [n] Pſalm. 1. [o] Vide Rambam, Tit. 2. 1. 4. fol. פח. 2. [p] Ex Aboth R. Nathan. Druſius, lib. 1. Apotheg. Hebræorum.

Circa

Circa annum Domini 552. inter Hebræos magna exorta eſt contro-verſia; eò quòd nonnulli Hebraicâ tantùm linguâ in ſacrorum librorum lectione uti vellent; nec Græcam tradere dignarentur. Re verò ad Juſtinianum Imp. delatâ, illorum ſententia confirmata eſt, qui Græcam etiam aſſumendam putarunt 8, *& linguam omnem ſimpliciter, quam locus aptiorem & magis cognitam audientibus faceret.* Cautumque eſt, ut neque damnis aliquibus ſubjicerentur omnino, qui Græcam vocem & alias traderent; neque ab alio quovis prohiberentur; neque licentiam haberent Rabbini illorum anathematiſmis aliquibus hoc prohibere; corporalibus alioqui pœnis, & privatione facultatum caſtigandi. In Authenticis Collat. 9. tit. 28. eſt Novell. Conſtitut. 46.

Vid. Talmudicos in Maſsécheth סנה דרין, Perek חלק (tomo 1. Scriptorum Cabal H. 9. 4. 6 p. 275.) & quæ de יאמן ſcribunt apud Caninium loc. Nov. Teſt. (T. 8. p. 20. p 37, 38.) Vid. Euſebium, lib. 12. Evang. Præpar. cap. 2. & 12. & 14. & Chryſoſt. (Tom. 2. 3. 14. p. 261) & Aben Ezram, atque Riberam apud T. Morton, par. 2. Apol. p. 56. & Eſpenſæum, ibid. p. 60. Vid. Maſium in Joſuam, p. 157. ex סיטה, (contra p. 159.) & p. 25. ex Brehith Rabba.

Expeditâ Synagogæ Hiſtoriâ, (nam & illis commiſſa ſunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ [9]) ad Chriſtianæ Eccleſiæ praxin accedamus.

[9] Rom. III.

8 Καὶ φωνὴν πᾶσαν ἁπλῶς, ἣν ὁ τόπος ὅπως δεξιωτέραν καὶ μᾶλλον γνώριμον τοῖς ἀκούουσι ποιῇ. Authentic. Collat. 9. tit. 28. Novell. Conſtit. 146.

CAPUT

CAPUT II.

Græcorum Patrum ſententiæ, qui 600. ab aſcenſione Chriſti annis floruerunt.

A. D. 107. Ignatius Antiochenus Epiſcopus.

IN Epiſtola ad Philadelphios, quæ huic tribuitur, ita legimus: *Patres educate filios veſtros in diſciplinâ & admonitione Domini, & docete eos ſacras literas & artes, ut non dedant ſe otio & inertiæ. Honeſtè (inquit) educat juſtus pater liberos; in filio ſapienti lætabitur cor ejus.* Οἱ πατέρες ἐκτρέφετε τοὺς ἑαυτῶν παῖδας ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. Καὶ διδάσκετε αὐτοὺς τὰ ἱερὰ γράμματα, καὶ τέχνας πρὸς τὸ μὴ ἀργίᾳ χαίρειν. Καλῶς δὲ, φησὶν, ἐκτρέφει δίκαιος, ἐπὶ υἱῷ συνετῷ εὐφρανθήσεται ἡ καρδία αὐτοῦ. Ibidem de Virginibus agens, pudicitiam ſervandam monet, οὐκ ἐπὶ διαβολῇ συναφείας, ἀλλ' ἕνεκα τοῦ τῶν νόμων μελέτης. h. e. (ut vertit Sylvius [a]) *non in calumniam matrimonii, ſed ut liberioribus animis divinæ legis meditationi vacent.* 1

Atque hoc nomine, Epiſt. 1. Mariam Caſſoboliten commendat propter 2 *crebrò ab ipsâ citata Scripturarum loca:* Eandemque in fine Epiſtolæ ad Heronem exemplar ſanctiſſimarum fœminarum facit. Vid. Epiſt. ad Smyrnæos.

140. Polycarpus Smyrnæorum Epiſcopus

In Epiſt. ad Philippenſes. *Confido vos bene exercitatos eſſe in ſacris literis: & nihil vos latet.*

160. Juſtinus Martyr

In Orat. cohortatoriâ ad Gentiles. I. *Tempus jam eſt, viri Græci, cùm à priſco majorum errore deſciſcere,* 3 *tum divinis Prophetarum vacare*

[a] Tom. 3. Biblioth. Patrum.

1 Sic etiam vertit Vetus Interpres Latinus.

2 Πάνυ δέ με ἦσαν αἱ συνεχεῖς σου τῶν γραφικῶν χρειῶν μνῆμαι.

3 Ἐντυχεῖν ταῖς θείαις τῶν προφητῶν ἱστορίαις, καὶ γνῶναι παρ' αὐτῶν τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν —— τὸ ἅγιον πνεῦμα τοὺς τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν μανθάνειν βουλομένους δι' αὐτῶν διδάσκειν προῄρηται.

libris, & ex eis veram addiſcere religionem, non dicendi artes profitentibus, neque verbis ad permovendum atque perſuadendum compoſitis utentibus (hoc enim eorum eſt proprium qui veritatem ſuffurari ſtudio habent) verùm qualiacunque ſimpliciter nomina & verba uſurpantibus, & eas vobis res annunciantibus, quas deſcendens in eos Spiritus Sanctus religionem veram diſcere volentes, per illos docendos eſſe ſtatuit. Et paulò poſt; 4 *Reliquum fuerit, ut remiſſo majorum veſtrorum errori nuncio ſanctorum virorum legatis vaticinia (non ſplendorem orationis ab eis petentes: Quòd non in dictis ſed in factis res noſtræ religionis conſiſtant) & ex ipſis ea percipiatis, per quæ vitam poſſitis conſequi ſempiternam.*

In Epiſtolâ ad Zenam & Serenum de vitâ Chriſtianâ. *Quocirca vigilare debemus, reſponſis Salvatoris navantes* [operam] *ac nihil de quoquam mali vel dicentes vel audientes.* Διὰ τοῦτο γρηγορητέον τοῖς λογίοις τοῦ σωτῆρος σχολάζοντας, μηδὲν περὶ μηδενὸς [b] φαῦλον λέγοντας ἢ ἀκούοντας. Et paulò poſt. *Quærendum autem de divinis oraculis; ac ſi quidem prudenter, pulchrum id fuerit; ſin ſecus, ad inſtar tamen idiotarum & imperitorum* [id faciemus.] *Inſipienti namque ſapientiam inquirenti ſapientia imputabitur.* Ζητητέον δὲ περὶ τῶν λογίων, καλὸν εἰ συνετῶς· Εἰ δ' οὔ, κἂν ὥσπερ ἰδιώτῃ. ἀνοήτῳ γὰρ ἐπερωτήσαντι σοφίαν σοφία λογισθήσεται.

In Apologiâ II. Pro Chriſtianis ad Antoninum Pium, ordinem ſacrorum Chriſtianorum ita deſcribit. 5 *Solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apoſtolorum aut ſcripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quieſcente, Præſidens orationem, quâ populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc conſurgimus communiter omnes. Et precationes profundimus.* En horum temporum venerandam ſimplicitatem. I. In conventu fratrum S. Scripturæ legebantur. II. Sequebatur concio continens παιδείαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως, quâ ſc. admonebatur populus, ut bona illa imitarentur, quæ ex lectione ſacrâ audiverant. Unde intelligitur ſcripta Apoſtolica & Prophetica nequaquam in peregrinâ linguâ fuiſſe recitata. Atque hinc illud in Patrum concionibus ſolenne [c]: *Au-*

[b] *Nullâ re.* [c] Vid. Chryſoſt. init. Homil. 1. ad populum Antioch.

4 Λοιπὸν —— ἐντυγχάνειν ταῖς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείαις, —— καὶ μαθεῖν παρ' αὐτῶν τὰ αἴτια ὑμῖν τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐσόμενα.

5 Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. —— ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν.

diviſtis

diviſtis vocem Apoſtoli, &c. III. Preces ab omnibus κοινῇ habebantur. Erat actio communis, non Sacerdotis propria. Et quidem intellectâ linguâ conceptas fuiſſe preces illas ex præcedenti narratione intelligitur; ubi docet quòd preces & ſupplicationes communes à fratribus peractæ eſſent εὐτόνως *animo intento*; precibuſque abſolutis, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων Ἀμήν. *Populus, qui aderat, omnis fauſtâ approbatione acclamaverit, Amen dicens.*

170. Tatianus Aſſyrius

Oratione contra Græcos. 6 *Hoc in ſingulis rebus intelligi poteſt ab illo, qui non ſuperbè reſpuerit divina eloquia: quæ paulatim è ſacris libris obſervata, prorſus Deo acceptos reddunt illos, qui animum eis applicaverint.* Item 7 *Noſtræ verò omnes pudicæ ſunt, & intentæ lanificio virgines divinos ſermones ediſſerunt, multo honeſtiore, quam veſtra Puella, ſtudio.*

184. Theophilus, Antiochenus Epiſcopus

Lib. 1. ad Autolycum, Chriſtianæ Religionis calumniatorem, in fine. 8 *Verùm tu ipſe, ſi placet, conſule ſacras literas. Hæ etenim majore evidentiâ te inſtituere poſſunt, quo pacto poſſis evitare ſempiternas pœnas, & nanciſci perpetua bona; quæ ſuis cultoribus pollicetur Deus.*

Lib. 2. ad eundem. *Ad quid neceſſe eſt multitudinem enumerare Prophetarum, qui plurimi extitere; & omnia inter ſe conſona, adeò ut nulla contrarietas deprehendi poſſit, protulere.* 9 *Si quis ea ſcire geſtit, Prophetarum januæ patent. Hos legat accedens mente purâ, & exactè veritatem ipſam cognoſcet.*

Et in fine ejuſdem libri, 10 *Oportet te, ſi es diſcendi cupidus, frequentius accedere Scripturam ſacram, ut vivas; & audiens vocem Dei, ad unguem (quod aiunt) veritatem conſequêre.*

6 Τὰς θειοτάτας ἑρμηνείας, αἳ κατὰ χρόνον διαγραφῆς ἐξεληλεγμέναι πάνυ θεοφιλεῖς τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς πεποιήκασιν.

7 Πᾶσαι δ' αἱ παρ' ἡμῖν σωφρονοῦσι, καὶ περὶ τὰς ἠλακάτας αἱ παρθένοι τὰ κατὰ θεὸν λαλοῦσιν ἐκφωνήματα.

8 Εἰ δὲ βούλει καὶ σὺ, ἔντυχε φιλοπόνως ταῖς προφητικαῖς γραφαῖς, καὶ αὗταί σε τρανότερον ὁδηγήσουσι, &c.

9 Οἱ γὰρ βουλόμενοι δύνανται ἐντυγχάνοντες τοῖς δι' αὐτῶν εἰρημένοις, ἀκριβῶς γνῶναι τὸ ἀληθὲς, &c.

10 Χρὴ οὖν τὸν φιλομαθῆ καὶ φιλομαθεῖν, περιέρχεσθαι ἂν πυκνότερον συμβαλεῖν, &c.

184. Irenæus, Lugdunenſis Epiſcopus.

Lib. 2. adv. Hæreſes, cap. 46. *Univerſæ Scripturæ, & Propheticæ & Evangelicæ,* 11 *in aperto, & ſine ambiguitate, & ſimiliter ab omnibus audiri poſſunt.*

Lib. 5. cap. 17. (vel 20. ut eſt in Feuardentii editione) *Confugere* [oportet] *ad Eccleſiam, & in ejus ſinu educari, & Dominicis Scripturis enutriri. Plantata eſt enim Eccleſiæ Paradiſus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno Paradiſi eſcas manducabis, ait Spiritus Dei, i.e. ab omni Scripturâ Dominicâ manducate.*

Lib. 3. cap. 12. *Hæc autem omnia contulit eis* [Hæreticis] *Scripturarum & diſpoſitionis Dei ignorantia.*

198. Clemens Alexandrinus

In λόγῳ προτρεπτικῷ πρὸς Ἕλληνας, p. 56. edit. Pariſ. 1629. *Sunt* 12 *verè ſacræ literæ, quæ ſacros faciunt & deificant. Ex quibus literis & ſacris ſyllabis compoſitas Scripturas & opera Paulus Apoſtolus appellat divinitus inſpiratas; ut quæ ſint utiles ad docendum, &c.* prout 2 Tim. 3. habetur. Et poſt. Ἀκούσατε οἱ μακρὰν, ἀκούσατε οἱ ἐγγύς. Οὐκ ἀπεκρύβη τινὰς ὁ λόγος [d]. Φῶς ἐστὶ κοινὸν, ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις. Οὐδεὶς κιμμέριος ἐν λόγῳ. Σπεύσωμεν εἰς σωτηρίαν, ἐπὶ τὴν παλιγγενεσίαν. *Audite ergo qui eſtis longè; audite qui propè. Nullis celatum eſt verbum; lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus. Nullus eſt in verbo Cimmerius: feſtinemus ad ſalutem, ad regenerationem.*

Lib. 1. Stromatum, p. 288. 13 *Propterea Græcâ voce expoſitæ ſunt Scripturæ; ut nullum unquam ignorantiæ poſſint prætextum afferre; cùm poſſint quæ ſunt apud nos audire, ſi tantùm voluerint.*

Lib. 7. Strom. p. 728. Vitam Chriſtiani hominis deſcribens, *Univerſa ejus vita*, inquit, *eſt tanquam quidam celebris ac ſanctus dies* 14

[d] Chriſtum, opinor, intelligit.

11 φανερῶς καὶ ἀναμφιβόλως, apud Damaſcenum in parallelis.

12 Ἱερὰ γὰρ ὡς ἀληθῶς τὰ ἱεροποιοῦντα καὶ θεοποιοῦντα γράμματα, ἐξ ὧν γραμμάτων καὶ συλλαβῶν τῶν ἱερῶν τὰς συγκειμένας γραφὰς καὶ συντάγματα ὁ ἀπόστολος θεοπνεύστους καλεῖ, &c.

13 Διὰ τοῦτο γὰρ Ἑλλήνων γραφῇ ἑρμηνεύθησαν αἱ γραφαὶ, ὡς μὴ πρόφασιν ἀγνοίας προβάλλεσθαι δυνηθῆναί ποτε αὐτοὺς, οἵους τε ὄντας καὶ ἐπακοῦσαι τῶν παρ' ἡμῖν, ἢν μόνον ἐθελήσωσιν.

14 Θυσίαι μὲν αὐτῷ ..., αἵ τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν, ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν, &c.

ſeſius.

ſeſtus. Atque ei quidem ſacrificia ſunt ipſæ preces & laudes, & quæ ante cibum fiunt, Scripturarum lectiones; Pſalmi autem & hymni, dum [e] *cibus ſumitur; antequam eatur cubitum. Quinetiam nocte rurſus orationes.*

Lib. 6. Stromatum, non utilem ſolùm, verùm etiam neceſſariam eſſe, Scripturæ lectionem confirmat. 15 *Tum alia doctrina eſt utilis, tum Scripturarum lectio eſt neceſſaria.*

200. Leonides Martyr.

Ab eo attentâ curâ laboratum eſt, ut filius Origenes ſacras literas à primo tempore ætatis ediſceret. 16 *Omnino enim ante liberalium artium & politioris doctrinæ ſtudium, eum ſacris literis inſtituendum exercendumque tradidit. Ac ſententias aliquot, quas ei cùm ad verbum addiſcendas, tum memoriter coràm ipſo recitandas præſcripſerat, ab illo in dies ſingulos exegit.* [Euſebius, lib. 6. Hiſt. cap. 2.

240. Origenes Adamantius

In Geneſ. XXIV.. Homil. 10. *Animarum eſt eruditio, & ſpiritalis doctrina, quæ te inſtituit; & decet quotidie venire ad puteos Scripturarum, ad aquas Spiritûs Sancti, & haurire ſemper, ac plenum vas domum referre: ſicut faciebat & Sancta Rebecca.* Ibid. *Chriſtiani omni die carnes Agni comedunt; i. e. carnes verbi Dei quotidie ſumunt.*

In Geneſ. XXVI. Homil. 12. *Tentemus facere illud, quod Sapientia commonet, dicens* [f]; Bibe aquas de tuis fontibus, & de tuis puteis; & ſit tibi fons tuus proprius. *Tenta ergo & tu, ô auditor, habere proprium puteum & proprium fontem; ut & tu, cùm apprehenderis librum Scripturarum, incipias etiam ex proprio ſenſu proferre aliquem intellectum: & ſecundùm ea quæ in Eccleſiâ didiciſti, tenta & tu bibere de fonte ingenii tui.*

In Exod. XXXIV. Homil. 12. *Si ſtudio, actibus, mente, ſollicitudine verbo Dei operam demus, & in lege ejus die ac nocte meditemur, omiſſis omnibus Deo vacemus, exerceamur in teſtimoniis ejus; hoc eſt converſum*

[e] Confer. Cyprianum in fine Epiſt. 2. ad Donatum, & reſp. ad Præſul. Rhemenſ. Sect. 2.
[f] Proverb. V.

15 Ἥτε ἄλλη παιδεία χρήσιμος, ἥτε τῶν γραφῶν τῶν κυριακῶν ἀνάγνωσις ἀναγκαία.
16 Πρὸ τῆς τῶν ἑλληνικῶν μαθημάτων μελέτης, ἐνῆγε τοῖς ἱεροῖς ἐνασκεῖσθαι παιδεύμασιν, ἐκμαθήσεις καὶ ἀπαγγελίας ἡμέρας ἑκάστης αὐτὸν εἰσπραττόμενος.

eſſe

eſſe ad Dominum. Et poſt, *Aliqui veſtrûm ut recitari audierunt, quæ leguntur, ſtatim diſcedunt. Nulla ex his, quæ dicta ſunt, inquiſitio ad invicem, nulla collatio, nuſquam memoria mandati illius, quo te divina lex commonet:* Interrogo patres tuos, & dicent tibi; Presbyteros tuos, & annuntiabunt tibi. *Alii ne hoc ipſum quidem patienter exſpectant; uſquequo lectiones in Eccleſiâ recitentur. Alii verò nec, ſi recitantur, ſciunt; ſed in remotioribus dominicæ domûs locis ſecularibus fabulis occupantur. De quibus ego auſus ſum dicere, quia cùm legitur Moſes, jam non velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidam & murus eſt poſitus. Si enim ille, qui adeſt, qui audit, & intentus eſt, & quæ audit retractat & diſcutit, & quæ aſſequi non poteſt, percontatur & diſcit; vix poteſt ad libertatem ſcientiæ pervenire; ille qui abſcondit aures ſuas ne audiat, & terga in faciem legentis obvertit; quomodo dicendus eſt velamen habere ſuperpoſitum cordi; ad quem ne ipſum quidem velamen literæ, quo ſenſus velatur, qui eſt ſonus vocis, acceſſit?*

In Levit. VI. Homil. 4. *Ego ſi poſſem die ac nocte in lege Domini meditari, & omnes Scripturas memoriâ retinere; memoriale ſacrificii mei Domino obtuliſſem. Certè ſi non omnia poſſumus; ſaltem ea, quæ nunc docentur in Eccleſiâ, vel quæ recitantur, memoriæ commendemus.*

In Levit. XVI. Homil. 9. *Optamus, ut vel his auditis operam detis, non ſolùm in Eccleſiâ, audire verbum Dei; ſed & in domibus veſtris exerceri, & meditari in lege Domini die & nocte: & ibi enim Chriſtus eſt, & ubique adeſt quærentibus ſe. Propterea namque mandatur in lege,* [g] *ut meditemur eam, quùm imus in viâ, & quùm ſedemus in domo, & quùm jacemus in cubiculo, & quùm ſurgimus.*

In Numer. XXXIII. Homil. 27. *Dæmonibus ſuper omnia eſt tormentorum genera, & ſuper omnes pœnas; ſi quem videant verbo Dei operam dare, ſcientiam divinæ legis & myſteria Scripturarum intentis ſtudiis perquirentem. In hoc eorum omnis flamma eſt; in iſto uruntur incendio.* At Pontificii tam diligenter eis operam navârunt; ut hoc tormento eos magnâ ex parte liberaverint, hanc flammam & incendium reſtinxerint.

In Joſu. XV. Homil. 20. *Dici poteſt; Scripturæ difficiles ſunt. At nihilominus ſi eas legeris, profuerint tibi. Nam ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſi nos inveniat his* [verbis Divinæ Scripturæ] *vacantes, & hujuſcemodi ſtudiis & exercitiis operam dantes; non ſolùm paſci & refici dignatur in nobis; verùm etiam ſi has epulas viderit apud nos apparatas, Patrem ſecum conatur adducere.*

[g] Deut. VI.

In Prologo lib. Job. (vel quiſquis Author ejus fuit.) *Sicut olim Moſes librum illum in Ægypto ex Syro in Hebræum tranſtulit; ita LXX. ſub Ptolemæo ipſum ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt; & inde per univerſas gentes Beati Job ſcriptura divulgata eſt; primùm quidem Syriacè ſcripta in Arabiâ, ubi & Job habitabat; poſtea verò & in Hebræis & in Græcis & in omnibus gentibus interpretata.*

In Iſai. I. Homil. 2. *Utinam omnes faceremus illud, quod ſcriptum eſt:* [h] Scrutamini Scripturas.

In Iſai. VI. Homil. 6. verba illa explicans; *Et auribus ſuis graviter audierunt;* & *gravitudinem auditionis* exponens, *quæ noceat animæ hominis: Quid eſt, quod faciat auditum non graviter audire, ſed leviter? Pennæ verbi, pennæ virtutis. Etenim pennæ verbi multùm levitatis afferunt,* &c. *Si autem peccaverimus, & negligentes fuerimus circa alas; & defluxerint pennæ noſtræ: gravabimur, & graviter audiemus.* Et poſt. *Uſque hodie autem, quotquot audientes ſcripturas, non audiunt ſermonem ſpiritualiter, qui levis eſt; ſed literam, quæ eſt gravis & occidens, graviter audiunt. Atque ita dupliciter auditur Scriptura. Ab eo, qui non intelligit quæ dicuntur, graviter auditur: ab eo, qui intelligit eam, non ſolùm auditur non graviter, ſed potiùs acutè? Unde qui ſit intelligens, ſit auditor.*

In Jerem. Homil. 9. *Percurramus univerſas Scripturas; & probati nummularii effecti, dicamus: Hoc audite; debemus hoc auribus percipere.*

In Levit. X. Homil. 9. *Infælix anima, cujus fidei ignis extinguitur, & refrigeſcit charitatis calor; ad quam cùm venerit cæleſtis Pontifex noſter, quærens ab eâ ignitos & ardentes carbones, ſuper quos incenſum offerat Patri; invenit in eâ aridos cineres & frigidas favillas. Tales ſunt omnes, qui ſubtrahunt ſe, & longè faciunt à verbo Dei, ne audientes ſermones divinos accendantur ad fidem, incaleſcant ad charitatem, igniantur ad miſericordiam. Vis tibi oſtendam, quomodo de verbis Spiritûs Sancti ignis exeat, & accendat corda credentium? Audi dicentem David in Pſalmis* [i]; Eloquium Domini ignivit eum. *Et iterum in Evangelio* [k] *ſcriptum eſt: Poſtquam Dominus locutus eſt ad Cleopham;* Nonne cor noſtrum, *inquit*, erat ardens intra nos, cùm aperiret nobis Scripturas? *Tu ergo unde ardebis? Unde invenientur in te carbones ignis, qui nunquam Domini igniris eloquio? nunquam verbis Spiritûs Sancti inflammaris? Audi & alibi ipſum David dicentem* [l]; Concaluit cor meum intra me; & in meditatione meâ ex-

[h] Joan. V. [i] Pſalm XVII. [k] Luc. XXIV. [l] Pſal. XXXVIII.

ardeſcit ignis. *Unde tu concaleſcis? Unde ignis accenditur, qui nunquam in divinis meditaris eloquiis? imò, quod eſt infœlicius, concaleſcis in ſpectaculis circi, concaleſcis in equorum contentionibus, in certamine athletarum.* Hæc omnia etiam ex Origene tranſtulit Cyrillus Alexandrinus in Lib. 9. in Leviticum.

In Matth. cap. 13. 17 *Omnibus modis conandum eſt; ut congregemus in corde noſtro, attendentes* [m] *lectioni, exhortationi & doctrinæ, & in lege Dei meditando die ac nocte: non ſolùm nova Evangeliorum oracula & Apoſtolorum, & horum explanationes; verùm etiam vetera legis, umbram habentis futurorum bonorum, ac Prophetarum, qui his conſentanea prædixerunt.*

In Luc. IV. Homil. 31. *Scrutamini Scripturas; ut & in his, quæ putantur eſſe ſimplicia, reperiatis non minima ſacramenta. Scrutemur principium Evangelicæ lectionis, quotquot hodie audivimus; & id quod latebat, procedit in medium.*

In Johannem, Tom. 13. *Introductiones ergo ſunt Scripturæ, à quibus accuratè intellectis, & nunc nominatis* [n] *fons Jacob, aſcendendum eſt ad Jeſum, ut nobis largiatur fontem aquæ ſalientis ad vitam æternam. Cæterùm non ſimiliter omnis haurit è fonte Jacob: nam etiamſi bibebat Jacob & filii ejus & pecora ejus, atque etiam Samaritis illa venit ad fontem ipſum & haurit; vide ne aliter & prudenter biberit Jacob cum filiis, aliter & ſimpliciùs moreque magis pecuino biberint pecora ejus, rurſus biberit etiam aliter quàm Jacob & filii & pecora ejus, Samaritis illa. Qui enim docti ſunt in Scripturis, bibunt ſicut Jacob & filii ejus; rudiores verò & ſimpliciores, qui dicuntur oves Chriſti, bibunt perinde atque oves Jacob; tum aliqui laudantes Scripturas, & quædam conſtituentes malè dicta, prætextu quòd eas intellexerint, non ſecus bibunt, atque bibebat Samaritis illa, antequam crederet in Jeſum.*

In Epiſt. ad Roman. lib. 9. explicans illud cap. 12. *Reformamini in novitate ſenſûs veſtri.*] *Renovatur ſenſus noſter per exercitia ſapientiæ & meditationem verbi Dei, & legis ejus intelligentiam ſpiritualem: & quantum quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quantò altiùs intellectus incedit; tantò ſemper novus magis & quotidie novior efficitur. Neſcio*

[m] 1 Tim. IV. [n] Joan. IV.

17 Συνάγειν οὖν παντὶ τρόπῳ πειρατέον ἐν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν διὰ τοῦ προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ, ϗ ἐν τῷ νόμῳ κυρίου μελετᾷν ἡμέρας ϗ νυκτὸς, οὐ μόνον τὰ καινὰ τῶν εὐαγγελίων, ϗ τῶν ἀποστόλων, &c. ἀλλὰ ϗ παλαιὰ, &c.

autem

autem ſi poteſt renovari ſenſus, qui piger eſt erga Scripturas divinas, & intelligentiæ ſpiritualis exercitia; quibus poſſit non ſolùm intelligere quæ ſcripta ſunt, verùm ea applicare apertiùs, & manifeſtare diligentiùs.

Lib. 10. in cap. XVI. ejuſdem Epiſtolæ. *Dominus in Evangelio* [o] *dicit:* Attendite vobis ab iis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces. *Et ideo vigilans ſenſus & mens intenta requiritur, quæ probare noverit vel ovis in propatulo ſimplicitatem, vel lupi latentem rapacitatem. Unde vide quàm proximi periculis ſiunt hi, qui exerceri in divinis literis negligunt; ex quibus ſolis hujuſmodi examinationis agnoſcenda diſcretio eſt.*

Lib. 8. contra Celſum. 18 *Deinde oblitus in Chriſtianis ſe agere ſoli Deo per Jeſum preces offerentibus, admiſcet aliena temerè cum rebus Chriſtianorum confundens & dicens:* Quos ſi barbaricis nominibus quis appellet, virtutem habebunt; ſin Græcis aut Romanis, non item. *Quem enim nos invocamus nomine barbaro? Quare perſuaſum ſit omnibus Celſum hæc nobis objicere immeritis; ſciantque quòd germanè Chriſtiani ne uſitatis quidem in Sacrâ Scripturâ Dei nominibus utantur inter precandum; ſed Græci Græcis, Romani Romanis; ſingulique precentur propriâ linguâ, Deumque celebrent pro viribus. Et omnium linguarum Dominus omnibus linguis precantes exaudit, tam variè loquentes haud ſecus quàm conſonos (ut ita dicam) & unius vocis homines intelligens. Non eſt enim Deus maximus unus eorum, qui certam aliquam linguam ſortiti ſunt, ſive Græcam, ſive Barbaram, cæterarum ignari, nec ſolliciti de alienæ linguæ hominibus.*

260. Ægyptus.

De [p] Antonio jam puero in ejus Vitâ (quæ inter Athanaſii Opera habetur) ita legimus: 19 *Ad Eccleſiam cum parentibus ſæpe conveniens, nec infantum laſcivias, nec puerorum negligentiam ſectabatur; ſed tantùm*

[o] Matth. VII. [p] Vid. Juel. Defenſ. Apol. p. 176. præcipuè verò Auguſtin. lib. 8. Confeſſ. cap. ult.

18 —— Δεικνύτω γὰρ τίνα ἡμεῖς βαρβάρως ὀνομάζομεν, ὡς καλοῦντες αὐτὸν ἐπὶ βοήθειαν, καὶ πυθέσθω, μάτην καθ' ἡμῶν ταῦτα εἰρηκέναι τὸν Κέλσον, ἐφιστὰς ὅτι οἱ λοιποὶ τῶν χριστιανῶν οὐδὲ τοῖς ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κειμένοις ὀνόμασι, καὶ πλαγμένοις ἐπὶ τῷ θεῷ, χρῶνται ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἀλλ' οἱ μὲν Ἕλληνες Ἑλληνικοῖς, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ῥωμαϊκοῖς, καὶ οὕτως ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον εὔχεται τῷ θεῷ, καὶ ὑμνεῖ αὐτὸν ὡς δύναται. Καὶ ὁ πάσης διαλέκτου κύριος τῶν ἀπὸ πάσης διαλέκτου εὐχομένων ἀκούει, &c.

19 —— τοῖς ἀναγνώσμασι προσέχων, τὴν ἐξ αὐτῶν ὠφέλειαν ἐν ἑαυτῷ διετήρει.

ea quæ legebantur auſcultans, utilitatem præceptorum vitæ inſtitutione ſervabat. Hinc intelligitur ſacra apud Ægyptios linguâ Vernaculâ peracta eſſe. Antonius enim Ægyptiacè tantùm intellexit; ſiquidem interprete uti ſolitus, qui verba ejus Græco ſermone exprimeret; ut ex eodem libro apparet.

300. Oſroeni in Meſopotamiâ.

Apud hos Euſebius Emiſenus 20 *ab ineunte ætate ſacris literis inſtitutus eſt*; ut in ejus vitâ tradit Georgius Laodicenus à Socrate [q] citatus: Et notandum eſt quod hic ſcribit [r] Sozomenus 21, *Euſebius cognomento Emiſenus, genere oriundus ex Edeſſâ nobili civitate Oſroenorum, ab ineunte ætate (ut mos Patrius fert) ſacris in literis educatus, deinde diſciplinis humanioris literaturæ inſtitutus eſt.* At Colonienſes Jeſuitæ [s] hoc nomine adoleſcentes noſtros reprehendunt; quòd priuſquam Grammaticam probè calleant, & alias diſciplinas à limine ſalutàrint; *eveſtigio illotis* (quod aiunt) *pedibus ſacras literas adoriantur.*

300. Pamphilus Martyr.

Scripturas ſanctas non ad legendum tantùm, ſed & ad habendum tribuebat promptiſſimè, nec ſolùm viris, ſed & fœminis, quas vidiſſet lectioni deditas: Unde & multos codices præparabat, ut cùm neceſſitas popoſciſſet, volentibus largiretur. Euſebius in 3. libro de Vitâ Pamphili citatus ab Hieronymo in lib. 1. Apologiæ adversùs Ruffinum.

311. Gregorius Armeniæ majoris Epiſcopus.

Ludos literarios conſtruxit per omnes civitates; eiſque Doctores & magiſtros conſtituit, Rege ita jubente, & ad hæc adjuvante, & Pontificis animo magnam opem ferente. Publicè quidem per civitates prædicatum fuit à Pontifice, ut filii Armeniorum undique ad eos ventitarent, & ſacras docerentur literas. In Actis Gregorii Armeniæ Epiſcopi apud Sym. Metaphraſten Septemb. 30.

[q] Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 6. [r] Hiſt. l. 3. c. 5. [s] Cenſura in Præfat. Monhemii.

20 Ἐκ νέας τε ἡλικίας τὰ ἱερὰ μαθὼν γράμματα.

21 Ἐκ νέου δὲ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος τοὺς ἱεροὺς ἐκμαθὼν λόγους, μετὰ ταῦτα καὶ τὰ παρ' Ἕλλησιν, &c.

330. Conſtantinus Magnus Imp.

Hujus pia exercitia ita deſcribit Euſebius in Orat. de laudibus illius, ante med. 22 *Ille ipſe ſibi præceptionum ſalutarium doctor factus, in ipſius regiæ penetralibus Servatorem ſuum veneratur ; & interdum precibus divinos cultus exequitur, interdum ſacris literis audiendis mentem ſuam erudit.* Et lib. 4. de Vitâ illius, cap. 17. 23 *Sumptis in manus libris, vel ſacrarum literarum contemplationi diligenter animam adhibebat, vel conſtitutas cum univerſo Eccleſiæ cœtu preces reddebat.* Ibid. cap. 36. (quemadmodum etiam apud Socratem, lib. 1. Hiſt. Eccl. cap 6. & Theodoretum, lib. 1. Hiſt. cap. 16.) habetur exemplum Epiſtolæ ejus ad Euſebium, quâ præcipit eidem, ut 50. volumina ad uſum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in membranis pararet ; in quibus eos libros S. Scripturæ deſcribi curaret, 24 *quorum & apparationem & uſum maximè Eccleſiæ neceſſarium cognoſceret* ; deſcriptoſque ad ſe Conſtantinopolin tranſmitteret. Illius denique diligentiâ effectum eſſe prodit Euſebius [t] ; ut 25 *mulieres & innumerabiles virorum multitudines corporis alimenta cum rationalibus alimentis, quæ ex ſacris literis perlegendis deprompta animis rationis participibus admodum conveniunt, commutarent.*

335. Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus.

In Orat. de laudibus Conſtantini, paulò ante fin. *Quid tam eximium ad ejus* (Chriſti) *divinitatem evidenter declarandam, quàm non ſolùm promittere ſe eos* (Apoſtolos) *facturum piſcatores hominum; quod uti verbo protulerat, ſic reipsà præſtitit : verum etiam tantam virtutem, tantamque facultatem illis tribuere, 26 ut monumenta ſcriptis mandarent, libroſque ederent ; iique tam magnam apud omnes haberent & authoritatem*

[t] Orat. de laudibus Conſtantini, paulò ante fin.

22 —— ὁτὲ μὲν εὐχαῖς θεσμοὺς ἐξετέλει θείους, ὁτὲ λόγων ἱερῶν ἀκοαῖς τὸν νοῦν ἐξεπαιδεύετο.

23 Μετὰ χεῖρας γέτοι λαμβάνων τὰς βίβλους, τῇ τῶν θεοπνεύστων λόγων θεωρίᾳ προσανεῖχε τὸν νοῦν, &c.

24 Τῶν θείων δηλαδὴ γραφῶν, ὧν μάλιστα τήν τ' ἐπισκευὴν καὶ τὴν χρῆσιν τῷ τῆς ἐκκλησίας λόγῳ ἀναγκαίαν εἶναι γινώσκεις.

25 Λογικὰς τροφὰς ψυχαῖς λογικαῖς κατάλληλους, δι' ἐνθέων ἀναγνωσμάτων ἀντικαταλλάξασθαι τῆς τοῦ σώματος τροφῶν.

26 —— Γραφὰς συντάξαι, καὶ βίβλους παραδοῦναι καὶ πάντας εἰς τοσοῦτο κρατῦναι, ὡς καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης παντοίᾳ γλώσσῃ βαρβάρων τε καὶ ἑλλήνων μεταβαλλομένας, παρὰ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι μελετᾶσθαι, &c.

& exiſtimationem; ut in omnes tam Barbarorum quàm Græcorum linguas, quæ in toto orbe terrarum exiſtunt, converterentur; omneſque gentes in illis perdiſcendis ſtudium & operam ponerent, proque certo crederent divina eloquia in illis eſſe tradita comprehenſaque?

Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 16. populum Chriſtianum 27 *feſtum paſſionis Domini, non jejuniis ſolùm & vigiliis, ſed & attentâ Scripturarum auditione excolere ac celebrare* conſueviſſe indicat.

28 De Præparat. Evangel. lib.8. cap.1. *Cùm jam Salvatoris noſtri tempora viderentur propiùs advenire; conducebatque maximè ſaluti omnium gentium, quæcunque à Prophetis ſcripta fuerant, intelligere, per linguam Græcam, quam ferè omnes gentes intelligunt, Judaicam Scripturam univerſis propoſuit.*

28 Ibid. lib.12. cap.1. *Nonne multò ante Platonem divinæ literæ fidem cæteris præpoſuere virtutibus, cùm inquit* [u], Niſi credideritis, non intelligetis: *ac rurſum* [x]; Credidi, propterea locutus ſum. *Unde apud nos quoque incipientibus ac imperfectioribus quaſique ſecundùm animum infantibus ſimpliciùs Scripturæ leguntur. Credendum enim omnibus eſt, omnia quæ in eâ feruntur, ſicuti Dei verba, veriſſima eſſe. Illis autem, qui ad majorem jam habitum Scripturarum pervenerunt, altiora petere, ac rationem ſingulorum quærere conceditur.* Vid. cap. 22.

340. Antonius Abbas.

[y] *Sine ullâ ſcientiâ literarum Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe prædicatur.* [Auguſtin de Doctrin. Chriſt. in Prologo.]

350. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus.

Catecheſ. 4. de Sacr. Script. 29 *Diligenter ab Eccleſiâ diſce, qui ſint Veteris, & qui Novi Teſtamenti libri; ut nihil Apocryphum legas. Cùm enim ne iſta quidem, quæ omnes confitentur, ſcias; quid in dubiis diſcere laboras? Lege Sacras Scripturas, nempe XXII. Veteris Teſta-*

[u] Pſalm. VII. [x] Pſalm. CXV. [y] Vid. Juel. Defenſ. Apol. p. 176.

27 Τὴν σωτήριον πάθους ἑορτὴν ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσιν, προσοχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐκτελεῖν εἰώθασιν.

28 Vide Auctuarium.

29 Φιλομαθῶς ἐπίγνωθι παρὰ τῆς Ἐκκλησίας, ποῖαι μέν εἰσιν αἱ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βίβλοι, ποῖαι δὲ τῆς καινῆς, καί μοι μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε. —ἀναγίνωσκε τὰς θείας γραφὰς, τὰς εἴκοσι δύο βίβλους τῆς παλαιᾶς διαθήκης, τὰς, &c. —ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως, ἃς καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ μετὰ παῤῥησίας ἀναγινώσκομεν.

menti

menti libros, quæ à LXXII. Interpretibus tranſlatæ ſunt. —— Hos ſolos ſtudioſè meditare; quos & in Eccleſiâ ſecurè tutóque recitamus.

Catecheſ. 9. *Vade ad Apem, & diſce quàm laborioſa ſit; quomodo per flores omnis generis oberrans congerit tibi mel in uſum;* 30 *ut & tu circuiens divinas Scripturas, tuam ipſius ſalutem apprehendas, & illis ſatiatus dicas :* [1] Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? ſuper mel & favum ori meo.

360. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus.

In Apologiâ pro fugâ ſuâ. [2] *Diacano mandavi, ut XXXI. Pſalmum legeret, populuſque attentè auſcultaret; cùm recitaret hanc particulam :* Quoniam in ſeculum miſericordia ejus.

In Exhortat. ad Monachos. *Has* (Orationes) *ſi fieri poteſt, ſola intercapedo diſrumpat. Cujus rei cura in canonicis ponenda eſt ſalubriter monumentis. Non quòd Apocrypha debeamus, præſertim ignorata, damnare; ſed quòd ad ſcientiam Dei digeſtam canonis ſeriem putemus poſſe ſufficere. Illa enim, ſi conſentiunt, ſupervacua ſunt. Si diſſentiunt, vitanda ſunt. Sine legendi ſtudio nemo ad Dominum valebit eſſe intentus. Primùm, quòd hujuſmodi opera ab aliis actibus caducæ occupationis abducunt; & diverſorum exemplorum inſinuata cognitio, vel bonorum appetentiam, vel malorum factam eſſe cautelam. Neque enim aliàs Petrus Apoſtolus admoneret nos, dicens :* Parati ſemper eſtote ad rationem reddendam ad omnes poſcentes vos de verbo ſpei veſtræ & fidei. *Et Apoſtolus :* Non ceſſamus pro vobis orantes; ut impleamini agnitione ejus in omni ſapientiâ & intellectu ſpirituali. *Et rurſus :* Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter omni ſapientiâ. *Nam & in veteri Teſtamento ſimilem hominibus curam ſacræ præceptionis inculcavit eloquium. Sic enim David ait :* Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, & in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit : Sed in lege Domini voluntas ejus meditabitur die ac nocte. *Et ad Jeſum Nave Deus loquitur :* Non recedet liber iſte de manibus tuis; & meditaberis in eo die ac nocte. [Habetur Tomo 2. editionis Commelinianæ p. 435. ſed annotat Petrus Fleckmannus hoc omnino ſcriptum Latinum videri.]

[1] Pſalm. CXIX. [2] Citatur à Theodoreto, lib. 2. Hiſt. cap. 13.

30 Ἵνα καὶ αὐτὸς περιερχόμενος τὰς θείας γραφὰς, τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας περιδράξῃ, καὶ τούτων ἐμφορούμενος εἴπῃς, ὡς γλυκέα, &c.

31 Προέτρεπον, τὸν μὲν διάκονον ἀναγινώσκειν ψαλμὸν, τοὺς δὲ λαοὺς ὑπακούειν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In lib. de Virginitate ſive de Meditatione [Tom. 1. edit. Commelinianæ, quanquam non videatur Athanaſii.] 32 *Non abſcedat ab ore tuo verbum Dei. Sit autem illud opus tuum omni tempore. Meditare in S. Scripturis: habe Pſalterium, & Pſalmos diſce.* [p. 828.] 33 *In Eccleſiâ tace; ne quicquam loquaris; ſed lectionibus duntaxat intende.* [p. 834.]

In diſceptatione adv. Hæreticos [Tom. 2. edit. Commelin. p. 248.] 34 *Vis Scripturas negligam? Unde ergo cognitio? Vis cognitionem relinquam? Unde fides? &c. Romanas leges ſine periculo nemo ignoraverit. Quas ergo parant inſidias, qui magnorum cœleſtis Regis oraculorum curâ ſtudioque volunt interdictum? Scriptura eſt animæ cibus. Deſine verò, ô homo, fame internum hominem necare; diramque non panis & aquæ, ſed audiendi Verbum Domini, famem attrahere,* —— *Reverere Eunuchum illum, ſermonis amatorem, qui ne in itinere quidem lectionem neglexit; cujus propoſitum comprobans Deus, ſtatim Doctorem illi dedit.* —— *Atque hinc eſt, cur ipſe præceperit,* Scrutamini Scripturas; 35 *ſcrutationem vocans diligentem attentamque abſtruſorum inquiſitionem de Scripturâ ſanctâ.*

Turrianus in Defenſ. Epiſt. Pont. lib. 2. cap. 2. libellum hunc graviſſimum appellat, & tanto auctore dignum. A Gennadio autem Scholario, p. 385. edit. Græcæ (Tom. 4. Biblioth. Patrum col. 1446.) dicitur Diſputatio S. Maximi cum Theodoſio Cæſareæ Epiſcopo. 36

Ibid. pag. 259. 37 *Egone verbum audiam, & convenientem ſenſum non inquiram? Ubi igitur aut ſermonis conſequentia, aut audientis utilitas? Fortè & in brutorum animantium naturam mutari homines præcipiunt? Siquidem verborum ſonum auribus arrepturi; ex ſenſu verò fructum nullum animo ſunt percepturi. Non hoc nobis Paulus, qui de hujuſmodi rebus docuit, mandavit: non amplexandum aliquid ſine ratione, ſine judicio, cenſuit, &c.*

Vid. eundem (ſi idem Author eſt) initio epiſtolæ ad Epiſcopos ad Diœceſes ſuas proficiſcentes, apud Fr. Torrenſem de Reſid. Epiſcop. fol. 446.

32 Μὴ ἀποστήτω ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ στόματός σου· ἤτω δὲ τὸ ἔργον σου διαπαντὸς μελέτη τῶν θείων γραφῶν· ψαλτήριον ἔχε καὶ τοὺς ψαλμοὺς μάνθανε.

33 Ἀλλὰ τῇ ἀναγνώσει μόνον πρόσεχε.

34 Ἀμελήσω γραφῶν; πόθεν οὖν ἡ γνῶσις; —— τὰ μεγάλα θεσπίσματα τοῦ βασιλέως τῶν οὐρανῶν οἱ κωλύοντες μελετᾷν καὶ μανθάνειν, ποίαν ἐπιβουλὴν οὐκ ἐργάζονται. Τροφὴ ψυχῆς ἡ γραφή, παῦσαι οὖν λιμοκτονῶν τὸν ἔσω ἄνθρωπον, &c.

35 Meliùs, *ex ſcript. ſanctâ*, διὰ τῶν ἁγίων γραφῶν, &c.

36 Etherio Tyanenſi deberi opus iſtud ab eruditis dudum animadverſum eſt.

37 ἀκούσω τοῦ ῥήματος, καὶ μὴ ζητήσω τὸ εὐπρεπὲς τοῦ φρονήματος. —— τάχα καὶ πρὸς ἀλόγων ἕξεις μεθιστᾶν τοὺς ἀνθρώπους προστάττουσιν, εἴπερ μέλλοιεν ψόφον μὲν ῥημάτων τῇ ἀκοῇ δέξασθαι, κέρδος δὲ νοημάτων μηδὲν τῇ ψυχῇ προσποιήσῃ; οὐχ οὕτω Παῦλος, &c.

370. Macarius Ægyptius.

Homil. 6. 38 *Qui accedunt ad Dominum, debent preces ſuas in tranquillitate, pace, & ſedatione multâ fundere; non ineptis, aut confuſis clamoribus uti, ſed attentione cordis & cogitationibus ſobriis attendere Domino.* Item 39 *Verum orationis fundamentum hoc eſt, attendere nimirum cogitationibus, & in multâ tranquillitate & pace precari.* Et poſt: 40 *Sunt alii, qui cogitationibus attendunt, & prælium internum committunt. Hique propter intellectum ac diſcretionem poſſunt dirigere & amoliri inſurgentes cogitationes, & ſecundùm voluntatem Domini ambulare.*

Homil. 33. 41 *Oportet nos non ex more corporeo, nec pro more vociferandi, nec ex conſuetudine ſilendi, aut genua flectendi, preces facere; verùm ſobriè animum attendentes exſpectare Deum, quando aderit & viſitabit per omnes egreſſiones animam, per ſemitas ejus ac ſenſuum organa; & ita quando conveniat tacere, & quando conveniat clamare, & cum vociferatione precari,* 42 *modò mens ſit firmata in Deum. Perinde enim ac corpus, cùm operatur quippiam, totum penitus occupatum incumbit operi, & omnia ejus membra ſe invicem adjuvant;* 43 *ſic quoque anima tota prorſus conſecretur poſtulationi & charitati Domini, quæ nec vagis occupetur, aut circumferatur cogitationibus, & ſpem atque exſpectationem omnem collocatam habeat in Chriſto. Atque hoc pacto illuceſcet ille, purum docens petendi modum; & ſuggerens orationem puram, ſpiritualem, Deo dignam; & quæ ſit in ſpiritu & veritate, adorationem.*

370. Ephræm Syrus.

De armaturâ generali. *Studeamus jugiter lectioni ſanctarum Scripturarum, ut nos doceant, quomodo laqueos Diaboli poſſimus effugere, æternamque adipiſci vitam.*

De patientiâ & conſummatione ſeculi, &c. (quæ quidem Homilia & inter Chryſoſtomi & inter Ephræmi Opera habetur. Vid. Savil. & Voſſii

38 Οἱ προσερχόμενοι τῷ Θεῷ, ὀφείλουσι τὰς εὐχὰς ἐν ἡσυχίᾳ ϗ εἰρήνῃ ϗ καταστάσει πολλῇ ποιεῖσθαι. ——πόνῳ καρδίας ϗ λογισμοῖς νήφουσι προσέχειν.

39 Ὁ δὲ ἀληθινὸς θεμέλιος τῆς προσευχῆς οὗτός ἐστι, τὸ προσέχειν τοῖς λογισμοῖς, &c.

40. Εἰσὶ δὲ ἄλλοι οἱ τοῖς λογισμοῖς προσέχοντες —— ὅτι διὰ τῆς συνέσεως αὐτῶν, &c.

41 Δεῖ ἡμᾶς μὴ κατὰ ἔθος σωματικὸν, μήτε κραυγῆς ἔθει ——προσεύχεσθαι, ἀλλὰ νηφαλέως τῷ νοῒ προσέχοντας.——

42 ——μόνον ὁ νοῦς ἑδρασμένος ᾖ πρὸς τὸν Θεόν ——

43 ——ἡ ψυχὴ ὅλη δι᾽ ὅλου ἀποδεδόσθω εἰς τὴν πρὸς Κύριον αἴτησιν ϗ ἀγάπην, μὴ ῥεμβομένη ϗ περιφερομένη τοῖς λογισμοῖς. —— ϗ οὕτως αὐτὸς ἐπιλάμψει, ἀληθινὴν διδάσκων αἴτησιν, διδοὺς εὐχὴν καθαρὰν, πνευματικὴν, Θεοῦ ἀξίαν, ϗ τὴν ἐν πνεύματι ϗ ἀληθείᾳ προσκύνησιν.

edit.

edit p. 165.) 44 *Vide, ne negligas animam tuam, ſed lectioni ac precibus ſedulò incumbe, ut mens tua illuminetur, fiaſque perſectus ac integer, in nullo deficiens. Gloriantur alii de Magnatum Principumque ac Regum familiaritate atque colloquio: at tu coram Angelis Dei gloriare, colloquens & cum Spiritu S. per ſacras literas conferens. Nam Spiritus S. eſt, qui loquitur per eas. Da operam igitur, ut divinarum Scripturarum lectionem familiarem tibi reddas, & perſiſtas in oratione.* Et poſt. *Quòd ſi legere fortè neſcias; adhibe eum, à quo audire queas atque proficere.* Vid. pag. 165. edit. Voſſii, ubi hoc pluribus perſequitur Ephræm, & p. 166. *Non ſtudeas duntaxat libri folia evolvere; ſed ſi opus fuerit,* 45 *non pigeat etiam bis terve ac ſæpiùs eundem repetere verſum, ut vim orationis intelligas.*

In Encomio in Pſalmos. *Pſalmus, infantium tutela, ornamentum ſenilus, majorum natu conſolatio, mulieribus aptiſſimum ornamentum. Rudibus eſt inſtructio, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum. Ubi ſacri libri adſunt & lectiones: ibi juſtorum eſt lætitia, & auſcultantium ſalus. Ubi autem cithara & tibiarum cantus atque tripudia perſtrepunt; ibi virorum pariter ac mulierum ſunt tenebræ, diaboloque feſtum celebratur.* p. 13.

De Panopliâ ſive Armaturâ generali (p. 480, 481.) *Verè arcus æreus eſt contra inimicos, expanſæ in oratione manus in ſcientiâ orantis; ſicut etiam ſagitta directè emiſſa ab eo, qui arcum vibrat, &c. Ejuſmodi eſt quod dico, fratres, cùm quis in ſcientiâ orat, nec ſinit evagari cogitationes ſuas: ſed intelligit, quem interpellet, quem alloquatur: & tunc oratio illius Deo appropinquat. Et tunc vehementer contriſtatur inimicus, veluti acerrimo ſpiculo in corde percuſſus. Nam quantò per gratiam anima ampliùs proficit; tantò ipſe, tànquam* [b] *pulvis ante faciem venti effectus, magis profugit: perſequitur enim illum Angelus Dei. Ecce quâ in re illum acriter vulnerat: quia ſc. orat in ſcientiâ, roboraturque, quia cogitationem captivat, nec evagari permittit. Et tu ergo, mi frater, etiam in ſcientiâ orationes funde.*

Porrò notandum eſt ex Hieronymo in Catalogo Scriptor. Eccleſiaſt. Syriacâ linguâ Ephræmum ſua ſcripta edidiſſe, eaque tantam authori-

[b] Pſalm. XXXIV.

44 Μὴ ἀμελήσῃς τῆς ψυχῆς σου, ἀλλὰ σχόλαζε τῇ ἀναγνώσει καὶ ταῖς προσευχαῖς, ὅπως φωτισθῇ σου ἡ διάνοια, καὶ ὅπως γένῃ τέλειος καὶ ὁλόκληρος, ἐν μηδενὶ λειπόμενος. Ἄλλοι καυχῶνται), &c. —σπούδαζε οὖν ἐντυγχάνειν ταῖς θείαις γραφαῖς —σπούδαζε πυκνότερον ἐντυγχάνειν αὐταῖς. ——ἐὰν δὲ οὐκ ἐπίστασαι τὸ ἀναγινώσκειν, προσκολλῶ ὅπου δεῖν ἀκοῦσαι καὶ ὠφεληθῆναι, &c.

45 Μὴ ὀκνήσῃς δὶς καὶ τρὶς καὶ πλειστάκις διελθεῖν τὸν στίχον, ὅπως νοήσῃς τὴν δύναμιν αὐτοῦ.

tatem

tatem adepta eſſe, ut poſt lectionem Scripturarum (linguâ etiam Syriacâ editarum [c]) publicè in quibuſdam Eccleſiis recitarentur. Unde intelligimus, 1. Syros in ſuâ liturgiâ homilias vernaculâ linguâ ſcriptas uſurpâſſe, non peregrinâ, & minimè intellectâ, ut apud Pontificios fit. 2. Scripturas (ad quas legendas ſuos hortabatur Ephræm) Syrorum vernaculâ linguâ extitiſſe. Nam nec ipſe Ephræm (in Scripturis exercitatiſſimus) ſacras literas Græcâ linguâ legere potuit; quippe cujus ignarum fuiſſe, tum ex ipſius Encomio in Baſilium M. tum ex Theodoreto, lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 29. [d] colligitur.

Syriacè etiam divinos hymnos compoſuit Ephræm [e], à Syris cantari ſolitos [f] in Martyrum celebribus feſtis; quos ad ſua uſque tempora ab Eccleſiæ cantoribus retentos fuiſſe 46 innuit Nicephorus Calliſt. lib. 9. cap. 16.

370. Baſilius Magnus Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopus.

Procemio in Pſalmos (quod quidem idem eſt cum Prologo præfixo Auguſtini enarrationibus in Pſalmos, initio Tomi 8. Operum ejus: ſed Baſilii eſt, non Auguſtini.) 47 *Scriptura omnis divinitus inſpirata, & utilis, ob eam rationem à Spiritu S. conſcripta eſt, ut velut è communi curandarum animarum officinâ, univerſi mortales, quiſque pro morbi ſui ratione medelam deligeremus.* Medicamentum enim, *inquit*, magna ſedat delicta. Et poſt de Pſalmis. *Melodiæ jucunditatem dogmatis immiſcuit Spiritus Sanctus; ut aurium oblectatione deliniti, ſermonis utilitatem latenter ſuſciperemus; more Medici ſapientis, qui pueris medicinas aliquantò auſteriores daturus, ut vorantibus nauſeam diſcutiat, melle poculum circumlinit.* 48 *Propterea nobis hæc apta Pſalmorum modulamina offeruntur; ut qui ætate aut omnino etiam moribus adhuc pueri ſunt, in ſpeciem quidem concinant ac modulentur, re autem verâ animas ſuas erudiant. Nec enim ul-*

[c] Georgius Emira Edenienſis in Grammat. Syriac. Edit. Romæ, 1596. [d] In Edit. Græc. cap. 27. in Edit. Lat. [e] Sozomen, lib. 3. cap. 16. (ut eſt in Edit. Gr.) vel 15. (ut in Lat.) [f] Loc. cit.

46 Ὠδὰς παραδεδομένος, εἰς δεῦρο Σύροις παρέδωκε ψάλλειν.

47 Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα ὑπὸ τοῦ πνεύματος, ἵν' ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστος ἐκλεγώμεθα, &c.

48 Ταῦτα μέλη τῶν ψαλμῶν ἡμῖν ἐπινενόηται, ἵνα οἱ παῖδες τὴν ἡλικίαν, ἢ καὶ ὅλως οἱ νεαροὶ τὸ ἦθος, τῷ μὲν δοκεῖν μελῳδῶσι, τῇ δ' ἀληθείᾳ τὰς ψυχὰς ἐκπαιδεύωνται) —— τὰ δὲ τῶν ψαλμῶν λόγια καὶ κατ' οἶκον μελῳδοῦσι, καὶ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς περιφέρουσι, &c.

lus ex iis, qui tardiore præſertim ſunt ingenio, reperitur, quin apoſtolicum ſeu propheticum aliquod præceptum ſtatim ediſcat; Pſalmorum verò protinùs reminiſcuntur: hos & domi cantant, & foris obmurmurant, & in agro circumferunt. Unde exclamat ibidem, 49 *O ſapiens Doctoris inventum, qui excogitavit quo pacto unâ eâdemque operâ & caneremus, & quæ utilia ſunt cognoſceremus; unde & quæ diſcuntur, animis noſtris magis inſigantur. Nihil enim violentum durat; quod verò cum voluptate & gratiâ acquiritur, durabilius animis noſtris inſidet.*

In Pſal. XXVIII. 50 *Homines miſerabiles relictis ædibus ſuis ad templum concurrunt, quaſi emolumenti quicquam inde laturi; cùm tamen nec oracula Dei attentè audiant, nec naturæ ſuæ ſenſum accipiant, &c.* 51 *Pſalmos habes, Prophetas, Evangelica præcepta, Apoſtolicas prædicationes; quæ corde oreque voluta, lingua pſallat, mens ſenſum eorum, quæ dicuntur, ſcrutetur; ut pſallas ſpiritu, pſallas & mente. Non enim gloriâ Deus indiget; ſed ut lauderis te dignum reddere cupit.*

In Pſalm. XXIX. Homil. 18. 52 *Non ſi quis ore profert Pſalmi verba, hic Domino pſallit; ſed qui à puro corde emittunt pſalmodias; & qui ſancti ſunt, ſervantes juſtitiam ad Deum; hi pſallere poſſunt Deo ſpirituales hymnos convenienter aſſequentes.* Vid. eundem Epiſt. 1. ad Gregorium Theologum.

Homil. in Pſalm. LIX. 53 *Ideo noſtra ſunt divina hæc oracula, & in Eccleſiâ Dei tanquam dona divinitus emiſſa, in unoquoque conventu releguntur; perinde ac animabus alendis à Spiritu Sancto adminiſtrata quædam alimonia, &c.*

Orat. Moral. 9. à Simeone Logothetâ ex Baſilii ſcriptis collecta. 54 *Neque enim per ſe verba orationis proſunt; ſed cum diligenti mentis intentione emiſſa tunc demum proſunt, &c.*

Sermon. in Martyrem Julittam. *Oratio eſt boni petitio à piis mentibus ad Deum facta.* 55 *Petitionem autem non verbis tantùm definimus.*

49 Ὦ τῆς σοφῆς ἐπινοίας τοῦ διδασκάλου, ὁμοῦ τ' ᾄδειν ἡμᾶς καὶ τὰ λυσιτελῆ μανθάνειν μεμηχανημένου, &c.

50 Ἐπὶ τὸν ναὸν ἐπιδραμόντες, ὡς δή τι ἑαυτοὺς ὠφελήσοντες, οὐχ ὑπέχουσι τὰς ἀκοὰς λόγοις Θεοῦ, &c.

51 Ψαλμὸν ἔχεις, προφητείαν ἔχεις, εὐαγγελικὰ παραγγέλματα, τὰ τῶν ἀποστόλων κηρύγματα, ἡ γλῶσσα ψαλλέτω, ὁ νοῦς ἐρευνάτω τὴν διάνοιαν τῶν εἰρημένων, ἵνα ψάλλῃς τῷ πνεύματι, ψάλλῃς δὲ καὶ τῷ νοΐ, &c.

52 Οὐκ εἴ τις τῷ στόματι προφέρει τὰ τοῦ ψαλμοῦ ῥήματα, οὗτος ψάλλει τῷ Κυρίῳ, ἀλλ' ὅσοι ἀπὸ καρδίας καθαρᾶς ἀναπέμπουσι τὰς ψαλμῳδίας, &c.

53 Οὐ γὰρ ἁπλῶς τὰ ῥήματα τῆς προσευχῆς ὠφελεῖ, ἀλλὰ τὸ μετὰ σπουδαίας διαθέσεως ἀναπέμπεσθαι.

54 Διότι καὶ ἡμέτερά ἐστι τὰ θεῖα λόγια, καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ, ὡς θεόπεμπτα δῶρα, καθ' ἑκάστην σύλλογον ὑπαναγινώσκεται), &c.

55 Τὴν δ' αἴτησιν οὐκ ἐν ῥήμασιν ὁριζόμεθα πάντως. ——τί οὖν ἐστὶν ὃ φαμέν, ὅτι χρὴ μὴ ἐν συλλαβαῖς ἡμᾶς τὴν εὐχὴν ἀποπληροῦν, ἀλλὰ προαιρέσει μᾶλλον ψυχῆς, &c.

Non

Non enim Deum putamus verborum admonitione indigere, ſed ea quæ utilia ſunt ſatis vel nobis non petentibus videre. Quid igitur eſt quod dicimus? quòd oportet nos orationem non in ſyllabis perficere, ſed magis animi propoſito, tum actione ſecundùm virtutem in omni vitâ perſeverante, vim orationis implere. Non enim ſimplicia verba orationis proſunt (ut alibi idem [g]) *ſed illud demum, quod ex ſeriâ animi affectione proficiſcitur* μετὰ σπουδαίας διαθέσεως. Hoc itaque illud eſt quod ait in Homiliâ in Pſalm. XXVIII. *Preces cujuſlibet Deo manifeſtæ ſunt. Alius ex affectu tantùm orat, alius ſcitè ac prudenter cæleſtia quærit; quidam perfunctoriè nec acri attentione ſummis labris verba loquitur; cor autem ejus procul à Deo eſt.* Ἡ προσευχὴ ἑκάστου πεφανέρωται Θεῷ, τίς ἐκ διαθέσεως (ex animo) τίς ἐπιστημόνως ἐπιζητεῖ τὰ ἐπουράνια, τίς ἀφοσιουμένως ἄκροις τοῖς χείλεσι τὰ ῥήματα φθέγγεται. ἡ δὲ καρδία αὐτοῦ πόῤῥω ἀπέχει ἀπὸ Θεοῦ.

De Spiritu S. cap. 1. *Nobis præſcriptum eſt, ut ſimiles efficiamur Deo, ſaltem quatenus humanæ naturæ fas eſt.* 56 *Porrò ſimilitudo non eſt abſque cognitione, cognitio verò è doctrinâ paratur. Doctrinæ autem initium eſt oratio, orationis partes ſyllabæ ac dictiones. Proinde ſyllabas* (S. Scripturæ) *excutere non eſt aberrare à ſcopo.*

In Regulis contractioribus Quæſt. 45. *Si quis audito Domino*, *qui dixit*, Servus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, neque parans ſe ad illius voluntatem, vapulabit multis; qui verò illam ignorat, & facit digna plagis, vapulabit paucis: *hujus gratiâ cognitionem divinæ voluntatis ſtudio negligat; an quid habet ſolatii? Reſpondeo.* 57 *Manifeſtum eſt, quòd qui ejuſmodi eſt, ignorantiam falsò prætexat, & inevitabile habeat peccati judicium.* Si enim non veniſſem, *inquit Dominus*, & non locutus illis eſſem, peccatum non haberent; nunc verò excuſationem de peccato ſuo non habent. *Cùm ſacra Scriptura omnibus ubique voluntatem Dei denuntiet. Itaque qui talis eſt, non cum ignorantibus minore judicio, ſed vehementiore cum illis damnabitur, de quibus ſcriptum eſt;* Inſtar aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, ne audiat vocem incantantium & venefici, dum ab illo incantatur ſapienter.

Ibid. Quæſt. 95. *An conducat, ut qui recens acceſſerunt, confeſtim ſcripturas diſcant? Reſpondeo. Et de iſtâ quæſtione ex prædictis ſta-*

[g] Orat. Moral. 9. ſupra cit.

56 Ὁμοίωσις δὲ οὐκ ἄνευ γνώσεως, ἡ δὲ γνῶσις ἐκ διδαγμάτων· λόγος δὲ διδασκαλίας ἀρχὴ, λόγου δὲ μέρη συλλαβαὶ καὶ λέξεις, ὥστε οὐκ ἔξω σκοποῦ γέγονεν ἡ τῶν συλλαβῶν ἐξέτασις.

57 Δῆλός ἐστιν ὁ τοιοῦτος σχηματιζόμενος τὴν ἄγνοιαν, καὶ ἄφυκτον ἔχει τὸ τῆς ἁμαρτίας κρίμα. —— τῆς ἁγίας γραφῆς πανταχοῦ πᾶσι τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ διαγγελλούσης· ὥστε οὐχὶ μετὰ τῶν ἀγνοησάντων ὁ τοιοῦτος ἔλαττον κρίνεται, ἀλλὰ, &c.

tuatur. 58 *Neceſſarium enim eſt & conſonum, ut ex ſacrâ quiſque Scripturâ quod neceſſe ſit diſcat, tum ad pietatis plerophoriam, tum ne adſueſcat humanis traditionibus.*

Ibid. Quæſt. 278. *Quomodo ſpiritus alicujus precetur, mens verò fructu careat? Reſpondeo.* 59 *Hoc de illis dictum eſt, qui in linguâ audientibus ignotâ preces faciunt. Dicit enim,* Si oro linguâ, ſpiritus meus quidem orat: mens verò ſine fructu eſt. *Nam quando præſentibus verba precationis incognita ſunt; ſine fructu eſt mens, quia nihil utilitatis redit ad precantem. Quando verò qui adſunt, precationem intelligunt, quæ utilis poteſt eſſe audientibus; tunc qui precatur, fructum habet, ædificationem ſc. eorum qui inde juvantur. Conſimiliter autem & de quacunque verborum Dei pronuntiatione ſentiendum eſt. Scriptum enim eſt:* Sed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei.

In procemio de Judicio Dei, inter Aſcetica (ſi is Author eorum eſt) in init. *Jam olim ab initio à Chriſtianis parentibus educatus,* 60 *ab illis quidem à puero ſacras literas didici, quæ me ad veritatis cognitionem adduxerunt.*

Epiſt. 63. ad Clericos Neocæſar. 61 *Ad id verò quòd propter Pſalmodias accuſamur (qua re potiſſimùm ſimpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt) hoc habeo quod dicam: quòd qui jam obtinuerunt ritus omnibus Eccleſiis Dei concordes ſunt & conſoni. De nocte ſiquidem populus conſurgens antelucano tempore domum precationis petit; inque labore & tribulatione ac lachrymis indeſinentibus factâ ad Deum confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad pſalmodiam inſtituuntur. Et nunc quidem in duas partes diviſi alternis ſuccinentes pſallunt; atque ex eo ſimul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant; & cordibus ſuis attentionem, & rejectis vanis cogitationibus mentis ſoliditatem ſuppeditant: deinde uni ex ipſis hoc muneris dato, ut quod canendum eſt prior ordiatur, reliqui ſuccinunt: atque ita pſalmodiæ varietate precibuſque ſubinde interſertis noctem*

58 Τὸ γὰρ πρὸς τὴν χρείαν ἕκαστον ἐκμανθάνειν ἐκ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀκόλουθον καὶ ἀναγκαῖον εἰς τε πληροφορίαν τῆς θεοσεβείας, καὶ ὑπὲρ τοῦ μὴ προσεθισθῆναι ἀνθρωπίναις παραδόσεσιν.

59 Τοῦτο περὶ τῶν ἐν γλώσσῃ ἀγνοουμένῃ τοῖς ἀκούουσι τὰς προσευχὰς ἀναπεμπόντων ἐῤῥήθη ——ὅταν γὰρ ἄγνωστα ᾖ τοῖς παροῦσι τὰ ῥήματα τῆς προσευχῆς, ἄκαρπός ἐστιν ὁ νοῦς τοῦ προσευχομένου, μηδενὸς ὠφελουμένου. ——ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ πάσης ἐκφωνήσεως τῶν τοῦ Θεοῦ ῥημάτων, &c.

60 Παρ' αὐτοῖς ἀπὸ βρέφους καὶ τὰ ἱερὰ γράμματα ἔμαθον, ἄγοντά με πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας.

61 —— τὰ νῦν κεκρατηκότα ἔθη πάσαις ταῖς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις συνῳδά ἐστι καὶ σύμφωνα· ἐκ νυκτὸς γὰρ ὀρθρίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς, &c. τελευταῖον ἀναστάντες τῶν προσευχῶν εἰς τὴν ψαλμῳδίαν καθίστανται, καὶ νῦν μὲν διχῇ διανεμηθέντες, ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις, ὁμοῦ μὲν τὴν μελέτην τῶν λογίων ἐντεῦθεν κρατύνοντες· ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν προσοχὴν καὶ τὸ ἀμετεώριστον τῶν καρδιῶν ἑαυτοῖς διακονούμενοι. —— πάντες κοινῇ ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος καὶ μιᾶς καρδίας, τὸν τῆς ἐξομολογήσεως ψαλμὸν ἀναφέρουσι τῷ Κυρίῳ, ἴδια ἑαυτῶν ἕκαστος τὰ ῥήματα τῆς μετανοίας ποιούμενοι, &c.

ſuperant.

ſuperant. Illuceſcente jam die pariter omnes velut uno ore ac corde uno confeſſionis Pſalmum Deo offerunt; ac ſuis quiſque verbis reſipiſcentiam profitentur. 62 *Horum gratiâ ſi nos fugitis; fugietis ſimul & Ægyptios, fugietis Libyam utramque, Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Phœnicas, Syros, & qui ad Euphraten habitant; &, ut ſemel dicam, omnes, apud quos vigiliæ & preces communeſque pſalmodiæ in pretio ſunt.*

370. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, Baſilii frater.

Tractatu 1. in Pſalmos, cap. 3. 63 *Principio cauſam indagabimus, ob quam cùm adeò vita ex virtute acta difficilis ſit & ardua; myſteriorum tamen & divinorum ſecretorum ænigmaticam & umbratilem doctrinam, & inexplicabilibus involutam tegumentis Theologicam inſtitutionem, tam facilem captu & jucundam* (ἡ διὰ τῶν ψαλμῶν διδασκαλία) *effecerit: ut non modò viri perfecti, & quibus jam animi ſenſa perpurgata ſunt, eruditionem hanc aſſequantur; ſed ut eandem & mulieres ſibi tanquam propriam vendicent: infantibuſque, crepundiorum inſtar, voluptatem pariat; & decrepitis baculi & quietis loco obtingat: illi verò, quibus ætas viget, hujus doctrinæ donum ſuum eſſe exiſtiment: is autem, qui triſti eſt animo, & malè affecto ob eventum quempiam, propter ſe Scripturæ hujus gratiam divinitùs miſſam eſſe credat. Adhæc qui iter ſeu terrâ ſeu mari faciunt, quique ſedentarias artes exercent, & (ut rem in pauca conferam) omnes tam viri quàm mulieres, quodcunque vitæ genus ſectentur, ægri ſimul ac firmi, damnum ſe pati arbitrantur; ſi non ſemper in ore divinam hanc inſtitutionem circumferant. Jam verò & convivia & nuptiales hilaritates Philoſophiam hanc, ut partem lætitiæ, ſuis jucunditatibus adſciſcunt; ut taceamus divinam illam in nocturnis pervigiliis per pſalmos inſtitui ſolitam hymnodiam, Eccleſiæque in his decantandis accuratam ſedulitatem.*

De Vitâ Macrinæ ſororis, paulò poſt init. 64 *Proinde quæ ex divino ſpiritu dictatâ Scripturâ primæ illi ætatulæ* (Macrinæ) *faciliora*

62 Ἐπὶ τούτοις λοιπὸν εἰ ἡμᾶς ἀποφεύγετε, φεύξεσθε μὲν Αἰγυπτίους, φεύξεσθε δὲ καὶ Λιβύας, —— καὶ πάντας ἁπαξαπλῶς, παρ' οἷς ἀγρυπνίαι καὶ προσευχαὶ, καὶ αἱ κοιναὶ ψαλμῳδίαι τετίμηνται.

63 —— θεολογίαν οὕτως εὔληπτόν τε καὶ γλυκεῖαν ἐποίησεν, ὡς μὴ μόνον τελείοις ἀνδράσιν —— ταύτην σπουδάζεσθαι, ἀλλὰ καὶ τῆς γυναικωνίτιδος ἴδιον γενέσθαι κτῆμα, καὶ νηπίοις ὡς τι τῶν ἀθυρμάτων ἡδονὴν φέρειν. —— ὁδοιποροῦντές τε πρὸς τούτοις καὶ θαλαττεύοντες ἄνθρωποι, ἢ τὴν ἐπιδιφρείοις ἐργασίαις προσαγκαλούμενοι, καὶ πάντες οἱ ἁπαξαπλῶς ἐν πᾶσιν ἐπιτηδεύμασιν ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες, ἐν ὑγείᾳ τε καὶ ἀρρωστίᾳ, ζημίαν ποιοῦνται τὸ μὴ διὰ στόματος τὴν ὑψηλὴν ταύτην διδασκαλίαν φέρειν. —— ἵνα παρῶμεν τὴν ἔνθεον ἐν ταῖς παννυχίσι διὰ τούτων ὑμνῳδίαν, &c.

64 Ὅσα τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀληπτότερα (εὐληπτότερα, proculdubiò legendum) ταῖς πρώταις ἡλικίαις δοκεῖ, ταῦτα ἦν τῇ παιδὶ τὰ μαθήματα, &c.

aptioraque

aptioraque videbantur, diſcenda proponebat (mater ejus) *Cum primis autem Sapientiam Solomonis, idque ex eâ potiſſimùm, quod ad vitam & mores maximè conducebat. Erat etiam Pſalmorum haudquaquam ignara; præfinitamque eorum partem ſtatutis temporibus percurrebat.* 65 *Nam ſive ſurgeret è lectulo, ſive ad ſtudia accederet, ſive diſcederet ab eis, ſive cibum ſumeret, ſive à mensâ recederet, ſive cubitum ſe conferret, ſive ad precandum exurgeret; ſemper ut bonam, ſeque nullo tempore deſerentem comitem, Pſalmorum habebat cantilenam.*

Ibid. ante med. 66 *Hunc* (Petrum fratrem) *Macrina paulò poſt ejus ortum ab ubere nutricis ſublatum ipſa ſtatim enutriit, excellentique diſciplinâ educavit, ſacris inſtitutis à puero ipſum erudiens adeò, ut nihil otii conceſſerit, quo poſſet ſtudiis inanibus vacare.*

370. Epiphanius.

Panar. Lib. 2. Tom. 2. Hæreſ. 69. 67 *S. Scripturæ, cùm vitæ impertiendæ vim habent, tum nihil continent, ad quod fideles offendant.* —68 *Neceſſaria & ſincera & ad vitam conciliandam idonea Scripturæ verba.*

Libro 2. Tom. 2. [& Ancorat. cap. 41.] 69 *In Sacrâ Scripturâ nihil eſt obliquum, neque tortuoſum, ſed omnia mirabiliter ad noſtram ſalutem ſcripta ſunt & perfecta.*

Idem in Ancorato, cap. 93. *Scripturæ vita noſtra ſunt,* αἱ γραφαὶ, ἡμετέρα ζωή.

Idem libro 3. extremo, oſtendit Patres habuiſſe ἑρμηνευτὰς γλώσσης εἰς γλῶσσαν, *Interpretes*, qui, ſi opus eſſet, linguam in linguam verterent ἐν τῇ ἀναγνώσει, h. e. cùm Scripturæ populo legebantur. 70 Caſaubon. adv. Perronum, p. 62. Vid Perroni Reſponſ. p. 1094.

371. Protogenes Scriba.

A Valente Imp. Ariano in Antinoen (quæ eſt in Thebaide) relegatus, *pueris docendis operam dedit; atque eos non modò exercuit ad celeri manu ſcribendum,* 71 *verùm etiam ſacra Dei eloquia edocuit. Nam hym-*

65 πανταχοῦ τὴν ψαλμῳδίαν εἶχεν, οἷόν τινα σύνοδον ἀγαθὴν μηδενὸς ἀπολιμπανομένην χρόνου.

66 ——— τοῖς ἱεροῖς τῶν μαθημάτων ἐκ νηπίων αὐτὸν ἐνασκήσασα.

67 Τῆς θείας γραφῆς ζωτικῆς οὔσης, καὶ μηδὲν ἐχούσης εἰς πρόσκομμα πιστοῖς.

68 Ἀναγκαῖα καὶ ἀκέραια καὶ ζωτικὰ τὰ τῆς θείας γραφῆς.

69 Οὐδὲν ἐν αὐταῖς ἐστὶ σκολιὸν ἢ στραγγαλιῶδες.

70 Ἢ ἐν τῇ προσομιλίαις· i.e. cùm concio ad plebem fieret. Vid. Auctarium, c. 2. ad an. 335.

71 ——— τὰ θεῖα ἐξεπαίδευσε λόγια. Δαυϊτικάς τε γὰρ αὐτοῖς ὑπηγόρευσε μελῳδίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας ἐκμανθάνειν τὰ πρόσφορα παρεσκεύασεν.

nos

nos Davidis tanquam dictata illis propoſuit; & eas Apoſtolicæ doctrinæ ſententias, quas eorum ingeniis accommodatas putabat, ediſcendas tradidit. Theodoret. lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 16.

Eant nunc Colonienſes Jeſuitæ, [h] & Monhemium reprehendant, quòd diſcipulis ſuis provectioribus ſcripta vatum ac Apoſtolorum ſe explicaturum polliceatur. Sed bonis iſtis Theologis ignoſcendum eſt; quippe qui non Protogenem, ſed Ariſtotelem, hìc ſibi ſequendum propoſuerunt. *Juvenibuſne*, inquiunt, *quis arcana hæc Scripturæ myſteria audeat concredere; quos Ariſtoteles ipſe ob nimias animorum ſuorum perturbationes non ſatis accommodos auditores eſſe moralis Philoſophiæ fatetur?* lib. 1. Ethicorum cap. 3.

380. De Apollinariorum in hâc re ſtudio vid. Socratem, lib. 3. cap. 14.

380. De Placillæ Auguſtæ ſtudio vid. Theodoret. l. 3. Hiſt. c. 18. Nicephor. l. 12. c. 42.

380. Gregorius Nazianzenus.

In Orat. 1. adv. Eunomianos, laudat verbum *illud vatis*, *quod nos in lege Domini die noctuque meditando verſari jubet* (Elias Cretenſis in illum locum) Conſulatur textus Græcus, vel alia tranſlatio ab eâ quam habuimus Johannis Leunclavii. Suſpectus enim hoc loco eſt.

72 In Oratione de moderandis diſputationibus. Ἐγὼ πρῶτος τῶν ἐπαινούντων εἰμὶ σοφίαν, κἂν τοῖς θείοις λόγοις ἀσχολουμένων ἢ ἀσχολεῖσθαί γε βουλομένων, καὶ μήποτε πρὸ ταύτης τὶ θεῖον ἀγαπῶν, &c. h. e. *Equidem vel princeps illorum in numero ſum, qui laudant ſapientiam illorum, qui incumbunt divinis literis, vel incumbere iis cupiunt; adeóque huic occupationi*

[h] Cenſur. in præfat. Catech. Monhemii.

72 Quâ fide locum iſtum reddiderit Leunclavius, mihi non conſtat, cùm verſio ejus ad manum non ſit. Puto tamen propterea ſuſpectum fuiſſe Reverendiſſimo Primati, quòd verba iſta, [*in Lege Domini*] miſſa fecerit. Et ſanè Nazianzenum iſto loco de meditatione in lege Domini agere, tum totus orationis ſcopus, tum Eliæ Cretenſis autoritas, ſuadent. Binas tamen haſce voces ipſe omiſit, locum compendio tiraſſe contentus. Sic enim Græcus ſe habet textus. Κἀγὼ τῶν ἐπαινούντων εἰμὶ τὸν λόγον, ὃς μελετᾷν ἡμέρας καὶ νυκτὸς διακελεύεται, καὶ ἑσπέρας, καὶ πρωΐ, καὶ μεσημβρίας διηγεῖσθαι, καὶ εὐλογεῖν τὸν κύριον ἐν παντὶ καιρῷ. Quæ ita vertit Jacobus Billius. *Nam & ego inter eos nomen meum profiteor, qui verbum illud probant, quod nos die ac nocte jubet meditari, veſpere & manè & meridie narrare, ac denique benedicere Dominum in omni tempore.* Neque diſſimiliter locum tranſtulit Petrus Moſellanus in editione Hervagianâ, *Baſil.* 1550.

nunquam

nunquam aliud quicquam anteferre velim, ne infælix ab ipsâ dicar ſapientiâ, qui ſapientiam & eruditionem contemnam. [*Quiſquis enim* (notat hìc Elias) *ſapientiam & eruditionem nihil facit, atque illi aliud quidpiam anteponit, infelix eſt, ut ait Solomon.*]

Ibid. cùm dixiſſet, aeris, ignis, aquæ, terræ, pluviarum, fructuum, tecti, indumenti uſum communem eſſe; nec quenquam tantum eſſe tyrannum, ut ſolus communi beneficio frui velit; aurum verò, pretioſos lapides, veſtitum mollem & operoſum, exquiſitam menſam, facultates ſuperfluas paucorum eſſe; hoc 73 *etiam in fide locum habere* ſubjungit. *Communia enim ſunt*, inquit, *lex, Prophetæ, teſtamenta, teſtamentorum oracula, gratia, puerilis inſtitutio, perfectio* (i. e. *ſublimior doctrina*, inquit Elias) *Chriſti paſſiones, nova creatura, Apoſtoli, Evangelia, diſtributio ſpiritûs, fides, ſpes, charitas, &c.* (quaſi diceret, *Nihil iis, quæ indicavimus, eſſe majus poteſt, nihil ſublimius, nihil ad omnes communius. Nimirum ad omnes hæc ſpectant: omnibus ex æquo patent.* Elias.) *Quid poſſit his eſſe majus, quid etiam communius? At quæ ſupra hæc ſunt, quanquam ob raritatem majoris videantur pretii; neceſſitatis tamen reſpectu ſunt poſteriora. Nam ea, ſine quibus eſſe Chriſtiano non licet, utiliora ſunt illis, quæ pauci conſequentur.* [*Teſtamenta*, inquit hìc Elias, *ſunt, quæ tam in lege quàm vatibus continentur; vel etiam tam vetus Teſtamentum, quàm novum. Evangelia vocat quatuor Evangelicæ Hiſtoriæ ſcriptorum commentarios, &c.*]

De veris ac genuinis Scripturæ libris. 74 *In divinis oraculis animo ac linguâ dies noctesque verſate. Aut enim Deus hanc laboribus noſtris mercedem rependit; ut occultum quoddam lumen in ipſis cernamus: aut quod præſtantiſſimum eſt, ut ſalutiferis ipſius legibus ac præceptis ad virtutem incitemur: aut poſtremò hujuſcemodi curâ & moderatione mens noſtra à terrenarum rerum ſtudiis avocetur.*

Adversùs mulieres ambitioſiùs ſe ornantes. 75 *Mulierum ornamentum eſt, morum probitate & elegantiâ florere, domi utplurimùm manere, colloquium cum divinis oraculis habere.*

Objicitur quidem ex Gregorii Nazianzeni oratione 22. de modeſtiâ in diſputationibus iſte locus. *Sanè & apud nos, quemadmodum veteres*

73 Τοῦτο καὶ περὶ τὴν πίστιν ἐγὼ θεωρῶ· κοινά, νόμος, προφῆται, διαθῆκαι, λόγια διαθηκῶν, χάρις, παιδαγωγία, τελείωσις, —— ἀπόστολοι, εὐαγγέλια, —— καὶ οὐ πρὸς μέτρον, —— ἀλλὰ καθ' ὅσον ἕκαστος βούλεται. —— τούτων τί μεῖζον; τί δὲ κοινότερον; —— ὧν γὰρ ἄνευ τὸ εἶναι χριστιανὸν οὐχ οἷόν τε, ταῦτα τῶν ὀλίγοις ἐφικτῶν χρησιμώτερα.

74 Θείοις ἐν λογίοισιν ἀεὶ γλώσσῃ τε νόῳ τε Στρωφᾶσθε· ἢ γὰρ ἔδωκε θεὸς καμάτων τόδ' ἄεθλον, &c.

75 Ὁ τρόπος ἐστὶ γυναιξὶ τὸ τίμιον, οἰκάδε μίμνειν Πλείονα, καὶ θείοις προσλαλέειν λογίοις.

• *ſapientes*

ſapientes Hebræos, legem condere deceret. Illi enim nequaquam permittebant, ut juvenes ſacros legerent libros, tanquam inutiles animabus infirmis adhuc & tenellis: quò non omni, nec ſemper, concederentur omnia; ſed præſcriberentur, quibus fidei imbui deberent ſermonibus. Reſpondeo opponendo locum ſupra adductum ex eadem oratione. Vid. Reſponſionem meam ad Fitſium. 76

400. Scythæ, & Armeni.

Joannes Chryſoſtomus *complures* 77 *qui Scythicâ linguâ loquebantur, Presbyteros, Diaconos, & Lectores ordinavit: illiſque unam* [cum Scythis Arianiſmo infectis] *tribuit Eccleſiam; quorum operâ multos errore lapſos Eccleſiæ reconciliavit.* Theodoret. lib. 5. Hiſt. Eccleſ cap. 30. *Fertur Chryſoſtomus Novum Teſtamentum & Davidicos Pſalmos in linguam Armenicam convertiſſe.* Azorius Jeſuita Inſtitut. Moral. lib. 8. cap. 26. pag. 714.

390. Johannes Chryſoſtomus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus.

In Geneſ. Homil. 6. 78 *Et librum divinum accipiat aliquis in manus; convocatiſque proximis per divina eloquia riget & ſuam & convenientium mentem.*

Homil. 9. 79 *In divinis autem ſcripturis, & in ſpiritualibus & pretioſis illis lapidibus, neque periculum ſuſpicari licet, neque multus eſt labor, ſed lucrum ineffabile: tantùm ea quæ noſtra ſunt, cum alacritate afferamus. Gratia enim parata eſt, quærens eos qui ſe cum largitate ſuſcipiant. Ita enim ſe habet Dominus noſter, quòd ſi viderit animam vigi-*

76 Biblialdi Pircheimeri verſione uſus eſt Cl. Uſſerius; quæ cùm minimè accurata ſit, legentibus movit ſcrupulum. Iſtum autem exemit fidelior Billii verſio, Græco conſona. *Ac profectò legem quoque apud nos conſtitutam eſſe oportebat, quæ juberet, ut quemadmodum olim apud Sapientes Hebræos, à QUIBUSDAM* [ſc. à quibuſdam Geneſeos capitulis, & à Cantico Canticorum,] *Scripturæ Sacræ libris juvenes arcebantur* [καθάπερ τοῖς πάλαι σοφοῖς Ἑβραίων, ἔστιν ἃς τῶν ἱερῶν βίβλων μὴ ἀναγινώσκειν τοῖς νέοις] *utpote tenerioribus adhuc minimèque firmis animis haudquaquam profuturis: eodem quoque modo, non quibuslibet, nec ſemper, ſed certo tempore, ac certis hominibus, de fide diſputandi poteſtas fieret.* [τὸ περὶ πίστεως συγχωρεῖσθαι λόγον.]

77 Ὁμογλώττους ἐκείνων πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ τοὺς τὰ θεῖα ἀναγινώσκοντας ... ἀντιβαλλόμενος, &c.

78 Καὶ βιβλίον τις θεῖον λαβὼν μετὰ χεῖρας καὶ συγκαλέσας τοὺς πλησίον, διὰ τῶν θείων λόγων ἀρδέτω καὶ τὴν ἑαυτοῦ διάνοιαν, καὶ τὴν τῶν συνειλεγμένων.

79 Ἐπὶ δὲ τῶν θείων γραφῶν, —— οὔτε κίνδυνον ἔστιν ὑποπτεῦσαι, καὶ ὁ πόνος οὐ πολύς, καὶ τὸ κέρδος ἄφατον.

lem & deſiderium fervens ; & ipſe ſuas divitias largiter ſuppeditat pro ſuâ magnificentiâ, ultra etiam quàm petere audeamus. Ibid. 80 *Operam damus, ut quotidie ſententias quaſdam divinæ ſcripturæ veſtræ menti interſeramus, &c.*

Homil. 10. 81 *Hæc ſi rectè tenemus, poterimus & domi verſantes, ante & poſt convivium acceptis in manus divinis libris utilitatem inde capere & ſpiritualem cibum animæ præbere. Nam ſicut corpus indiget ſenſibili cibo ; ita & anima quotidianâ ſpiritualium ciborum refocillatione ; ut roborata adversùs carnis inſultus & continuum bellum, quo urgemur, reſiſtere poſſit. Et periculum eſt, ne in ſervitutem redigatur anima, ſi vel parùm deſides eſſe voluerimus. Proinde Propheta David beatum illum dixit, qui in lege Domini meditatur die ac nocte, &c.* Ibid. 82 *Hæc noſtra ſalus eſt, hæ ſpirituales divitiæ, hæc ſecuritas ; ſi ſic nos ipſos quotidie munimus & per lectionem & per auditum & per ſpirituale verbum : ſic poterimus ipſi invicti fieri, &c.*

Homil. 12. *Sciens miſericors Dominus noſtræ voluntatis infirmitatem & ad labendum proclivitatem,* 83 *magna nobis medicamina in ſacrarum ſcripturarum lectione reliquit ; quæ cùm ſubinde vulneribus noſtris imponimus, & vitam illorum beatorum virorum ante oculos proponimus ; ad æmulandum provocemur, & virtutem non negligamus.*

Homil. 21. *Neque frigida illa verba proferamus, & dicamus ; Mundanus ſum, & mulierem habeo, & puerorum curam gero ; qui multis mos eſt ut ita dicant,* 84 *quando eos rogamus ut ad virtutum labores ingrediantur, vel ſtudium adhibeant in ſacris literis legendis. Non eſt hoc meum, dicit. Nunquid renunciavi ſæculo ? Nunquid Monachus ſum ? Quid dicis, homo ? An hoc ad ſolos Monachos pertinet, ut benè Deo placeant, &c. Oro igitur ne noſmetipſos fallamus, ſed quantò magis hujuſcemodi curis implicamur, tanto magis remedia ex lectione divinarum Scripturarum ſuſcipiamus.* Et poſt. 85 *Sed ſi volueris, ſicut quotidie cor-*

80 Καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν νοήματα ἐνιέναι ὑμῶν τῇ διανοίᾳ σπουδάζομεν.

81 —— δυνησόμεθα καὶ ἐπὶ οἰκίας διατρίβοντες, καὶ μετὰ τὴν ἑστίασιν καὶ πρὸ τῆς ἑστιάσεως μετὰ χεῖρας λαβόντες τὰ θεῖα βιβλία, τὴν ἐξ αὐτῶν καρπώσασθαι ὠφέλειαν, καὶ τὴν πνευματικὴν τροφὴν τῇ ψυχῇ παρέχειν, &c.

12 Τοῦτο γὰρ ἡμῶν ἡ σωτηρία, οὗτος ὁ πλοῦτος ὁ πνευματικός, τοῦτο ἡ ἀσφάλεια, ἐὰν οὕτως ἡμᾶς καθ' ἡμέραν τειχίζωμεν, καὶ δι' ἀναγνώσεως, καὶ &c.

83 —— μεγάλα φάρμακα ἡμῖν καταλέλοιπε τὴν ἐκ τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν.

84 Ἐπειδὰν αὐτοὺς παρακαλῶμεν εἰς τοὺς ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς πόνους, ἢ περὶ τὴν τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν πολλὴν ποιεῖσθαι τὴν σπουδήν. —— ὅσῳ ταύταις φροντίσιν ἐνεχόμεθα, τοσούτῳ μᾶλλον τὰ ἀπὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν θείων γραφῶν φάρμακα δεχώμεθα.

85 Παρέχειν αὐτῇ τὴν κατάλληλον τροφήν, τὴν ἐκ τῆς τῶν γραφῶν ἀναγνώσεως, καὶ τῆς πνευματικῆς νουθεσίας παραίνεσιν.

pori

pori cibum ſuppeditas, ita & animam non deſpicere, ut ne fame pereat; ſed dare ipſi congruum cibum, admonitionem videlicet, ex lectione ſcripturarum, & ſpiritualis adhortationis, &c.

Homil. 28. 86 *In hoc invigilamus & incumbimus; ut vos omnes perfecti & conſummati fiatis, & nihil eorum, quæ in divinis Scripturis continentur, vos lateat. Etenim eorum notitia, ſi vigiles ſobriique eſſe volumus, & ad melioris vitæ frugem plurimum nobis conferet, alacrioreſque ad virtutum labores faciet.*

Homil. 29. 87 *Vidiſti quomodo quacunque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex Scripturis antidotum accipere liceat; & omnis vitæ hujus repellatur cura; neque ab ullo quod accidit, gravemur? Propterea obſecro, ut ſubinde huc veniatis, & divinæ Scripturæ lectionem diligenter auſcultetis; non ſolùm cùm huc venias, ſed & domi divina Biblia in manus ſumite; & utilitatem in illis poſitam magno ſtudio ſuſcipite. Inde enim multum lucri naſcitur. Primùm quidem, ut lectione lingua reformetur; deinde anima pennas aſſumit & elevatur, jubaréque ſolis juſtitiæ illuſtratur, perque tempus illud ab immundarum cogitationum illecebris liberatur, multâ quiete ac tranquillitate fruens. Inſuper quod ad augendas vires corpori, ſenſibilis ille cibus facit, id animæ lectio præſtat: Spirituale enim alimentum eſt; & fortem reddit animam, & conſtantiorem, & magis Philoſophicam: non permittens ut à cogitationibus abſurdis capiatur; ſed levem & alatam faciens, in cælum ipſum, ut dicitur, transfert.* 88 *Tantum igitur lucrum oro ne per negligentiam amittamus; ſed etiam domi vacemus divinarum Scripturarum lectioni; & hîc præſentes non in nugis & inutilibus colloquiis tempus decoquamus. Et propter quod convenimus, attendamus quæ legantur; ut majore inde fructu percepto diſcedere liceat.*

86 ——ὥστε μηδὲν ὑμᾶς λανθάνειν τῶν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κειμένων. Ἡ γὰρ τούτων γνῶσις—καὶ πρὸς τὴν ἀρίστην πολιτείαν τὰ μέγιστα ἡμῖν συμβαλεῖται, &c.

87 —— κατάλληλον ἐντεῦθεν φάρμακον λαβόντα ἀπελθεῖν ——διὰ τοῦτο παρακαλῶ καὶ συνεχῶς ἐνταῦθα βαδίζειν, καὶ μετὰ ἀκριβείας προσέχειν τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει· μὴ μόνον ἐπειδὰν ἐνταῦθα παραγίνεσθε, ἀλλὰ καὶ οἴκαδε μετὰ χεῖρας λαμβάνειν τὰ θεῖα βιβλία, καὶ μετ᾽ ἐπιμελείας δέχεσθαι τὴν ἐγκειμένην ὠφέλειαν, &c.

88 Μὴ τοίνυν ἀμελῶμεν, παρακαλῶ, τοῦ τοσούτου κέρδους, ἀλλὰ καὶ ἐπ᾽ οἰκίας σπουδάζωμεν τῇ ἀναγνώσει τῶν θείων προσέχειν γραφῶν· καὶ ἐνταῦθα παραγινόμενοι μὴ εἰς φλυαρίας καὶ ἀνονήτους ὁμιλίας τὸν καιρὸν καταδαπανῶμεν, ἀλλὰ δι᾽ ὃ παραγεγόναμεν, εἰς τοῦτο συντείνωμεν ἑαυτοὺς, καὶ προσέχωμεν τοῖς ἀναγινωσκομένοις, ἵνα καρπωσάμενοί τι πλέον οὕτως ἐντεῦθεν ἐξέλθητε.

Homil. 32. 89 *Non ideo quotidie* [in Eccleſiam] *confluimus, ut duntaxat conventus fiant ſimpliciter: ſed propterea congregamur, ut unuſquiſque pharmaco ſuis affectionibus congruo ſuſcepto, domum concedat. Quomodo enim non fuerit abſurdiſſimum, quòd à puerulis noſtris quotidie à ſcholis redeuntibus petimus, quid amplius diſcendo profecerint & adjecerint (neque enim ſineremus eos fortuitò & abſque utilitate in ludum ire, niſi fructum ampliorem inde conſecuturos videremus) nos autem qui juſtam ætatem habemus, & in ſpiritualibus ſcholis ſumus, non par illis ſtudium exhibemus; maximè cùm hæc in lucrum & ſalutem animarum ſpectent? Igitur obſecro, ut ſeipſum quotidie ſcrutetur unuſquiſque, quid ex hodiernâ, quid ex proximâ lectione, utilitatis retulerit; ut ne videamur & nos temerè atque fruſtra adeſſe.*

Homil. 35. 90 *Proinde magnâ diligentiâ divinarum Scripturarum lectioni vacemus. Ita enim & ſcientiam aſſequemur, ſi ad ea quæ ibi ſita ſunt, continuò accedamus. Neque enim fieri poteſt, eum qui in divinis Scripturis magno ſtudio ferventique deſiderio vacat, ſemper negligi. Sed licèt deſit nobis hominis magiſterium; ipſe Dominus ſupernè corda noſtra intrans, illuſtrat mentem, rationi jubar ſuum infundit, detegit occulta, doctorque fit eorum quæ ignoramus: tantùm nos, quæ à nobis ſunt, afferre velimus.* Ibid. *Cogita enim obſecro, quantum erat neque in itinere lectionem negligere, & præſertim ſedentem in curru.* 91 *Audiant exemplum ii, qui neque domi ut hoc faciant, perſuaderi poſſunt; ſed putantes ſupervacuam eſſe horum lectionem, quia vel mulieri cohabitant, vel militiæ aſcripti ſunt, vel puerorum & ſervorum aliorumque negotiorum agant curam; non convenire ſibi arbitrantur, quòd divinæ Scripturæ lectioni incumbant.* Ibid. 92 *Unde non dicebat, quæ nunc plerique dicunt: Non intelligo ea quæ ſcripta ſunt; non poſſum intelligere profunditatem Scripturarum: Quare fruſtra & incaſſum laborem ſuſtinerem: Lego, & non habeo, qui manuducat.*

89 ——— ἀλλ' ἵνα ἕκαστός τι τῶν χρησίμων μαθὼν, καὶ πρὸς τὸ ἐνοχλοῦν πάθος τὴν ἰατρείαν δεξάμενος, οὕτως ἐντεῦθεν ἀναχωρήσῃ. Πῶς γὰρ οὐκ ἂν εἴη τῶν ἀτοπωτάτων τὰ μὲν παιδία, &c. ——— ἡμᾶς δὲ τοὺς εἰς μέτρον ἡλικίας φθάσαντας, καὶ εἰς τὸ πνευματικὸν τοῦτο διδασκαλεῖον παραγινομένους, μὴ τὴν ἴσην ἐκείνοις σπουδὴν ἐπιδείκνυσθαι. ——— ἕκαστος τοίνυν, παρακαλῶ, ἑαυτὸν καθ' ἑκάστην ἡμέραν διερευνάσθω, τί μὲν ἐκ τῆς ἡμερινῆς ἐκέρδανε διαλέξεως, τί δὲ καὶ ἐκ τῆς ἐπιούσης, &c.

90 Παρακαλῶ, μετὰ πολλῆς σπουδῆς τὴν ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν ποιώμεθα· οὕτω γὰρ καὶ τῆς γνώσεως ἐπιτευξόμεθα. &c. ——— ἀλλὰ κἂν ἄνθρωπος ἡμῖν μὴ γένηται διδάσκαλος, &c.

91 Ἀκουέτωσαν οἱ μηδὲ ἐπὶ τῆς οἰκίας τοῦτο ποιῆσαι καταδεχόμενοι, ἀλλὰ νομίζοντες περιττὸν εἶναι τὴν τούτων ἀνάγνωσιν, &c.

92 Οὐκ ἔλεγε ταῦτα, ἃ νῦν πολλοὶ λέγουσιν, οὐ νοῶ τὰ ἐγκείμενα, οὐ δύναμαι συνιέναι, &c.

Homil.

Homil. 29. 93 *Ingreditur quis huc triſtitiâ & negotiorum ſollicitudine oneratus; & ingreſſus huc ita mœrore adobrutus, ſtatim ut audivit Prophetam dicentem,* [i] Quare triſtis es anima mea? ſpera in Deum, quoniam confitebor ei; ſalutare vultûs mei & Deus meus: *ſufficienti conſolatione ſuſceptâ abit, & omnem illam mentis triſtitiam excutit.*

Homil. 30. 94 *Toti nitamur & loquamur; ut non ſolùm verba, ſed & mens verborum comes, Deum accedant. Nam ſi lingua quidem proferat verba, mens autem foris ſit, ſua tractans negotia, & imaginans quæ in foro aguntur; nulla nobis utilitas eſt, fortaſſis autem & major condemnatio.* Et paulò poſt: *Propter hoc & Paulus ſcribens docebat,* 95 *Orantes omni tempore, orate & in ſpiritu, non linguâ tantùm; & cum perpetuâ, inquit, vigilantiâ, ſed & in ſpiritu. Spirituales enim, inquit, ſint veſtræ petitiones, ſobria ſit ratio; & iis, quæ dicuntur, mens intendat.*

Homil. ex Pſal. XC. *Pſalmum nonageſimum Deo demonſtrante atque enodante propoſui exponere; ut omnis, qui eum pſallit, ſciat cui pſallit, quare pſallit, & quid pſallat.*

Homil. 1. ex illo Eſaiæ, Vidi Dominum ſedentem in throno. *Hoccine eſt cum tremore ſervire, ſic diffundi diſtendique,* 96 *ut nec ipſe ſcias quid loquaris incompoſito vocis boatu?* Ibid. 97 *Nulla res enim eloquia Dei æque ducit in contemptum, atque ſpectaculorum, quæ illic proponuntur, admiratio. Proinde frequenter vos hortatus ſum, ne quis eorum,* 98 *qui huc adveniunt, divinâque doctrinâ fruuntur, quique horrendæ ac myſticæ victimæ participes ſunt; ad illa iret ſpectacula.*

Homil. 2. in eadem verba. 99 *Satis eſt enim introſpexiſſe* [Scripturas] *ut omni expleti fructu diſcedatis: ſatis eſt tantùm aperuiſſe, ut illicò videas gemmarum ſplendorem. Hæc autem mihi non temere dicta*

[i] Pſalm. XLI.

93 Εἰσέρχεταί τις ἐνταῦθα λύπῃ καὶ πραγμάτων περιστάσει πιεζόμενος; —— εἰσελθὼν καὶ εὐθέως ἀκούσας τοῦ προφήτου λέγοντος, ἵνα τί περίλυπος, &c. ἱκανὴν λαβὼν παραμυθίαν ἄπεισι, &c.

94 —— Ἵνα μὴ μόνον ἡ γλῶττα φθέγγηται, ἀλλὰ καὶ διάνοια συμβαίνῃ τοῖς λεγομένοις· ἐὰν γὰρ ἡ γλῶττα μὲν προφέρῃ τὰ ῥήματα, ἡ δὲ διάνοια ἔξω ῥέμβηται, &c.

95 Προσεύχεσθε καὶ ἐν πνεύματι, μὴ γλώσσῃ μόνον, καὶ κατὰ ἀγρυπνίας διηνεκῶς, φησὶν, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ, ἐν πνεύματι, &c.

96 Μηδὲ σεαυτὸν ἐπίστασθαι περὶ τίνων διαλέγῃ τῇ ἀτάκτῳ τῆς φωνῆς ἐκχύσει;

97 Οὐδὲν γὰρ οὕτω καταφρονεῖν τῶν τοῦ Θεοῦ παρασκευάζει λογίων.

98 Τῶν ἐνταῦθα παραγινομένων, καὶ τῆς θείας διδασκαλίας ἀπολαυόντων.

99 Ἀρκεῖ γὰρ παρακύψαι μόνον, καὶ πάσης ἐμπλησθέντας ὠφελείας ἀπελθεῖν.

ſunt;

ſunt ; neque fortuitò produxi ſermonem ; 100 *ſed ob id, quòd ſunt homines quidam opifices ; qui poſtquam ſacros libros in manus ſumpſerint, deinde repererint vel annorum numerum poſitum, vel nominum recenſionem, illicò prætercurrunt, & incuſantibus reſpondent : Nomina tantùm ſunt, neque quicquam habent utilitatis.*

Homil. in Eſai. LXII. *Hoc quod etiam ipſi optimè nôſtis, qui legiſtis, & in lectionibus divinis agnoviſtis.*

In Matth. Homil. 1. 101 *Scripturæ & ſervo & ruſtico, & viduæ & puero, & ei qui valdè imprudens videatur eſſe, faciles ſunt ad intelligendum.* Vid. fol. 4. G. K. Edit. Pariſ. 1546. & fol. 3. M.

Homil. 2. Populi negligentiam in legendis & memoriter ediſcendis Scripturis reprehendit, & addit. *Sed eſtne horum criminum tandem aliqua defenſio? Non ſum, inquit, ego Monachus ; uxorem habeo & filios, & curam domûs gero. Hoc* 102 *enim eſt, quod omnes quaſi unâ quâdam peſte corrumpit : quoniam lectionem divinarum Scripturarum ad ſolos putatis Monachos pertinere ; cùm multò magis vobis quàm illis ſit neceſſaria. Qui enim verſantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine, &c.*

Homil. 5. *Non enim oporteat omnino à cœtu Eccleſiæ recedentes contrariis huic ſtudio negotiis implicari ;* 103 *ſed domum continuò revertentes, ſacros replicare libros, & conjugem pariter liberoſque ad eorum, quæ dicta ſunt, collationem vocare.*

Homil. 49. Ubi monet loco morionum & gnathonum pauperes homines & liberos in convivio adhibendos, & quid ob eam rem mercedis ab illis ſit exigendum. 104 *Quòd ſi uberiores,* inquit, *fructus ab eis capere volueris ; jube cùm aliarum rerum curam agis, divinas ab eis legi Scripturas. Libentiùs in his morem tibi gerent, quibus tam tu quàm illi honeſtiores efficimini ; quàm in illis gnathonicis, quibus unà omnes dehoneſtamini, tu quaſi contumeliator ac temulentus, illi quaſi miſeri ac ventri ſervientes.*

In primâ parte Concionis 3. de Lazaro ex XVI. Lucæ, ex profeſſo hoc argumentum tractat Chryſoſtomus, & in eo multò vehementior eſt,

100 Ἀλλ' ἐπειδὴ τινές εἰσιν ἄνθρωποι βάναυσοι, οἳ, ἐπειδὰν τὰς θείας μετὰ χεῖρας λάβωσι βίβλους, εἶτα ἀριθμὸν χρόνων, &c.

101 Καὶ γηπόνῳ καὶ οἰκέτῃ καὶ γυναικὶ χήρᾳ, καὶ παιδὶ αὐτῷ καὶ τῷ σφόδρα ἀνοήτῳ δοκοῦντι εἶναι, πάντα εὐσύνοπτα καὶ ῥᾴδια καταμαθεῖν.

102 Τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ πάντα ἐλυμήνατο, ὅτι ἐκείνοις μόνοις [τοῖς μονάχοις] νομίζετε προσήκειν τὴν ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν, πολλῷ πλέον ἐκείνων ὑμεῖς δεόμενοι, &c.

103 ——ἀλλ' εὐθέως οἴκαδε ἐλθόντας τὸ βιβλίον μεταχειρίζεσθαι, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ παιδία πρὸς τὴν κοινωνίαν τῶν εἰρημένων καλεῖν συλλογῆς.

104 Εἰ δὲ καὶ ἑτέραν βούλει δι' αὐτῶν καρποῦσθαι παράκλησιν, κέλευσον πολλῷ ἄγαν βιβλία λαβόντας τὸν θεῖον νόμον ἀναγινώσκειν.

quàm

quàm ex noſtris ullus. Locus eſt inſignis; & qui legatur, digniſſimus. Paucula quædam exinde deſcripta repræſentabo. 105 *Idque ſemper hortor, & hortari non deſinam, ut non hîc tantùm attendatis iis quæ dicuntur; verum etiam quùm domi fueritis, aſſiduè divinarum Scripturarum lectioni vacetis. Neque verò mihi quiſquam proferat putida illa & abſurda verba, planeque damnanda, Ego forenſibus cauſis affixus ſum, artificium exerceo, &c. non eſt meum legere Scripturas, ſed eorum qui mundo dixerunt vale. ——Quid ais homo? Non eſt tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis diſtraheris? Immo tuum magis eſt quàm illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum egent præſidio atque vos, in mediis negotiorum undis jactati. ——Unde neceſſe eſt indeſinenter à Scripturis armaturam ſumere. —— Prohibeamus eminus venientia diaboli ſpicula extinguentes depellenteſque per aſſiduam Scripturarum lectionem. Neque enim fieri poteſt; non poteſt, inquam, fieri; ut quiſquam ſalutem aſſequatur, ni perpetuò verſetur in lectione ſpiritali. ——Annon vides fabros ærarios, aurifices, &c. omnia artis inſtrumenta habere parata & integra, quamvis compellat fames, quamvis affligat inopia? ——Hoc ſanè animo nos quoque præditos eſſe oportet. Quemadmodum enim illis artis inſtrumenta ſunt, malleus, incus, forceps; ſic & nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri, omniſque Scriptura divinitus inſpirata & utilis. ——Quid igitur, inquiunt, ſi non intelligamus ea quæ continentur libris? Maximè quidem etiamſi non intelligas illic recondita; tamen ex ipsâ lectione multa naſcitur ſanctimonia. Quanquam fieri non poteſt, ut omnia ex æquo ignores; propterea ſiquidem ſpiritûs gratia diſpenſavit ac providit; ut publicani, piſcatores, tabernaculorum opifices, paſtores & caprarii, idiotæ, illiterati, hos libros componerent; & ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere poſſet excuſationem; ut omnibus facilia conſpectu eſſent ea quæ dicuntur; ut & opifex & famulus, & vidua mulier & omnium hominum indoctiſſimus ex auditâ lectione aliquid*

105 Καὶ τοῦτο ἀεὶ παρακαλῶ, καὶ παρακαλῶν οὐ παύσομαι, ἵνα μὴ μόνον ἐνταῦθα τοῖς λεγομένοις προσέχητε, ἀλλὰ καὶ οἴκοι γενόμενοι, τῇ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀναγνώσει συνεχῶς ἐνδιατρίβητε. —— τί λέγεις, ἄνθρωπε; οὐκ ἔστι σὸν ἔργον γραφαῖς προσέχειν, —— τῆς ἀπὸ τῶν γραφῶν πανοπλίας χρεία διηνεκῶς. —— διὰ τῆς συνεχοῦς τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσεως. Οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι τινὰ σωθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως ἀπολαύοντα πνευματικῆς —— οὕτω δὴ καὶ ἡμῖν ἐργαλεῖα τῆς τέχνης ἐστὶν, ἀποστολικὰ καὶ προφητικὰ βιβλία, καὶ πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος. —— κἂν μὴ εἰδῇς τὰ ἐγκείμενα, ἀπ' αὐτῆς τῆς ἀναγνώσεως πολὺς ὁ ἁγιασμὸς γίνεται. —— ἵνα μηδεὶς τῶν ἰδιωτῶν εἰς ταύτην ἔχῃ καταφεύγειν τὴν πρόφασιν· ἵνα πᾶσιν εὐσύνοπτα ᾖ τὰ λεγόμενα, ἵνα καὶ ὁ χειροτέχνης, &c. καὶ ὁ πάντων ἀνθρώπων ἀμαθέστατος κερδάνῃ τε καὶ ὠφεληθῇ παρὰ τῆς ἀκροάσεως. —— σαφῆ καὶ δῆλα τὰ παρ' ἑαυτῶν κατέστησαν ἅπασιν —— ἵνα ἕκαστος καὶ δι' ἑαυτοῦ μανθάνειν δύνηται ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μόνης τὰ λεγόμενα. —— μεγάλη προδοσία σωτηρίας, τὸ μηδὲν ἀπὸ τῶν θείων εἰδέναι νόμων· τοῦτο καὶ αἱρέσεις ἔτεκε, τοῦτο καὶ βίον διεφθαρμένον εἰσήγαγε, τοῦτο τὰ ἄνω κάτω πεποίηκεν, &c.

lucri

lucri utilitatiſque reportaret. ——Apoſtoli ac Prophetæ omnia manifeſta claraque, quæ prodiderunt, expoſuerunt omnibus, veluti communes orbis Doctores; ut per ſe quiſque diſcere poſſit ea, quæ dicuntur, ex ſolâ lectione. ——Cui enim non ſunt manifeſta, quæcunque in Evangelio ſcripta ſunt? ——Prætextus iſte eſt, & cauſatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ inſunt? Quomodo poſſis aliquando intelligere, qui ne leviter quidem inſpicere velis? Sume librum in manus, lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt memoriâ tenens, ea quæ obſcura ſunt parumque manifeſta, frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur; accede ad ſapientiorem, vade ad Doctorem, communica de his quæ ſcripta ſunt, declara vehemens ſtudium. ——Ne neglexerimus noſtram ſalutem, dilectiſſimi. Hæc omnia ſcripta ſunt propter nos, &c. Magna adversùs peccatum munitio eſt Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio; magna ſalutis perditio, nihil ſcire ex divinis legibus: ea res & hæreſes peperit, ea vitam corruptam invexit; hoc ſurſum deorſum miſcuit omnia, &c.

In Johan. Homil. 1. de Johannis Evangelio loquens, 106 *Syri*, (inquit) *Ægyptii, Indi, Perſæ, Æthiopes & innumeræ aliæ gentes, in ſuam transferentes linguam, homines barbari Philoſophari didicerunt. Non temerè igitur dixeram Johanni theatrum eſſe univerſum orbem.* Et paulò poſt: 107 *Hujus autem doctrina ſolis radiis clarior eſt atque illuſtrior, ideoque in omnes mortales propagata.* Item. *Tantâ doctrinam ſuam perfudit facilitate; ut non modò ſapientibus,* 108 *ſed & mulierculis & adoleſcentulis, quicquid dixerit, ante oculos poneret.*

Homil. 2. circa initium, locus eſt maximè inſignis: ubi vehementer admonet, ut pueri etiam ſacris literis inſtituantur.

Homil. 10. 109 *Quid igitur à vobis contendimus? ut unâ dierum in hebdomade, vel ſaltem ſabbato, curæ vobis ſit Evangelicas legere lectiones; quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter ſenſum exquirere, quid clarum, quid obſcurum in his ſit, adnotare velitis; quid pugnare videatur, cùm non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quàm attentiſſimos exhi-*

106 Σύροι καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Ἰνδοὶ καὶ Πέρσαι καὶ Αἰθίοπες, καὶ μύρια ἕτερα ἔθνη, εἰς τὴν αὐτῶν μεταβαλόντες γλῶτταν, ἔμαθον ἄνθρωποι βάρβαροι φιλοσοφεῖν.

107 Ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐστὶ φανερωτέρα.

108 Καὶ γυναιξὶ καὶ νέοις ἅπαντα τὰ λεγόμενα δῆλα.

109 Τί οὖν ἐστιν, ὃ παρ' αἰτοῦμαι ὑμᾶς, κατὰ μίαν σαββάτων, ἢ καὶ κατὰ σάββατον τὴν μέλλουσαν ἐν ὑμῖν ἀναγνωσθήσεσθαι τῶν εὐαγγελίων περικοπὴν, ταύτην πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν μετὰ χεῖρας λαμβάνων ἕκαστος οἴκοι καθήμενος ἀναγινωσκέτω συνεχῶς, καὶ πολλάκις περισκοπείτω μετ' ἀκριβείας τὰ ἐγκείμενα, καὶ βασανιζέτω ταῦτα καλῶς, &c.

beatis,

beatis. Hoc pacto non parum utriſque noſtrûm emolumenti evenerit. Siquidem nobis non multo opus erit labore, ut Evangelii vim oſtendamus; cùm domi ipſam vobis ſententiam quantùm ad verba jam familiarem reddideritis: vos autem & acutiores & perſpicaciores efficiemini, non ad audiendum & doctrinam duntaxat percipiendam, ſed ad docendum alios. Et paulò poſt. *Rebus vilibus & abjectis diligens adhibere ſtudium poteſtis; divinis autem ſiquando vacandum eſt, adeò vobis inutilia & nullius momenti videntur; ut ne minimam quidem curam in his ponendam ducatis: & quonam pacto, qui ita ſentiunt, ſpirare ſolemve conſpicari digni ſunt?* 110 *Eſt & alia his oſcitantibus inepta excuſatio, librorum ſc. inopia. Et divitibus quidem ad hoc reſpondere ridiculum eſt. Verùm cùm multos pauperes hâc frequenter excuſatione uti exiſtimem; cum his parumper jocari, atque eos percontari ita placet; nunquid omnia artis ſuæ habeant inſtrumenta? etſi inopiâ in his comparandis admodum impediantur. Nonne igitur abſurdum eſt, hîc non cauſari paupertatem; ſed diligenter adtendere, ne quid ſibi ad artem ſuam neceſſarium deficiat; ubi autem tantam ſint conſecuturi utilitatem, occupationes deflere & inopiam. Verùm ſi quis tam pauper eſſet, ut nullo pacto libros ſibi comparare queat; ei ex continuâ, quæ hîc habetur, lectione, nihil ex divinarum literarum ſententiis ignorare licet.*

Homil. 31. 111 *Quis noſtrûm, quæſo, repetitâ domo, aliquod Chriſtiano dignum opus aggreditur? Quis ſcripturarum ſenſus perſcrutatur? Nemo ſanè; ſed alveolos & talos frequenter inveniemus, libros quàm rariſſimos: quos ſi qui habent, ac ſi non haberent, in ſcriniis ſervant; vel omne ſuum ſtudium in membranarum tenuitate, in literarum characteribus quàm pulcherrimis conſumunt; non ut legant, non ut uſum inde aliquem conſequantur; ſed ut divitias, ut ambitionem oſtentent, in his ſtudent.* Et paulò poſt. 112 *Non autem libros comparari prohibeo; ſed admoneo, & majorem in modum rogo, ut eos comparemus: ita tamen, ut & literas & ſenſus frequenter animo repetamus.*

110 Ἔστι καὶ ἑτέρα πρόφασις τοῖς οὕτω ῥαθύμοις ἀλογωτάτη, τὸ μὴ κεκτῆσθαι μηδὲ ἔχειν βιβλία. —— πλὴν ἀλλὰ καὶ εἴ τινες οὕτω πένητές εἰσιν, ἔνεστιν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐνταῦθα γινομένης ἀναγνώσεως μηδὲν ἀγνοεῖν τῶν ἐγκειμένων.

111 Græca ſunt pleniora, & ad rem magis appoſita. Τίς γὰρ ὑμῶν, εἰπέ μοι, ἐν οἰκίᾳ γενόμενος, πυκτίον ἔλαβε χριστιανικὸν μετὰ χεῖρας, καὶ τὰ ἐγκείμενα ἐπῆλθε, καὶ ἠρεύνησε τὴν γραφήν; Quæ ſic vertenda ſunt. *Quiſnam veſtrûm, oro, domi poſitus, Enchiridium Chriſtianum* (ſc. N. Teſtamentum) *in manus ſumit, & ſententias ejus ordine pervolvit, & Scripturam ſcrutatur?*

112 Ταῦτα λέγω, οὐ κωλύων βιβλία κεκτῆσθαι, ἀλλὰ καὶ παραινῶ τοῦτο καὶ σφόδρα εὔχομαι. Βούλομαι δὲ ἐξ ἐκείνων καὶ τὰ γράμματα καὶ τὰ νοήματα εἰς τὴν διάνοιαν περιφέρεσθαι.

Homil. 52. 113 *Vacemus Scripturis, dilectiſſimi, & ſaltem Evangeliis; ea frequenter pertractemus.* Et poſt. 114 *Quamobrem hortor,* 115 *ut lectioni vacetis, ſenſus imbibatis, eoſque veſtris inſcribatis mentibus.*

Homil. 58. 116 *Meritò oſtium Scripturas appellat; quoniam nos ad Deum ducunt, & ejus nobis cognitionem aperiunt: ipſæ oves faciunt; ipſæ cuſtodiunt, neque lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim oſtium firmiſſimum hæreticos arcent, & in tuto conſtituunt: neque nos, modò velimus, aberrare unquam ſinent, &c. Qui enim ſacrâ non utitur Scripturâ, ſed aſcendit aliunde; i. e. non conceſſâ viâ; is ſur eſt.*

In Act. Homil. 19. 117 *Multi nunc etiam, Eccleſiam ingreſſi, ignorant quæ dicuntur. Eunuchus autem & in foro & in curru vectus, lectioni Scripturarum attendebat. Sed neque vos hoc agitis. Nullus enim veſtrûm in manibus habet librum, ſed omnia potiùs quàm librum.* Et poſt. 118 *Stat miniſter, communis miniſter, altâ voce clamat ac dixit:* Attendamus; *& ſæpiùs illam vocem clamat. Hæc communis Eccleſiæ eſt, quam ille emittit, & nullus attendit. Poſt illum incipit Lector Prophetiam Eſaiæ; & neque ſic attendit quis, tametſi Prophetia nihil humanum habeat. Deinde auditori pronuntiat dicens:* Hæc dicit Dominus; *& neque ſic attendit quis. Quid dico? Horrenda quædam & terribilia pertractat; & neque ſic eſt qui attendit. Verùm quid dicunt plerique? Semper, aiunt, eadem leguntur. Hoc vos maximè perdit. Itaque ſiquidem ſciviſſetis illa; neque ſic oportebat ab illis recedere; quoniam & in theatris ſemper eadem ſiunt, attamen non ſatiamini, &c.*

Homil. 34. 119 *Magnum malum eſt ignorare Scripturas; ſi à quibus utilitatem capere oportebat, ab his incommodamur.*

In Procem. Epiſtolæ ad Romanos. 120 *Quapropter ſi & vos quoque in animum induxeritis hujus* (Paul. ſc.) *lectioni ſtudioſam ac dili-*

113 Τὰ οὖν εὐαγγέλια περισπούδαστα ἡμῖν γινέσθω, καὶ ταῦτα μεταχειριζώμεθα.

114 Διὸ παρακαλῶ καὶ κτᾶσθαι βιβλία, καὶ μετὰ τῶν βιβλίων τὰ νοήματα κατέχειν, καὶ ταῖς διανοίαις ἐγγράφειν.

115 Meliùs, *ut biblia vobiſmet comparetis, & illorum pariter ſenſum aſſequamini.*

116 Εἰκότως δὲ θύραν τὰς γραφὰς ἐκάλεσεν· αὗται γὰρ ἡμᾶς προσάγουσι τῷ Θεῷ, καὶ τὴν θεογνωσίαν ἀνοίγουσιν, &c.

117 Πολλοὶ νῦν, οὐδὲ εἰς ἐκκλησίαν εἰσιόντες, οὐκ ἴσασι τὰ λεγόμενα. —— οὐδεὶς γὰρ ὑμῶν βιβλίον ἔχει κατὰ χεῖρας.

118 —— Ἕστηκεν ὁ διάκονος μέγα βοῶν καὶ λέγων, πρόσχωμεν, καὶ τοῦτο πολλάκις, —— καὶ οὐδεὶς ὁ προσέχων. —— εἶτα εἰς ἐπήκοον ἐκφωνεῖ λέγων, τάδε λέγει Κύριος, καὶ οὐδὲ οὕτω προσέχει τις. — ἀλλὰ τίς ὁ λόγος τῶν πολλῶν; ἀεί, φησί, τὰ αὐτὰ ἀναγινώσκεται, &c.

119 Μέγα κακὸν ἀγνοεῖν γραφάς, ἀφ' ὧν ὠφελεῖσθαι δεῖ, ἀπὸ τούτων βλαπτόμεθα.

120 Εἰ θέλετε μετὰ προθυμίας προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, οὐδενὸς ἑτέρου δεηθήσεσθε. —— καὶ γὰρ ἐντεῦθεν τὰ μυρία ἔφυ κακά, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας, ἐντεῦθεν ἡ πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη, ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι, ἐντεῦθεν οἱ ἀκερδεῖς πόνοι, &c.

gentem

gentem operam navare; nihil ſanè erit, quod aliud requirendum vobis ſit. Verax eſt enim Chriſti ſermo dicentis: [k] Quærite & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. *Cæterùm quandoquidem complures ex iis, qui huc nobiſcum convenere, & liberorum educationem, & familiæ curam, & uxoris providentiam ſuſcepêre; ob idque totos ſe huic labori dare non ſuſtineant; attamen ipſi vos excitantes comparate ad ea demum capienda, quæ alii collegerint; ſtudii tantundem iis quæ dicta fuerint auſcultandis, quantum pecuniis colligendis impertientes. Tametſi enim ſordidum eſt à vobis nihil amplius poſtulare; tamen vel hoc ipſo contenti erimus: tantundem ergo date. Siquidem hinc infinita exorta ſunt mala, ab ipsâ ſc. ſacrarum Scripturarum ignoratione: hinc multa hæreſeum lues pullulavit, hinc vitæ in multis neglectus, hinc inutiles ac lucro carentes labores. Nam quemadmodum qui luminis hujus uſurâ ſunt privati, nequaquam rectâ ingredi poſſunt; ita qui ad divinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, neceſſariò in multa frequenter errata incurrunt, perinde ac ſi in tenebris periculoſiſſimis ambularent. Id quod ut ne eveniat, oculos ad ipſum Apoſtolicorum verborum fulgorem adaperiamus. Etenim hujus lingua ſupra ipſum etiam ſolem illuxit, cæteros omnes verbi doctrinâ exuperans.*

In 1 Corinth. Homil. 6. Οἱ βουλόμενοι σωθῆναι προσεχέτωσαν ταῖς γραφαῖς. *Primùm igitur qui ſalutem conſequi volunt, Scripturis vacent.*

Homil. 29. *Contemptus autem ex ſtultitiâ & præſentium ſtudio, cùm nullâ diligentiâ rerum inquiratur natura. Hoc ipſum unde accidit? 121 quod Scripturarum lectionibus non attendimus.*

Homil. 35. Seipſum linguis loquens ædificat, (*inquit Apoſtolus*) 122 *quod quidem fieri non poteſt, niſi quæ loquatur, nôrit.* Item. *Eſt autem quod dicit hujuſmodi.* 123 *Niſi dixero, quod percipi facile claréque à vobis poſſit, ſed linguarum munere præditum eſſe me tantùm oſtendam; nullum ex his, quæ non intelligitis, fructum facientes abibitis credo. Nam quæ utilitas eſſe ex voce non intellectâ poteſt?* Et poſt, (in Apoſtoli perſonâ.) *Sic & vos, niſi ſignificantem ſermonem dederitis; verba (quod dicitur) vento facietis.* 124 h. e. *nihil loquentes, nulli*

[k] Matth. VII.

121 Ἐκ τοῦ μὴ γραφῶν ἀναγνώσει προσέχειν.

122 —— καὶ πῶς εἰ μὴ οἶδεν ἃ λέγει;

123 Ἐὰν μή τι εἴπω δυνάμενον ὑμῖν εὐληπτον γενέσθαι, καὶ δυνάμενον εἶναι σαφὲς, —— οὐδὲν κερδάναντες ἀπελεύσεσθε. Πῶς γὰρ ἀπὸ φωνῆς, ἧς οὐ συνίετε;

124 Τουτέστιν, οὐδενὶ φθεγγόμενοι, πρὸς οὐδένα λαλοῦντες· καὶ πανταχοῦ τὸ ἀνωφελὲς δείκνυσι.

loquentes : & ubique oſtendit (Apoſtolus) *inutile.* Item. 125 *Haud calumnior ego linguas, ſed eſſe inutiles dico, quantiſper ſint ignotæ.* Et poſt, Si linguâ (*inquit*) orem ; orat quidem ſpiritus, at mens fructu vacat. 126 *Si quis enim loquitur modò, vel Perſarum, vel peregrinâ tandem quacunque linguâ, non intelligatur autem quæ loquatur ; erit ille ſibi ipſi Barbarus quoque, non alteri ſolùm, ut qui non intelligat vim vocis. Erant enim jam olim, qui precandi donum & linguæ conjunctum haberent multi ; & precabantur quidem, & linguâ ſonabant, vel Perſarum, vel Romanâ utentes ; mente verò, quid dixiſſent, non intelligebant ; idcirco* ſi linguâ (*inquit*) orem ; orat ſpiritus, h. e. 127 *donum mihi conceſſum, linguamque movens :* mens autem fructu vacat. 128 [*Quid ergo factu optimum & utiliſſimum ſit ? 129 Quid facere, quæ poſtulare à Deo oportet ? ſpiritu pariter & mente precari.*] Orabo (*inquit*) ſpiritu, ſed orabo & mente ; pſallam ſpiritu, pſallam & mente. *Idem etiam hìc docet linguâ loqui, & intelligere mentem verba ſimul debere. Nam hoc niſi ſit, confuſio quædam alia naſcatur oportet.* Alioqui ſi benedixeris, *inquit*, ſpiritu ; is qui locum tenet indocti, quomodo dicturus eſt, Amen, &c. *En rurſus amuſſi* (*quod dicitur*) *ſacrum applicat, Eccleſiæ ædificationem ubique requirens.* 130 *Indoctum verò promiſcuam plebem vocat, monſtratque non leve incommodum eſſe* (Pontificii commodum putant) *ſi Amen dicere non poſſit. Eſt autem quod dicit, hujuſmodi. Si peregrinâ linguâ gratias agas, quam nec intelligas ipſe, nec cæteris idem interpreteris ; ſubjicere Amen plebeius non poteſt ; & illud*, in ſæcula ſæculorum, *qui finis precum eſt, audiens, Amen non dicet.*

Homil. 36. 131 *Magna pars, Non audio quæ prælegantur ; quæ dicuntur, non ſatis percipio : inquit. Mirum verò tumultuaris, vociferaris, mente compoſitâ non accedis ; & non percipio quæ dicantur, inquis ? Ad-*

125 Οὐ διαβάλλων τὴν φωνὴν ταῦτα λέγω, ἀλλὰ δεικνὺς ὅτι μοι ἀνωφελής, ἕως ἂν ᾖ ἀσαφής.

126 Ἂν γάρ τις φθέγγηται μόνον τῇ Περσῶν γλώσσῃ ἢ ἑτέρᾳ τινὶ ἀλλοτρίᾳ, μὴ εἰδῇ δὲ ἃ λέγει, ἄρα καὶ ἑαυτῷ λοιπὸν ἔσται βάρβαρος, οὐχ ἑτέρῳ μόνον, διὰ τὸ μὴ εἰδέναι τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς.

127 Τὸ πνεῦμά μου, τουτέστι τὸ χάρισμα τὸ δοθέν μοι, καὶ κινοῦν τὴν γλῶτταν.

128 Τί ποτ' οὖν τὸ ἄριστον, καὶ τὸ ὠφέλιμον; καὶ πῶς χρὴ ποιεῖν, ἢ τί αἰτεῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ; τὸ καὶ τῷ πνεύματι, τουτέστι, τῷ χαρίσματι, καὶ τῇ διανοίᾳ προσεύχεσθαι. —— ἵνα καὶ ἡ γλῶττα φθέγγηται, καὶ ὁ νοῦς μὴ ἀγνοῇ τὰ λεγόμενα.

129 Verba uncis incluſa omiſit in verſione ſuâ Interpres Latinus in editione Morellianâ. Gentianus Hervetus is fuit.

130 Ἰδιώτην δὲ τὸν λαϊκὸν λέγει, καὶ δείκνυσι καὶ αὐτὸν οὐ μικρὰν ὑπομένοντα τὴν ζημίαν, ὅταν τὸ ἀμὴν εἰπεῖν μὴ δύνηται, &c.

131 —— Τί φῄς; οὐκ οἶδα τίνα ἐστὶ τὰ λεγόμενα· δι' αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο προσέχειν ἐχρῆν —— ἐπεὶ γὰρ τοῦτο, ὅτι σαφῆ πάντα ἐστίν, ἵνα μὴ ῥᾳθυμήσῃς, ὅτι ἀσαφῆ, ἵνα μὴ ἀπογνῷς. —— οὐκ οἶδα τὰ λεγόμενα; οὐκοῦν εὖξαι ἵνα μάθῃς· μᾶλλον δ' ἀμήχανον πάντα ἀγνοεῖν, καὶ γὰρ πολλὰ αὐτόθεν ἐστὶ κατάδηλα καὶ σαφῆ.

vertere

vertere igitur ob hoc ipſum oportebat. Cùm enim cùm quid obſcurius dicitur, non excitaris; proculdubio cùm plana dicuntur, præterlaberis. Idcirco enim ut ne ſtudium remittas, perſpicuè non omnia dicuntur; nec inperſpicuè omnia, ne animum deſpondeas. Nihil horum[1] *Eunuchus ille & barbarus prætexebat; ſed tantâ negotiorum turbâ vallatus, etiam in viâ exiſtens, librum in manibus habet tamen legitque; quanquam non ſatis, quæ legeret, intelligeret. Tu, cui tantum præceptorum ſuppetit, qui tot anagnoſtas habes, prætextum & excuſationes quæris? quæ dicuntur non percipis? Quin oras igitur, ut percipias aliquando. Immò fieri, ne ſi velis quidem, poteſt, ut omnia ignores; ſuâ ſponte multa clara ſunt & perſpicua.* Ibid. *Ubi nos cœpimus loqui, Dominus vobiſcum:* 132 *Cum ſpiritu tuo, plebs reſpondet.*

In 2 Corinth. Homil. 2. 133 *Nam quod dicitur,* Oremus, *non tantùm Sacerdotibus dicitur; verùm & his qui populum conſtituunt.* Ibid. 134 *Diaconus non dicit parietibus,* Oremus pro Catechumenis. *Sed quidam adeò ſunt incogitantes, ſtulti ac diſſoluti; ut non ſolùm à tempore quo hæc aguntur cum Catechumenis, verùm etiam in his quæ aguntur cum fidelibus, ſtent & fabulentur.*

Homil. 13. *Quomodo non abſurdum propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare & ſupputare: pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter,* 135 *præſertim cùm habeamus omnium exactiſſimam trutinam & gnomonem ac regulam, divinarum (inquam) legum aſſertionem. Ideò obſecro & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, deque his à Scripturis hæc omnia inquirite: & veras divitias diſcentes, eas ſectemur, ut & æterna ſc. bona aſſequamur.*

In Epheſ. Homil. 21. aliàs 20. *Vis filium tuum eſſe morigerum? Ab initio ipſum educa in eruditione & correptione Domini.* 136 *Ne putes ſuperfluum eſſe, ſi divinas Scripturas audierit. Nam illic hoc primum audiet:* Honora patrem tuum ac matrem tuam. Item 137 *Mundanis potiſſimum neceſſarium eſt ſcire quæ ex Scripturis docentur, maximè pueris.*

[1] Acts VIII.

132 Ὁ λαὸς ἀντιφθέγγεται, Καὶ τῷ πνεύματί σου.

133 Τὸ γὰρ, δεηθῶμεν, οὐ τοῖς ἱερεῦσι λέγεται, ἀλλὰ καὶ τοῖς εἰς τὸν λαὸν συντελοῦσιν.

134 Οὐ γὰρ δὴ τοῖς τοίχοις ὁ διάκονος λέγει, δεηθῶμεν ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων, &c.

135 —— Καὶ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων ἔχοντας, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν. Διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, —— παρὰ τῶν γραφῶν ταῦτα ἅπαντα πυνθάνεσθε, &c.

136 Μὴ νομίσῃς εἶναι περιττὸν, τὸ τῶν θείων γραφῶν αὐτὸν ἐπακούειν· ἐκεῖ γὰρ, &c.

137 Μάλιστα γὰρ τοῖς κοσμικοῖς ἀναγκαῖον τὰ ἐντεῦθεν εἰδέναι διδάγματα. Μάλιστα τοῖς παισί. Πολλὴ γὰρ ἡ ἄγνοια ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡλικίᾳ.

Eſt

Eſt enim plurimum inſipientiæ in illâ ætate. Item. *Educemus eos in eruditione & correptione Domini.* 138 *Demus illis exemplum, facientes eos à primævâ ætate Scripturarum lectioni vacare. Hei mihi! continuè iſta dicens nugari videor: veruntamen non ceſſabo quod mei eſt officii facere.* Item. *Ne putes ſolitario duntaxat eruditionibus iſtis, quæ ex Scripturis ſunt, opus eſſe.* 139 *Nam eis potiſſimùm pueris neceſſariæ ſunt, qui mundo iſto uſuri ſunt. Quemadmodum enim in apparatu navium gubernatoreque ac ſupplemento nautarum non ita opus habet, qui ſemper in portu conſiſtit, atque qui ſemper in mari verſatur: ita habent mundanus & ſolitarius.*

In Philippenſ. Homil. 9. *Propterea & in aliorum peccatis amarulenti ſcrutatores & inquiſitores ſumus, noſtrî autem nullam rationem habemus,* 140 *quoniam Scripturas non tenemus, quoniam in divinis legibus inſtructi non ſumus.*

In Coloſſ. Homil. 9. 141 *Audite quotquot eſtis mundani, & uxoribus præeſtis ac liberis; quomodo & vobis potiſſimùm præcipiat Scripturas legere; idque non ſimpliciter, ſed magnâ diligentiâ.* Item. 142 *Neque moreris alium Doctorem. Habes oracula Dei. Nemo te docebit, quemadmodum illa. Alius tibi multa ſæpe, ſive per vanam gloriam, ſive per invidentiam invidebit. Audite, obſecro, ſæculares omnes. Comparate vobis Biblia, animæ Pharmaca. Si nihil aliud vultis; vel Novum Teſtamentum acquirite, Apoſtolum, Acta, Evangelia, continuos ac ſedulos Doctores. Si acciderit mæſtitia; huc veluti ad apothecam pharmacorum accumbe. Hinc tibi ſume ſolamen mali, ſive damnum evenerit, ſive mors, ſive amiſſio domeſticorum. Immò non accumbe ſolùm, ſed omnia lege, menteque illa contine. Hoc demum malorum omnium cauſa eſt, quòd Scripturæ ignorantur. Sine armis bellum ingredimur, & quomodo ſervaremur? Non omnia in humeros noſtros projicite. Oves eſtis; verùm non irrationales, ſed rationales, &c.* Item. Ex gratiâ, *inquit*, Spiritûs Sancti

138 Δῶμεν αὐτοῖς ὑπόδειγμα, ἐκ πρώτης ἡλικίας τῇ τῶν γραφῶν ἀναγνώσει ποιοῦντες αὐτοὺς ἐνσχολάζειν.

139 Μάλιστα γὰρ τούτους δεῖ τοῖς παισὶ τοῖς μέλλουσιν εἰς τὸν βίον τοῦτον ἥκειν.

140 Ὅτι τὰς γραφὰς οὐκ ἴσμεν, ὅτι τοὺς θείους οὐ παιδευόμεθα νόμους.

141 —— Καὶ ὑμῖν ἐπιτρέπει μάλιστα τὰς γραφὰς ἀναγινώσκειν, καὶ οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς.

142 Μηδὲ περιμείνῃς ἕτερον διδάσκαλον· ἔχεις τὰ λόγια τοῦ θεοῦ· οὐδείς σε διδάσκει ὡς ἐκεῖνα· —ἀκούσατε, παρακαλῶ, πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς· εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε, τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια, διδασκάλους διηνεκεῖς. ——τοῦτο πάντων αἴτιον τῶν κακῶν, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς. —— μὴ τὰ πάντα ἐφ' ἡμᾶς ῥίπτετε, πρόβατά ἐστε, ἀλλ' οὐκ ἄλογα, ἀλλὰ λογικά.

canentes

canentes in cordibus veſtris Deo: 143 *non ſimpliciter ore, ſed cum attentione. Hoc enim demum eſt Deo canere, illud verò aeri. Vox namque temerè diffunditur.*

In 1 Theſſalon. Homil. 7. 144 *Divinis uſi Scripturis, navis inſtar, vela fidei, in ſublime extendamus. Si in iſtis navigaverimus, aderit nobis etiam gubernator ſermo Dei. Si verò humanis cogitationibus, non item. Cui namque natantium quiſquam adſuerit gubernator? Duplex itaque periculum eſt; cùm quòd nulla navis eſt, tum quòd nemo gubernator adeſt. Si enim ſcaphus ſine gubernatore periculum habet; quando utraque abſunt, quæ poterit ſpes eſſe ſalutis? Ne projiciamus itaque nos ipſos in apertum periculum; ſed in tuto incedamus, per ſacram anchoram liberantes nos ipſos.*

In 2 Theſſalon. Homil. 3. *Non attendunt, non cogitant huc ad Deum ſe ingreſſos, Deum cum ipſis ſermocinari. Quando enim qui lecturus eſt ſurgens dicit:* Hæc dicit Dominus: *Et Diaconus ſtans omnes indicto ſilentio compeſcit,* 145 *non ut legenti honorem exhibeat, hæc dicit, ſed ei, qui per illum omnibus ſermocinatur, &c.* 146 *Omnia ſunt dilucida & recta, quæ ſunt in divinis Scripturis; manifeſta ſunt, quæcunque ſunt neceſſaria, &c.* Item. *Ignoro, inquis, quæ in divinis Scripturis poſita ſunt. Quamobrem?* 147 *Num enim Hebraicè? num Latinè? num alio externo idiomate prolata ſunt? Non Græcè dicuntur? At obſcurè, inquis. Quæ eſt iſta obſcuritas, dic quæſo? Non hiſtoriæ ſunt? Noſti quæ clara ſunt; quid de obſcuris rogas? Mille hiſtoriæ ſunt in Scripturis; dic mihi unam ex illis. Sed non dices. Prætextus ſunt iſta & inania verba.*

In Epiſt. ad Hebr. Homil. 4. Sic etiam, *inquit,* teſtificatus eſt quodam loco quidam dicens: *Et hoc ipſum exiſtimo non* 148 *abſcondentis eſſe, ſed oſtendentis eos multam habere ſcientiam Scripturarum, ut nec opus haberet nomen poſuiſſe dicentis; ſed veluti de re manifeſtâ & in promptu conſtitutâ inducere teſtimonia.*

143 Μὴ ἁπλῶς, φησὶ, τῷ στόματι, ἀλλὰ μετὰ προσοχῆς, τοῦτο γάρ ἐστι τῷ Θεῷ ᾄδειν, ἐκεῖνο δὲ τῷ ἀέρι.

144 Ταῖς θείαις κεχρημένοι γραφαῖς, καθάπερ πλοίῳ τινὶ τὰ ἱστία τῆς πίστεως ἀναπετάσωμεν, &c.

145 Οὐχ ἀναγινώσκοντι τιμὴν ποιῶν, τοῦτο φησὶν, ἀλλὰ τῷ δι' ἐκείνου πᾶσι διαλεγομένῳ.

146 Πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς. Πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα.

147 Διὰ τί οὐκ οἶδας; μὴ γὰρ Ἑβραϊστί; μὴ γὰρ Ῥωμαϊστί; μὴ καὶ ἑτερογλώσσοις εἴρηται; οὐχὶ Ἑλληνιστὶ λέγεται; ἀλλ' ἀσαφῶς, φησί. Ποῖον ἀσαφὲς, εἰπέ μοι; —— προφάσεις ταῦτα καὶ λόγοι.

148 —— Δεικνῦντός ἐστιν αὐτοὺς σφόδρα ἐμπείρους εἶναι τῶν γραφῶν.

Homil.

Homil. 8. 149 *Oſtendit* [Apoſtolus] *etiam quia & laici debent docere.* Ibid. 150 Meditaberis, *inquit*, in illis ſemper, exurgens, ſedens, & dormitum iens. In eis perſiſte, *inquit*, *& decem millia quiſque reperiet de iis. Et tamen poſt tanta ſunt quidam, qui neque ſciunt, quid ſint Scripturæ. Propterea igitur nihil ſalvum, nihil utile apud nos fit.* Ibid. *Nec ſi audieris quia non eſt Paganus, non eſt Judæus, ſtatim putes eſſe Chriſtianum; ſed examina & alia cuncta. Nam Manichæi & omnes hæreſes hanc ſibi perſonam induerunt, ut hoc pacto ſeducant rudiores. Sed ſi habuerimus ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali; poterimus & hujuſmodi diſcernere. Quomodo* 151 *autem fiunt ſenſus noſtri exercitati? Ex uſu Scripturarum, ex frequenti auditione, &c.* Et poſt. 152 *Sed nemo vult ad Scripturas attendere. Si enim adverteremus, non ſolùm non incideremus in fallaciam; ſed etiam alios deceptos inde liberaremus, & de periculis abſtraheremus.* Item. Diſcite bonum facere. *Nunquidnam ſcitis ubi hæc lateant? Non arbitror præter paucos.* 153 *Iſta tamen per unamquamque ſeptimanam ſecundò aut tertiò vobis leguntur. Aſcendens enim qui legit, primò dicit librum cujus eſt, illius (verbi gratiâ) vel illius Prophetæ; & tunc profert quæ is dicit. Proinde annotata vobis eſſe debeant: & non ſolum ipſum textum debebatis ſcire, ſed & cauſas eorum quæ ſcripta ſunt, & quis hæc dixerit: ſed omnia fruſtra & ſine fructu. Omne enim ſtudium in his quæ ad vitam hanc pertinent, evacuatur; de ſpiritualibus autem nulla ratio eſt.*

Homil. 17. 154 *Sed dicis, non legi. Non eſt hæc excuſatio, ſed crimen. Per ſingulos dies intras Eccleſiam; & adhuc iſtud ignoras? Veruntamen ut neque hanc tibi excuſationem invenias; propterea in altiori loco ſtans magnâ voce & trementi conclamat ſacerdos, veluti quidam Præco, &c.* Quæ verò fuerit ſacrarum lectionum in Eccleſiâ ratio, ab eodem explicatur in 6. Homil. de Pœnitentiâ; ubi refert librum Geneſeos ſemel quotannis lectum fuiſſe per Eccleſias; Ex Evangeliis verò, quemadmodum ex Epiſtolis Pauli, bis hebdomadatim lectiones propoſitas; ſed præ cæteris utriuſque Inſtrumenti Scripturis librum David

149 Δείκνυσι δὲ ὅτι καὶ ἄλλους ὀφείλουσι κατηχεῖν.

150 Ἀλλ' ὅμως μετὰ τοσαῦτα εἰσί τινες οὐδὲ εἰδότες ὅτι εἰσί ποτε γραφαί; διά τοι τοῦτο, οὐδὲν ὑγιὲς, οὐδὲν χρήσιμον, παρ' ἡμῶν γίνεται.

151 Πῶς δὲ γεγυμνασμένα γίνεται ἡμῶν τὰ αἰσθητήρια; ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἀκροάσεως, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἐμπειρίας

152 Ἀλλ' οὐδεὶς βούλεται ταῖς γραφαῖς προσέχειν· εἰ γὰρ προσείχομεν, οὐ μόνον οὐκ ἄν, &c.

153 Καίτοι καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα δὶς ἢ καὶ τρεὶς ταῦτα ὑμῖν ἀναγινώσκεται· καὶ ἀνελθὼν ὁ ἀναγνώστης λέγει πρῶτον τὸ βιβλίον τίνος ἐστὶ, —— καὶ τότε λέγει ἃ λέγει, ὥστε εὐσημότερα ὑμῖν εἶναι, &c.

154 Ἀλλ' ἐρεῖς, ὅτι οὐκ ἀνέγνων; οὐκ ἔστι τοῦτο ἀπολογία, ἀλλὰ καὶ ἔγκλημα· καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰσέρχῃ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἔτι τοῦτο ἀγνοεῖς;

ſic

ſic adámatum fuiſſe omnibus Chriſtianis; *ut in Eccleſiis, & extra Eccleſias, primus & medius & noviſſimus fuerit David, &c.*

In Sermone de Pſeudoprophetis, &c. (à Gerardo Voſſio edit. ad calcem Operum Ephræm Syri. . Sed Neſtenta potiùs Author videtur fuiſſe quàm Chryſoſtomus) quem cùm tempus reſolutionis ſuæ inſtaret, conſcripſit. 155 *Qui ſacrorum ſtudioſus eſt librorum, jure etiam dici poterit amator Chriſti; ſecundùm quod dictum eſt à Domino.* [m] Qui diligit me, Sermones meos ſervat: Et qui diligit me, diligetur à Patre meo. *Talis enim indelebilem in corde ſuo continet Dei memoriam: ſemperque ſacros ſuis manibus retinens libros, non obliviſcetur horribilium illorum librorum, de quibus ſcriptum eſt:* Judicium ſedit, & libri aperti ſunt. *Vide, quantum ſit lucrum ſcrutari Scripturas; quemadmodum ſæpe audiſtis. Quid eſt autem id quod vobis dico? Nihil reliquiſſe neque reticuiſſe utilium vobis Sacram Scripturam, ſive per Prophetas, ſive per Apoſtolos, ac per ipſum etiam univerſorum Dominum, &c.* Et poſt, 156 *O quàm multas quotidie Scripturas audimus nec intelligimus! Quare & inexcuſabiles in die judicii erimus; quando judicium ſedebit, & libri aperientur.*

Homil. 5. de incomprehenſibili Dei naturâ contra Anomæos. 157 *Orationem autem non eam commendo, quæ fruſtra in ore habeatur; ſed quæ ab imis animi prodeat.*

Ad populum Antioch. Homil. 19. 158 [quæ ad Ruſticos facta eſt] *Non cernis ut mulieres & parvi pueri pro magnâ cuſtodiâ collo Evangelia ſuſpendunt, & ubique circumferunt quocunque abierint? Tu Evangelii mandata & leges mente deſcribas, &c.*

Homil. 22. (quæ 159 quidem eſt Joannis Neſtentæ) 160 *Verſare*

[m] Joan. XIV.

155 Ὁ γὰρ φιλόβιβλος δικαίως ἂν λεχθείη φιλόχριστος. —— Ὁ γὰρ τοιοῦτος ἀνεξάλειπτον ἔχει ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ τὴν τοῦ Θεοῦ μνήμην, καὶ πάντοτε ἐν χερσὶν αὐτοῦ κατέχων τὰς ἱερὰς βίβλους, οὐκ ἐπιλήσεται, &c. ὁρᾷς ὅσον τὸ κέρδος ἐστὶ τοῦ ἐρευνᾷν τὰς γραφὰς, καὶ καθὼς πολλάκις ἠκούσατε; τί δέ ἐστιν ὃ λέγω ὑμῖν; ὅτι οὐδὲν ἐνέλειπεν οὐδὲ παρεσιώπησεν ἡμῖν ἡ θεία γραφὴ, &c.

156 Ὢ πόσων καὶ πηλίκων γραμμάτων ἀκούοντες οὐ συνιῶμεν· ὅθεν καὶ ἀναπολόγητοι ἐσόμεθα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, &c.

157 Εὐχὴν δὲ λέγω, οὐ τὴν ἁπλῶς ἐπὶ τοῦ στόματος κειμένην, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ βάθους τῆς διανοίας ἀνιοῦσαν.

158 Εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τοῦ τραχήλου, καὶ πανταχοῦ περιφέρουσιν. —— σὺ δὲ τὰ παραγγέλματα τοῦ εὐαγγελίου καὶ τοὺς νόμους ἔγγραψόν σου τῇ διανοίᾳ.

159 Epiſtola eſt potiùs ad Virginem quandam ſacram, quàm Homilia.

160 Ἐντυγχάνετε ἀεὶ ταῖς θείαις γραφαῖς. Ἀναγνῶτε τῆς σωτῆρος διδασκαλίας, καὶ μάθετε, ὅπως ἀπελθοῦσιν ἡμῖν ἐκεῖ οὐδεὶς ἡμῖν βοηθῆσαι δύναται.

ſemper in divinis Scripturis.— Legite Salvatoris Scripturas; & diſcite, quomodo nos hinc illuc migrantes adjuvare poteſt nemo.

Serm. de Eleemoſynâ. *Cape in manibus iſtorum* (Apoſtolorum) *libros, & ſcripta perlege. Hæc te mulieris illius facient non abſimilem.*

Homil. 3. de ſpectaculis David. & Saul. 161 *Non metuis, non expaveſcis, dum iiſdem auribus audis & ſcortum obſcœnè loquens, & Prophetam Apoſtolumque ad arcana Scripturæ introducentem?*

Homil. 6. de pœnitentiâ. *Cur adeò librum David ſic adamârunt Chriſtiani, ut hunc ſolum voluerint ore verſari; lectionem verò Evangeliorum ſemel aut bis legamus in Hebdomade? Paulum verò bis per hebdomadam legamus, ita ut nec feramus ejus epiſtolam in ore; ſed lectioni duntaxat accommodantes intellectum, pro tempore ipſo huc ſolùm procedimus.*

Ex variis in Matthæum locis Homil. 17. 162 de muliere Cananæâ. 163 *Nonnulli introeuntes Eccleſiam, in mille verſus extendunt orationem ſuam; quaſi apud Dominum multitudine ſermonum opus ſit, tanquam ignorantem quid poſtules; qui antequam cogites, novit. Nam & illi quidem quid dicunt neſciunt. Labia moventur ſolummodò: mens autem ſine fructu eſt, & aures ejus ſurdæ ſunt. Tu non audis orationem tuam; & Dominum vis audire precem tuam?*

Homil. in Matthæum. *Perdiderunt audiendi laborem, & tempus: Nam qui non intelligit quod audit, perdit quod audit.*

In Oratione 164 quòd unus & idem ſit legiſlator & Veteris & Novi Teſtamenti, &c. (quæ eſt 8. inter eas, quæ à Jacobo Beurero inter Ἀνέκδοτα Chryſoſtomi, *Baſil.* 1585. editæ ſunt) monet 165 *in Pſalmis non ſimpliciter verborum ſonum attendendum, ſed ſententiam & vim eorundem explorandam: neque enim Spiritum S. pſalmodiâ oblectari,* 166 *ſed animo per modulationem excitato & attento. Oportet itaque* (inquit) *in genere omnium Pſalmorum vim & ſententias perſcrutari; præcipuè verò ejus, qui nobis hodie eſt recitatus.*

161. Ταῖς αὐταῖς ἀκοαῖς πόρνης ἀκούων αἰσχρολογούσης, καὶ προφήτου καὶ ἀποστόλου σε μυσταγωγοῦντος.

162 Dubiæ eſt fidei iſta Homilia.

163 ——Καὶ οὐκ οἴδασί τι εἶπον· τὰ χείλη κινεῖται· ἡ δὲ ἀκοὴ οὐκ ἀκούει· σὺ οὐκ ἀκούεις τῆς εὐχῆς σου, καὶ τὸν θεὸν θέλεις εἰσακοῦσαι τῆς εὐχῆς σου;

164 Spuria vulgò habetur.

165 Μὴ ἁπλῶς δεχόμενος τὸν κρότον τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ τὴν ἔννοιαν βασανίζων τῶν νοημάτων.

166 ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τῇ ὑπὸ τῆς ψαλμῳδίας διεγερθείσῃ. Δεῖ μὲν οὖν καθόλου τὰς δυνάμεις τῶν ψαλμῶν ἐρευνᾶν, &c.

410. Philo

410. Philo Carpathiorum Epiſcopus.

In Cantica Canticor. *Incredibile eſt neſcienti quàm ſuave ſit de Deo optimo maximo ex ſacris literis meditari ac loqui. In his enim legendis peccatores de propriis erratis admonentur; quoque modo ſe caſtigent, corrigant, ac emendent, apertiſſimè docentur. Et quicquid homines alter alteri vel dicere verentur vel ignorant; hoc ſacræ literæ & ſanctiſſimè audent, & uberrimè noverunt. Ex his guttur noſtræ mentis admirabili dulcedine repletur in Deum; ſeque adeò inflammari ſentit deſiderio æternæ vitæ conſequendæ: ut myſticè dulcedo & totum deſiderium guttur ſui ſponſi. non dulce neque deſiderabile prædicetur à ſponsâ. Eſt ergo totum deſiderium atque dulcedo Teſtamentum Sponſi; eò quòd per illud homines bona omnia docti, qualeque & quantum ſit Deus ipſe ſummum bonum intelligentes, ad illud ipſum conſequendum ardentiſſimo deſiderio rapiuntur.*

410. Procopius Gazæus. 167

Sixtus Senenſis eum ad annum 500. refert, & forſan rectiùs; Hieronymi enim verſionem ſæpe citat. Proœmio Commentarii in Eſaiam hæc habet. 168 *Solet divina Scriptura, quæ ad communem omnium utilitatem data eſt, rudioribus, aut etiam ſegnioribus, facilem ſenſum protendere: perfectioribus autem & diligentioribus, in quæ mentis aciem exacuant, abſtruſiora largiri. —— Eò verò ſpectat iſta Scripturarum difficultas, ut dum illis opera navatur, à deterioribus avocemur. Præterea diligimus magis, & in pretio habemus, quæ nobis ipſi labore comparavimus. —— Ad hæc aſſiduâ meditandi diligentiâ divina oracula mentibus noſtris imprimuntur, & venerabiliora redduntur.*

415. Theodoſius junior Imperator.

169 *Eius regia non diſſimilis fuit Monaſterio. Nam primo diluculo ille ipſe cum ſororibus ſuis hymnos alternatim decantatos recitavit. Quin-*

167 Floruit ſub Juſtino ſeniore Imp. teſte Photio, Cod. 160. ſive circa an. 520.

168 Ἡ γὰρ θεία γραφὴ, τῆς ἁπάντων ὠφελείας γενομένη, ϗ τοῖς ἁπλουστέροις, ἢ ϗ ῥαθυμοτέροις πρόχειρον προτείνει διάνοιαν, &c. —— ἅμα δὲ ϗ διὰ τῆς συνεχοῦς μελέτης ἐντυποῦται τὰ θεῖα λόγια τῇ ψυχῇ, ϗ σεμνότερα καθίσταται.

169 —— Ταῖς ἑαυτοῦ ἀδελφαῖς ὀρθρίζων, ἀντιφώνους ὕμνους εἰς τὸ θεῖον ἔλεγε· διὸ ϗ τὰ ἱερὰ γράμματα ἀπὸ στήθους ἀπήγγελλεν, &c.

etiam ſacras literas memoriter pronunciavit. Nam cum Epiſcopis, perinde ac ſi Sacerdos jam olim deſignatus fuiſſet, de eiſdem diſſeruit (*ex divinâ lectione diſſeruit*; ſic Hiſtoria Miſcella, lib. 14.) *Libros etiam, tum qui ſacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorundem interpretibus conſcripti erant, multò diligentiùs, quàm Ptolomæus Philadelphus olim, in unum colligendos curavit.* Socrates lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. Author Miſcellæ Hiſtor. lib 14. prope fin. Freculphus Tom. 2. Chronic. lib. 5. cap. 11. Nicephor. lib. 14. Eccleſ. Hiſtor. cap. 3. ubi etiam notat, Evangelia ipſius manu aureis literis deſcripta ad ſua tempora permanſiſſe.

410. Theodorus Antiochenus.

Ad Caput 1. Sophoniæ. *LXX. virorum interpretationem plane liquet accepiſſe Apoſtolos, & tradidiſſe his qui ex nationibus crediderunt, ad quos ante Vetus Teſtamentum non pervenerat; & ab Apoſtolis accipientes hanc LXX. virorum tranſlationem habemus omnes, qui ex gentibus credidimus, & in Eccleſiis legimus, & domi evolvimus.*

420. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus.

In Levitic. lib. 6. paulò poſt initium (quamvis iſta in Leviticum Commentaria revera non ſint Cyrilli, ſed Origenis) *Omni virtute nitendum eſt, ut ab occupationibus ſæculi, & à mundanis actibus liberi, & ipſas etiam (ſi fieri poteſt) ſuperfluas ſodalium fabulas relinquentes, verbo Dei operam demus, & in lege ejus meditemur die ac nocte; ut toto corde converſi revelatam & apertam Moſi faciem poſſimus aſpicere, & maximè in iis, quæ nunc recitata ſunt, &c.*

Lib. 9. *An tu putas, qui vix diebus feſtis ad Eccleſiam venis, nec intentus es ad audienda verba divina, nec des operam ad implenda mandata; quòd poſſit ſors Domini venire ſuper te?* Ibidem. *Si ad Eccleſiam frequenter veniens, aurem literis divinis admoveas, explanationemque mandatorum cæleſtium capias: ſicut cibis & deliciis caro, ita ſpiritus verbis divinis convaleſcet; ac ſenſibus & cupiditatibus robuſtior effectus, carnem ſibi parere coget ac ſuis legibus obſequi. Nutrimenta igitur ſpiritûs ſunt divina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ: his alitur cibis, his convaleſcit, his victor efficitur.*

Contra

Contra Julianum lib. 7. 170 *Dicimus igitur, quòd linguâ quidem Hebræorum prophetica dicta ſunt & Moſaica; ut autem omnibus eſſent nota, parvis & magnis utiliter familiari ſermone commendata ſunt, ita ut nullius captum tranſcendant.* Et paulò poſt, 171 *Itaque à divinâ Scripturâ melior evadet quiſquis fuerit, & aliis quoque non inutilis erit.*

430. Iſidorus Peleuſiota.

Lib. 3. Epiſt. 13. Ἀναγινώσκειν τὰς γραφὰς ὀφείλεις, καὶ μὴ περὶ πάντων ἐρωτᾷν. *Scripturas ſacras lectitare debes, ac non de omnibus alios interrogare.*

Ibid. Epiſt. 171. 172 Χρὴ μὲν καὶ ψάλλειν μετὰ συνέσεως, καὶ εὔχεσθαι μετὰ νήψεως· i. e. *attento ac vigilanti animo:* νήψεως enim vocabulum ſignificationem habet συνέσεως & νουνεχείας· ut annot. 32. ad Greg. Nyſſen. de Opificio hominis oſtendit Jo. Leunclavius.

450. Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus.

De Græcarum affectionum curatione Serm. 5. *Univerſa quæ ſub ſole eſt terra, his* (S. Scripturæ) *ſermonibus referta eſt.* 173 *Hebraici libri non modò in Græcum idioma converſi ſunt, ſed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Perſicam, Indicam, Armenicamque, & Scythicam, atque adeò Sauromaticam; ſemelque ut dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur.* Et paulò poſt. 174 *Paſſimque videas hæc noſtratia dogmata non ab iis ſolùm teneri, qui ſunt Eccleſiæ magiſtri, populorumque præceptores; ſed ab ipſis quoque ſutoribus, fabriſque ferrariis, lanificibus præterea cunctiſque artificibus; quin & à fæminis item omnibus, non iis modò, ſi quæ demum illæ ſunt, quæ literas didicerunt, ſed quæſtuariis ac ſartricibus, ancillisque adeò & pediſſequis. Neque ii ſolùm, qui urbes incolunt, homines, ſed ipſi quoque agricolæ probè eadem ſciunt:*

170 Φαμὲν οὖν, ὅτι γλώττῃ μὲν Ἑβραίων ἐλαλήθη τὰ προφητῶν, καὶ αὐτὰ δὲ τὰ Μωσέως, ἵνα δὲ καὶ ὑπάρχῃ γνώριμα, μετεποιήθη χρησίμως εἰς τὸ τῆς γλώττης εὐτελὲς, καὶ δυσφίκτον ἐχούσης παντελῶς οὐδέν.

171 Οὐκοῦν ἀπὸ μὲν τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, ἑαυτοῦ βελτίων ἂν γένοιτο πᾶς τις ὤν, καὶ μὴν καὶ ἑτέροις οὐκ ἀσυντελὴς εἰς ὄνησιν.

172 Locum ſic vertit Jacobus Billius. *Pſallere quidem cum prudentiâ, & attento ac vigilanti animo precari, oportet.*

173 Καὶ ἡ Ἑβραίων φωνὴ οὐ μόνον εἰς τὴν Ἑλλήνων μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν Ῥωμαίων καὶ Αἰγυπτίων, &c. καὶ συλλήβδην εἰπεῖν εἰς πάσας τὰς γλώττας, αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ.

174 Καὶ ἔστιν ἰδεῖν ταῦτα εἰδότας τὰ δόγματα, οὐ μόνους γε τῆς ἐκκλησίας τοὺς διδασκάλους, ἀλλὰ καὶ σκυτοτόμους καὶ χαλκοτύπους, &c. καὶ γυναῖκας ὡσαύτως, οὐ μόνον τὰς λόγων μετεσχηκυίας, ἀλλὰ καὶ χερνήτιδας, &c.

foſſoreſque

ſoſſoreſque adeò ac bubulcos invenias, plantarumque conſitores, de divinâ Trinitate rerumque omnium creatione diſſertantes, humanæ item naturæ magis conſcios eſſe, quàm Plato Stagiriteſque fuerint.

Ibid. Serm. 8. *Pronum ſiquidem fuit & quàm facillimum ſapientiæ fonti, qui prophanis impiiſque hominibus eam, quâ tantopere gloriantur, eloquentiam dedit, vel Platone facundiores, vel acriores Demoſthene, vel rotundiores Thucydide, vel Ariſtotele & Chryſippo cudendis inſolubilibus ſyllogiſmis acutiores prodere veritatis præcones* (i. e. ſacrarum literarum Scriptores, ut ex antecedentibus liquet.) 175 *Cæterùm locuples illa liberaliſſimaque divinitas noluit quinque ſolùm, decemve aut quindecim, centumve aut ducentos homines aquis ſalutaribus recreari, ſed cunctas affatim tum Græcas tum barbaras nationes: neque ſolùm homines literarum ſtudiis innutritos, ſed ſutores juxta textoreſque, fabros item ferrarios cæteroſque manuales artifices, præterque hos ipſos etiam mendicos, agricolas, lignatores; fœminas quoque tum divitiis affluentes, tum manuum ſuarum ſtudio parcè ac duriter victitantes.*

Comment. in 1 Corinth. XIV. Qui loquitur linguâ, ſemetipſum ædificat.] 176 *Qui enim aderant, non intelligebant ea quæ dicebantur.* Eritis in aera loquentes] 177 *Præſentibus enim non intelligentibus, verba in aerem inaniter diffunduntur.* Orabo ſpiritu, orabo & mente.] *Spiritum donum appellat, mentem autem* 178 *declarationem eorum quæ dicuntur. Dicit ergo oportere eum, qui aliâ linguâ loquitur,* 179 *ſive in pſalmodiâ, ſive in oratione, ſive in doctrinâ, vel ipſum interpretari ad utilitatem eorum qui audiunt, vel alium qui præſtare id poſſit, ſocium aſſumere.* Qui ſupplet locum Idiotæ] 180 *Idiotam appellat eum, qui in laicorum ordine conſtitutus eſt.* Nam tu quidem bene gratias agis.] *Scio, inquit, te divinâ actum gratiâ Deum laudare:* 181 *ſed ea quæ dicuntur, non intelligit is qui linguam ignorat.*

175 Ἀλλ' οὐκ ἐβουλήθη πέντε ἢ δέκα, ἢ, &c. τῶν σωτηρίων ἀπολαῦσαι ναμάτων, ἀλλὰ πάντας ἀνθρώπους καὶ Ἕλληνας, καὶ βαρβάρους, καὶ τοὺς λόγοις ἐντεθραμμένους καὶ τοὺς λόγων οὐ γεγευμένους, καὶ σκυτέας καὶ ὑφάντας, &c.

176 Οὐ συνίεσαν γὰρ τὰ λεγόμενα οἱ παρόντες.

177 Τῶν παρόντων οὐ συνιέντων.

178 Τὴν σαφήνειαν τῶν λεγομένων.

179 Εἴτε ἐπὶ ψαλμῳδίας, εἴτε ἐπὶ προσευχῆς, εἴτε ἐπὶ διδασκαλίας.

180 Τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον.

181 Οὐ συνίησι τῶν λεγομένων ὁ τῆς γλώττης οὐκ ἐπιστάμενος.

460. Marcus

460. Marcus Eremita. [182]

In Diſputatione cum Scholaſtico. 183 *Orationem autem dicimus, non quæ tantùm geſtu quodam corporeo demonſtratur, ſed quæ etiam per intellectum indiſtractum offertur Deo.*

Marcum hunc ferunt in ætate juvenili ſanctarum Scripturarum fuiſſe memorem; ita ut cùm adhuc eſſet junior, memoriter Vetus & Novum Teſtamentum diceret. Sozomenus lib. 6. Hiſt. cap. 29. Palladius in Hiſtoriâ Lauſiacâ.

500. Olympiodorus. [184]

In Eccleſiaſt. cap. 1. 185 *Sacra Scripturâ, inſtar terræ, immobilis eſt, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit.*

In Eccleſiaſt. cap. 12. 186 *Meditatio quam intendimus circa divinos libros (in quâ nos verſari die noctuque ſanctus David hortatur cùm dicit:* Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*) non labor eſt carnis, ſed exultatio ſpiritus. Quamvis enim in ſudore ac lachrymis ſeminemus, laborantes circa honeſtum; in exultatione tamen metemus inclytum virtutis fructum. Bonorum ſiquidem laborum glorioſus eſt fructus.*

520. Dorotheus Abbas. [187]

Doctrinâ 23. *Pſalmodiæ ſtudium & curam adhibeamus; & mentem tamen non divertamus à virtute ſanctorum verborum. Ut ſcilicet & os & cor pariter pſallant.* Ὀφείλομεν οὖν καὶ ἡμεῖς μετὰ νήψεως ψάλλειν καὶ τιθέναι τὸν νοῦν ἡμῶν εἰς τὴν δύναμιν τῶν λόγων τῶν ἁγίων, ἵνα μὴ μόνον τὸ σῶμα (καθὼς λέγει τὸ γεροντικὸν) ἀλλὰ καὶ ἡ καρδία ἡμῶν μετὰ σώματος ψάλλῃ.

Doctrinâ 8. *Nihil aliud adeò ut hoc demiror, quòd videlicet non advertimus quid quotidie pſallamus. Pſallimus quotidie, atque nos ipſos maledicimus & execramur, neque id advertimus. Annon debemus, quod pſallimus, intelligere?* Si reddidi, *ait*, retribuentibus mihi mala, deci-

182 Rectiùs illum ad annum 401. retulit Gul. Cave in Hiſt. Literar.

183 Προσευχὴν δὲ λέγομεν οὐ μόνον διὰ σαρκὸς ἐπιδεικνυμένην, ἀλλὰ καὶ δι' ἐννοίας ἀπερισπάστου τῷ Θεῷ προσφερομένην.

184 Incertæ admodùm ætatis Author.

185 Ἡ δὲ θεία γραφὴ, γῆ ὀνομαζομένη, διὰ τὸ ἀκίνητον, καὶ καρποφόρον, καὶ πάνδεκτον.

186 Ἡ δὲ περὶ τὰ θεῖα βιβλία μελέτη, περὶ ἣν ἡμᾶς ἐναδολεσχεῖν ἡμέρας καὶ νυκτὸς ὁ ἅγιος ἐκέλευσε Δαβὶδ, λέγων, καὶ ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ, &c. οὐ κόπωσις ὑπάρχει σαρκὸς, ἀλλὰ ψυχῆς ἀγαλλίασις, &c.

187 Ad annum potiùs 600. referendus eſt.

dam

dam meritò ab inimicis meis inanis. Οὐ ξενίζωμαι ἄλλο, ἢ ὅτι οὔτε οἴδαμεν τί ψάλλωμεν, καθ' ἑκάστην ψάλλωμεν, καὶ καταρώμεθα ἑαυτοὺς καὶ οὐ συνίεμεν· οὐκ ὀφείλομεν εἰδέναι τί ψάλλωμεν; ὅτι ἀεὶ λέγομεν. Εἰ ἀνταπέδωκα τοῖς ἀνταποδιδοῦσί μοι κακά, ἀποπέσοιμι ἄρα ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου κενός.

Doctrinâ 11. 188 *Habenda eſt à nobis temporis ratio, exquirendumque ut diem noctemque tranſegerimus. Si cum reverentiâ & attentione ad pſalmodiam, ad orationem ſteterimus, nec paſſi ſumus captivos nos trahi à cogitationibus & paſſionibus noſtris. Si attentas aures præſtitimus divinis lectionibus. Si interrupimus pſalmodiam, inaniter extra Eccleſiam & chorum educti.*

Doctrinâ 22. *Libet mihi, fratres, pauca quædam de Pſalmis non inutiliter vobis afferre; ut non ſitis tantùm ad cantûs ſuavitatem intenti, ſed & omnis mens quoque veſtra, ut par eſt, incaleſcat in virtute ſermonum.* Ἵνα μὴ ἀπομετεωρίζεσθαι πρὸς τὸ μέλος, ἀλλ' ἵνα καὶ αὐτὸς ὁ νοῦς ὑμῶν κατὰ ἀναλογίαν συμπεπύρωται τῇ δυνάμει τῶν λόγων.

Vide Doctrinam 20.

Hactenus Græcos audivimus Patres, qui prioribus quinque ſæculis à Domini noſtri aſcenſione claruerunt. Atque his temporibus vixiſſe videtur Author ille, qui Dionyſii Areopagitæ perſonam aſſumens, pro Pauli diſcipulo à Pontificiis agnoſcitur. Itaque nec teſtimonium ejus hîc omittendum cenſuimus.

In cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ubi in myſterio Synaxeos explicando Pſalmodiæ meminiſſet, & Scripturarum lectionis à Miniſtro recitatæ, addit in Θεωρίᾳ, Αἱ μὲν γὰρ ἱερώταται τῶν λογίων ᾠδαὶ καὶ ἀναγνώσεις διδασκαλίαν αὐτοῖς ἐναρέτου ζωῆς ὑφηγοῦνται· καὶ πρόγε τούτου τὴν παντελῆ τῆς φθοροποιοῦ κακίας ἀποκάθαρσιν. i. e. *Sacratiſſima Scripturarum Cantica & lectiones, integerrimæ illis vitæ magiſterium dictant; & (quod ordine præit) exactiſſimam malitiæ totius ac perniciofiſſimæ vitioſitatis emendationem docent.*

188 —— Εἰ μετὰ νήψεως ἵστατό τις εἰς τὴν ψαλμῳδίαν καὶ εἰς τὴν εὐχήν, —— εἰ συνεχῶς ἤκουσε τῶν θείων ἀναγνωσμάτων· εἰ μὴ ἀφῆκε τὴν ψαλμῳδίαν, &c.

560. Ana-

560. Anaſtaſius Sinaita, Patriarcha Antiochenus.

189 In Ὁδηγῷ, cap. 22. pag. 339. *Igitur fides Chriſtianorum eſt incurioſa, in ſimplicitate & rectitudine cordis totam divinam Scripturam recipere & audire conſueta, maximè verò doctrinam à patribus traditam. Dicta enim Evangelica & Apoſtolica ſcimus univerſim depravari non poſſe; quemadmodum variis locis jam oſtendimus; eò quòd Evangelium ſeptuaginta duarum linguarum & gentium literis conſignatum ſit. Quare fieri nequit, ut vel detractione vel additione à ſceleratis corrumpatur. Nam licèt quis unius vel alterius linguæ libros falſare conaretur; improbitas tamen iſta ſtatim detegeretur & redargueretur ab aliis ſeptuaginta linguis. Quidam enim ex Evangelio S. Lucæ locum illum de guttis ſanguinis & ſudoris exſcindere tentàrunt, nec potuerunt. Nam Codices, qui his carent, falſitatis convincuntur ex plurimis aliis, qui omnia illa repræſentant, codicibus; qui tam Græcè quàm aliarum nationum linguis exarati ſunt. At verò monumenta patrum, maximè dogmatica, non ſunt in omnium gentium ſermonem converſa, nec ad omnes regiones perlata. Quo fit, ut Hæretici quædam adjiciendi, quædam verò demendi occaſionem nacti fuerint.* Huic loco non aliud habet quod objiciat Gretſerus, quàm Anaſtaſium hallucinatum eſſe, Defenſ. Bellarm. adv. Whitaker. Tom. 1. p. 904.

Idem in Hexameron lib. 7. (col. 255.) *Qui ſtudiosè audiunt eum qui jubet & dicit,* Scrutamini Scripturas; *accipiant in manus libros cœli & terræ & alium qui dicit,* Liber generationis Jeſu Chriſti [h. e. Vetus & Novum Teſtamentum.]

600. Heſychius Hieroſolymitanus Epiſcopus.

Lib. 2. Comment. in cap. 8. Levitici, *In multas linguas & differentes diviſum eſt Verbum Dei.*

189 Οὐκοῦν πίστις ἀπερίεργός ἐστιν ὁ Χριστιανισμὸς, καὶ δέον ἐν ἁπλότητι καὶ εὐθύτητι καρδίας δέχεσθαι καὶ ἀκούειν πᾶσαν θείαν γραφὴν, καὶ μάλιστα τὰς διδασκαλικάς. — διαδοθέντος καὶ γραφέντος τοῦ εὐαγγελίου ἐν τοῖς γράμμασι τῶν ἑβδομήκοντα δύο γλωσσῶν καὶ ἐθνῶν, ἀδύνατόν ἐστι ῥαδιουργίαν ἢ μείωσιν ἢ προσθήκην ὑπομεῖναι αὐτῷ· κἂν γὰρ μιᾶς ἢ καὶ δευτέρας γλώττης ἐπιχειρήσοι τις νοθεῦσαι τὰ βιβλία, ἠλέγχετο διὰ τῶν ἄλλων ἑβδομήκοντα γλωσσῶν ἡ ῥαδιουργία αὐτή. — ἐν γὰρ πᾶσι τοῖς ἐθνικοῖς εὐαγγελίοις κεῖται καὶ ἑλληνικοῖς πλείστοις.

616. Syri.

Anno ab Alexandro (ſic Seleucidarum Epocham notant Syri) 927. apparet ſacros libros converſos in linguam Syriacam (ex Græco exemplari, quod manu Euſebii ad Origenis libros, qui in Cæſareenſis Eccleſiæ Bibliothecâ aſſervabantur, fuerat emendatum) & ſcriptos Alexandriæ : ex quibus Andreas Maſius ſe Deuteronomii bonam partem unâ cum libris hiſtoricis MS. habuiſſe teſtatur. [præfat. in Joſuam, p. 6. & 123.

CAPUT

CAPUT III.

Latinorum Patrum teſtimonia, qui iiſdem temporibus floruerunt.

200. Tertullianus.

IN Apologetico adverſùs Gentes cap. 31. *Qui ergo putas nihil nos de ſalute Cæſarum curare, inſpice Dei voces, literas noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt.*

Ibid. cap. 39. *Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu factâ precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro morâ finis.* 1 *Cogimur ad divinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum inculcationibus denſamus.* Et paulò poſt de Agapis verba faciens: *Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.*

Lib. 2. ad Uxorem. *Quid maritus ſuus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat ſanè, audiat aliquid de Dei cœnâ, de釘 tabernâ, de gehennâ. Quæ Dei mentio? Quæ Chriſti invocatio? Ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione? Ubi ſpiritûs refrigerium? Ubi divina benedictio?* Ibid. *Sonant inter duos* (maritum ſc. & uxorem) *pſalmi & hymni; & mutuò provocant quis meliùs Deo ſuo canat. His pacem ſuam Chriſtus mittit.*

250. Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus.

De Oratione Dominica, Sect. 3. *Et quando in unum cum fratribus convenimus, & ſacrificia divina cum Dei ſacerdote celebramus; verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus; non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè Deo tumultuosâ*

1 In Edit. Rhenani & Pamelii, *Coimus.*

loquacitate jactare. Quia Deus non vocis ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes hominum videt, &c.

Ibid. ſect. 20. *Cùm Dei ſermo Dominus noſter Jeſus Chriſtus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni ſexui atque ætati præcepta ſalutis ediderit; Præceptorum ſuorum fecit grande compendium; ut in diſciplinâ cœleſti diſcentium memoria non laboraret; ſed quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium, velociter diſceret.*

Ibid. ſect. 22. *Quando autem ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat; nec quidquam tunc animus quàm id ſolum cogitet, quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem præfatione præmiſsâ parat fratrum mentes dicendo;* Surſum corda: *ut dum reſpondet plebs;* Habemus ad Dominum: *admoneatur nihil aliud ſe quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat; nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincerâ Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare.* Et paulò poſt. *Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cùm te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipſe memor tui non ſis?* Locus iſte à Gratiano in Decretum transfertur, par. 3. de Conſecrat. Diſt. 1. cap. *Quando autem.*

Epiſt. 2. ad Donatum. *Sit tibi vel oratio aſſidua vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te præceptis ſuis inſtruat, ille diſponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria eſſe nulla jam poterit, cùm ſemel pectus cœleſtis ſagina ſaturavit.*

De zelo & livore ſect. 14. *Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in ſenſibus dominica cogitatio.*

316. Lactantius Firmianus.

Inſtitut. divin. lib. 5. cap. 1. *Prophetæ communi & ſimplici ſermone, ut ad populum, ſunt locuti.*

Lib. 6. cap. 21. *Num igitur Deus, & mentis & vocis & linguæ artifex, diſertè loqui non poteſt? Immò verò ſummâ providentiâ carere fuco voluit ea quæ divina ſunt; ut omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur.*

360. Hilarius Pictavorum Epiſcopus.

In Pſalmum I. *Meditatio legis non ſolùm in verbis legentis eſt, ſed & in operis religione: neque ut libros tantùm & Scripturas recenſeamus, ſed ut ea quæ Scripturis & libris continentur, geſtis rebuſque meditemur.*

In Pſalm LXV. *Audiat orantis populi conſiſtens quis extra Eccleſiam vocem, ſpectet celebres hymnorum ſonitus, & ante divinorum quoque Sacramentorum officia reſponſionem devotæ confeſſionis accipiat.*

In Pſalm. CXVIII. ad finem Zain. *Utile eſt juſtificationes Dei ſine aliquâ temporis intermiſſione ſcrutari; quia per exquiſitionem earum memoriam nos perpetim continemus in Jeſu Chriſto.* Ibid. ad literam Caph. *Utinam cordis clamore loqueremur. Labia tantùm noſtra ſenſu peregrinante quod neſciunt murmurant; & officium corporis mens in res alias occupata non ſequitur.*

In Pſalm. CXXVI. *Sermo divinus ſecundùm intelligentiæ noſtræ conſuetudinem naturamque ſe temperat, communibus rerum vocabulis ad ſignificationem doctrinæ ſuæ & inſtitutionis aptatis; nobis enim non ſibi loquitur, atque ideo noſtris utitur in loquendo.*

In Pſalm. CXXXV. *Plerunque, immo ſemper, vitio noſtrò accidit, ut quæ legi in Eccleſiâ audimus, auribus atque animis noſtris longè ab his peregrinantibus negligamus; ut per audiendi incuriam vileſcat apud nos dictorum cæleſtium dignitas; cùm in lectionis tempore rationes ſupputamus, iras concipimus, injurias cogitamus, luxus recolimus. Tunc ad hæc occupatis nobis ſurdæ aures ſunt, & hebes mens eſt. Et ſi quid fortè in aures noſtras eorum quæ leguntur inciderit; virtutem tamen dictorum obrutus ſæculi curis animus non ſentit; & quorum intelligentiam non ſequitur, levem exiſtimabit authoritatem. Omnia autem, quæ in libris Propheticis ſunt, maximum humanæ & ſalutis & doctrinæ profectum in ſe habent; noſtrique causâ univerſa ſcripta ſunt, &c.*

370. Ulphilas Gothorum Epiſcopus.

Hic primus γράμματα ἐφεῦρε Γοτθικὰ, καὶ τὰς θείας γραφὰς εἰς τὴν Γοτθῶν μεταβαλὼν, τοὺς βαρβάρους μανθάνειν τὰ θεῖα λόγια παρεσκεύασεν, *Gothicas literas excogitavit; & ſacris Scripturis in Gothorum ſermonem converſis, effecit ut Barbari divina eloquia perdiſcerent.* Ut habet Socrates lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 33. [juxta edit. Græc. nam in Latin. eſt 27.] cui conſentit Sozomenus lib. 6. Hiſt cap. 37. edit. Lat. & Nicephorus

phorus lib. 11. cap. 48. Atque hinc eſt quòd Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 7. de Gothis ita ſcribat. *Et (ut hiſtoriæ teſtantur) poſtmodum ſtudioſi illius gentis divinos libros in ſuæ locutionis proprietatem tranſtulerunt, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur.* Quin & hodie tranſlationis Ulphilæ exemplar MS. idque vetuſtiſſimum Gothicis literis majoribus ſcriptum in aliquâ Germaniæ Bibliothecâ deliteſcere dicitur, (B. Vulcanius præfat. in lib. de linguâ & moribus Getarum.)

Matthæus Parker de Archiep. Cantuar. pag. 42. ex Roffenſi Hiſtoriâ. Ado in Chronico ætat. 6. A. D. 364. Iſidorus in Chron. Goth. Æra 415. Galfilam dicunt Gothorum Epiſcopum Gothicas literas adinveniſſe & Scripturas ſacras in eandem linguam convertiſſe. Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum de S. Gulphilâ agens, (ſic enim appellat) *Teſtamentum* (inquit) *vetus ac novum in linguam tranſtulit propriam.* Sixtus Senenſis lib. 4. Biblioth. Sanct. *Omnes* (inquit) *divinas Scripturas è Græco in Gothicam linguam à ſe converſas Gothis tradidit, & Catholicè explicavit, diu multumque adversùs Arianos decertans.* Simeon etiam Metaphraſtes in Martyrio S. Nicetæ (quod habetur 15. die Septembris) de Ulphilâ ita ſcribit. *Hic cùm eſſet vir prudens & doctus, invenit figuras literarum & ſonos Gothicæ voci convenientes: & cùm in eis ſacram noſtram & divinitus inſpiratam Scripturam è Græcâ in linguam Gothicam vertiſſet; omni ſtudio & diligentiâ effecit, ut eam diſcerent, qui erant ſuæ gentis. Quamobrem magnum incrementum accipiebat pietas apud Barbaros, & indies proficiebat.* Vid. Sigebertum.

Sixtus Senenſis, & Rhemenſes in Præfat. Nov. Teſtam. fatentur tranſlationem hanc ab Ulphilâ factam, antequam eſſet Arianus: factumque id probat Angelus Roccha in Biblioth. Vatic. p. 152. ut falſum eſſe appareat, quod ſcribit Bellarminus lib. 2. de Sacram. in genere cap. 31. & Johannes Magnus lib. 15. hiſtor. Gothor. cap. 1. Ulphilam, *ut ſuam inſignem impietatem efficaciùs ſtabiliret*, primum omnium divinarum literarum ſacratiſſimum theſaurum in Gothicam linguam transfudiſſe, *immixto, quod imbiberat, pernicioſo veneno.*

Gothi temporibus Valentis Aug. Wulfilâ Epiſcopo Authore, Chriſtiani quidem facti ſunt, ſed Ariani: atque adeò etiamnum in iiſdem regionibus degunt ſub Præcopenſi Tartarorum Dynaſtâ; & utrumque Teſtamentum iiſdem literis, quas excogitavit Wulfila, conſcriptum, & eâdem linguâ, quâ tempore Ovidii utebantur, interpretatum legunt. Joſephus Scaliger lib. 3.

Canonum

Canonum Iſagogicorum pag. 138. De Ulphilæ tranſlatione vid. Paulum Diaconum lib. 12. 2

370. Hilarius Romanus Diaconus, 3 vel quicunque author fuit Commentariorum, qui Ambroſii nomine feruntur, in Pauli Epiſtolas.

Authorem hunc ſancti Hilarii nomine citat Auguſtinus lib. 4. contra 2. epiſt. Pelagian. cap. 4. Alii Hilarium, qui Romæ Diaconus fuit temporibus Damaſi, eſſe ſuſpicantur. In Commentariis ad 1 Tim. III. mentionem factam legimus Damaſi Rectoris Eccleſiæ; quem locum cùm Pontificii Doctores, Hardingus [a], Sanderus [b], Bellarminus [c], Stapletonus [d], & alii [e] paſſim ad Primatum Pontificium ſtabiliendum citare ſoleant; ejuſdem Authoris explicationem 14. capitis prioris Epiſtolæ ad Corinthios aſpernari non debeant. Hinc autem ſententiæ ſequentes deductæ ſunt.

Nam qui loquitur linguâ] *Hoc eſt quod dicit; quia qui loquitur incognitâ linguâ, Deo loquitur, quia ipſe omnia novit; homines verò neſciunt; ideoque nullus eſt ex hâc re profectus.* Si igitur neſciero virtutem vocis, &c.] *Non utique id ſtudendum monet, ut invicem per incognitam linguam barbari ſibi videantur: ſed quia concordiæ res eſt, his nitendum eſt, ut per unanimitatem intellectûs communi lætitiâ, glorientur.* Id ibid. *Exemplis commendat, per quæ facilè aſſequantur non debere illos loqui linguis, qui interpretari non poſſunt; ut quid enim loquatur, quod nemo intelligit?* Si oravero linguâ; ſpiritus meus orat, mens autem eſt ſine fructu.] *Manifeſtum eſt ignorare animum noſtrum, ſi linguâ loquatur quam neſcit: ſicut aſſolent, non autem in Eccleſiâ, Latini homines Græcè cantare, oblectati ſono verborum, neſcientes tamen quid dicant. At quem poteſt habere fructum, qui ignorat quæ loquatur?* Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu] *Hoc eſt ſi laudem Dei linguâ loquaris ignotâ audientibus.* Quis ſupplet locum Idiotæ? Quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem? quia neſcit quid dicas] *Imperitus enim audiens, quod non*

[a] Artic. 4. contra Juel. [b] De viſib. Monarch. lib. 7. [c] De Roman. Pontif. lib. 2. cap. 16. [d] In epiſt. dedicat. Princip. doctrinal. ad Gregor. XIII. [e] Rhemenſes in 1 Tim. III. 15.

2 Gothicam IV. Evangeliorum Verſionem antiquam cum Gloſſario & notis Junius & Mareſchallus ediderunt *Dordraci*, 1665. 4to.

3 Hilario Diacono deberi hoſce Commentarios apud omnes ferè eruditos receptum eſt.

intelligit,

intelligit, neſcit finem orationis; & non reſpondet Amen, i. e. Verum, ut confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui reſpondent Amen; ut omnia dicta veri teſtimonio in audientium mentibus confirmentur. Citatur locus iſte poſtremus Ambroſii nomine ab Amalario Fortunato Eccleſiaſt. Offic. lib. 3. cap. 9.

Nam tu quidem bene gratias agis] *De eo dicitur, qui cognita ſibi loquitur, quia ſcit quid dicat.* Sed alius non ædificabitur] *Si utique ad ædificandam Eccleſiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodeſt, ut quis linguâ loquatur, quam ſolus ſcit; ut qui audit, nihil proficiat? Ideò tacere debet in Eccleſiâ, ut ii loquantur, qui proſint audientibus.* Per ſenſum meum, ut & alios ædificem, &c.] *Vtilius dicit paucis verbis in apertione ſermonis loqui, quod omnes intelligunt, quàm prolixam orationem habere in obſcuro. Hi ex Hebræis erant, qui aliquando Syrâ linguâ, plerunque Hebræâ in tractatibus aut oblationibus utebantur ad commendationem. Gloriabantur enim ſe dici Hebræos propter meritum Abrahæ.* Si intret aliquis infidelis vel Idiota, &c.] *Cùm enim intelligit & intelligitur, audiens laudari Deum, & adorari Chriſtum; pervidet veram eſſe & venerandam religionem; in quâ nihil fucatum, nihil in latebris videt geri; ſicut apud Paganos, quibus velantur oculi, ne quæ ſacra vocant perſpicientes, variis ſe vanitatibus cernant illudi. Omnis enim impoſtura tenebras petit, & falſa pro veris oſtendit. Ideò apud nos nihil aſtutè, nihil ſub velamine; ſed ſimpliciter unus laudatur Deus, ex quo ſunt omnia, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia. Si enim nullus ſit qui intelligat, aut à quo ipſe diſcutiatur, poteſt dicere ſeductionem eſſe quandam & vanitatem, quæ ideo linguis canitur, quia pudoris eſt, ſi reveletur.* Omnia ad ædificationem fiant.] *Concluſio hæc eſt, ut nihil incaſſum in Eccleſiâ geratur; hocque elaborandum magis, ut & imperiti proficiant, ne quid ſit corporis per imperitiam tenebroſum.* Quòd ſi non fuerit interpres, taceat in Eccleſiâ; ſibi autem loquatur & Deo.] *Hoc eſt, intra ſe tacitè oret aut loquatur Deo, qui audit muta omnia. In Eccleſiâ enim ille debet loqui, qui omnibus proſit.*

Idem in Epheſ. cap. IV. *Paſtores* (quorum ſc. Apoſtolus meminit, Epheſ. IV. 11.) *Poſſunt eſſe Lectores, qui lectione ſaginent populum audientem: quia non in pane tantùm vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.*

375. Turo-

375. Turonenſis Eccleſia.

Cùm S. Martinus ad Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopatum à populo eligeretur; *inter Epiſcopos qui affuerant, præcipuè Defenſor quidam nomine, dicitur reſtitiſſe: unde animadverſum eſt, graviter illum lectione propheticâ tunc notatum. Nam cùm fortuitò Lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuiſſet, turbatis miniſtris, dum expectatur qui non aderat, unus è circumſtantibus ſumpto Pſalterio, quem primum verſum invenit, arripuit. Pſalmus autem hic erat:* [f] Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & defenſorem: *quo lecto clamor populi tollitur, pars adverſa confunditur.* Hæc Severus Sulpitius lib. 1. de vitâ Martini: ex cujus narratione intelligimus Scripturas linguâ à populo intellectâ recitatas fuiſſe in Gallicanis quoque Eccleſiis. Eandem hiſtoriam habes apud Venantium Fortunatum lib. 1. de vitâ Martini cap. 11. & Paulinum Nolanum lib. 2. de vitâ Martini.

377. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus.

In Pſalm. CXVIII. Serm. 1. *Si quis in viâ ambulat, ſcrutetur teſtimonia Domini.* Ibid. *Et tu lege Prophetam, ut videas: lege, ut aperiat oculos tuos.* Et paulò poſt. *Quòd ſi fugias lectionem Propheticam, ſi domi non legas, in Eccleſiâ audire nolis; nonne ſicut ille qui averſo connivet obtutu, ne videat quod poſſit videre, claudit oculos ne aſpiciat, cui poteſtas videndi eſt; aut ſicut in furore plerique injecere manus oculis ſuis: ita & tu primò averteris conniventi magis* [diſſimulatione] *quàm refragatione præruptâ. Nam cum ad Eccleſiam venis, & Chriſtianum te aſſeris, ſanus videris; aperis oculos, quibus poſſis videre: ſed dum audire diſſimulas quæ leguntur; claudis ne videas tibi, etſi aliis videre videris. Injicis etiam quaſdam perfidiæ & intemperantiæ manus oculis animæ tuæ, & cæcitatem infers cordi tuo (quod eſt gravius) voluntariam; ut videns non videas, audiens non audias.*

Ibid. Serm. 19. *Noctibus ac diebus ſine ullâ ceſſatione recenſeto Scripturas divinas; quia & ſiquid aliud ſeniorem interrogaveris; neſcit niſi Scripturæ divinæ ſeriem reſultare. Vacat illic ſermo de ſæculo: ſola illic Scriptura contexitur: ſingulorum ſibi per vices ora ſuccedunt, &c.*

[f] Pſalm. VIII.

Ibid. Serm. 21. *Inveni Heptateuchum, inveni Regnorum libros, &c. inveni ſapientem auditorem, populum Chriſtianum, qui novit ea, quæ leguntur, audire. Ille enim audit, qui ea, quæ audit, intelligit. Lex enim ſpiritualis eſt. Non eam audit Judæus, qui audit corporaliter: ſed ille audit, qui audit in ſpiritu.*

Offic. lib. 1. cap. 22. de colloquiis agens. *Sit igitur ſermo hujuſmodi de Scripturis maximè.*

De Abraham lib. 2. cap. 5. *Mens igitur noſtra cum ipſo* (Jeſu) *ſemper ſit: ab ejus templo, ab ejus verbo nunquam recedat. Semper in lectione Scripturarum ſit, meditationibus, orationibus; ut ſermo ejus,* [g] *Qui eſt, ſemper operetur in nobis; & ut quotidie procedentes in Eccleſiam, vel domeſticis incubantes orationibus, ab ipſo incipiamus, & in ipſo finiamus.*

4 De Jejunio Domini in Deſerto ſerm. 35. *Quàm bene autem jejuniorum tempore verbum Dei dixit, eò quòd reficit; ut oſtenderet jejunia noſtra non debere ſæculi actibus occupari, ſed ſacris literis exerceri. Negligit enim famem corporis, qui pabulo lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimenta verbi cæleſtis acquirit. Ipſa eſt enim refectio, quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera; cùm de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipſa eſt eſca, quæ vitam æternam tribuit; & inſidias à nobis diabolicæ tentationis excludit. Quòd autem ſacrarum literarum lectio vita ſit, Dominus teſtatur dicens:* [h] Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita eſt.

De Virginitate lib. 3. *Maxima eſt virtus tacendi, præſertim in Eccleſiâ. Nulla te divinarum fugiet ſententia lectionum, ſi aurem admoveas, vocem premas, &c.* [i] *Conſervabat enim Maria, ut legimus, omnia in corde ſuo, quæ de filio dicebantur; & tu, cùm legitur aliquid, quo Chriſtus aut venturus annunciatur, aut veniſſe oſtenditur; noli fabulando obſtrepere, ſed mentem admove. An quicquam eſt indignius, quàm divina oracula circumſtrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur; circumſonari Sacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium: cùm Gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferunt?*

In Luc. lib. 7. cap. 15. *Hæc eſt ſymphonia; quando concinit in Eccleſiâ diverſarum ætatum atque virtutum velut variarum chordarum indiſcreta concordia. Pſalmus reſpondetur: Amen dicitur. Hæc eſt ſym-*

[g] Apoc. I. [h] Joan. VI. [i] Luc. II.

4 Vide annon Maximo Taurinenſi potiùs debeatur.

phonia,

phonia, quam ſcivit & Paulus; & ideo ait: [k] Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.

Hexaemer. lib. 3. cap. 5. *Ecquid aliud ille concentus undarum, niſi quidam concentus eſt plebis? Unde bene mari plerunque* [l] *comparatur Eccleſia; quæ primo ingredientis populi agmine totis veſtibulis undas vomit; deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus ſtridet: tum reſponſoriis Pſalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum, conſonus undarum fragor reſultat.*

Præfat. in Pſalmos. *Pſalmus benedictio populi eſt, Dei laus, plebis laudatio, plauſus omnium, ſermo univerſorum, vox Eccleſiæ, &c. inſtitutio incipientium, perfectorum confirmatio, &c. Pſalmum Reges ſine poteſtatis ſupercilio reſultant: Pſalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis. Certat in Pſalmo doctrina cum gratiâ ſimul. Cantatur ad delectationem, diſcitur ad eruditionem.*

380. Ruffinus Aquileienſis.

In Pſalm. XLI. *Si veraciter volumus orare, valdè attendendum, & memoriæ commendandum eſt quod dicitur;* Apud me oratio mea Deo vitæ meæ. *Sæpe quando oro, mens mea vagatur exteriùs: non intelligo quod dico. Tunc oratio mea non eſt apud me; neque ipſe ego ſum apud me. De talibus Dominus ait;* [m] Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. *Quomodo autem intendit Deus orationi meæ, cui non intendo.*

In Pſalm. LX. *Sic Pſalmum dicam, ut vota reddam, i. e. ſic pſallam voce, ut vox oris cum animi concordet devotione. Pſallentium enim Deo vox concordare debet cum corde, ut impleatur illud Apoſtoli.* [n] Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. *Non enim placet Deo laus illorum, de quibus dicitur:* Hic populus labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. *Tunc eſt autem Deo acceptabilis noſtra pſalmodia; quando ſic ore pſallimus, ut corde accendamur: quando in laude Dei ſimul conveniunt lingua, vita, & conſcientia.*

In Pſalm. LXIV. *Eſt etiam Scriptura ſacra cibus nobis paratus à Domino, quo quotidie reficimur, ne deficiamus in hujus peregrinationis deſerto. Unde ſcriptum eſt:* [o] Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.

[k] 1 Cor. XIV. [l] Pſalm. XXIII. & LXXIX. [m] Eſai. XXVI. & Matth. XV. [n] 1 Cor. XIV. [o] Deut. VIII. & Matth. IV.

Lib. 2. Apologiæ, ſeu Invectivæ potiùs in Hieronymum. *Puellis quoque & mulierculis ſcribens, quæ non utique niſi de noſtris Scripturis ædificari & cupiunt & debent, exempla eis Flacci ſui & Tullii vel Maronis intexit.*

390. Hieronymus Stridonenſis.

Epiſt. 7. ad Lætam de Inſtitutione filiæ. *Reddat tibi penſum quotidie de Scripturarum floribus carptum.* Et poſt, *Pro gemmis & ſerico divinos codices amet; in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, ſed ad fidem placeat emendata & erudita diſtinctio. Diſcat primò Pſalterium; his ſe Canticis avocet; & in Proverbiis Solomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat, quæ mundi ſunt, calcare. In Job virtutis & patientiæ exempla ſectetur. Ad Evangelia tranſeat, nunquam ea depoſitura de manibus. Apoſtolorum Acta & Epiſtolas totâ cordis imbibat voluntate. Cúmque pectoris ſui cellarium his opibus locupletaverit; mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum, & Regum & Paralipomenon libros, Eſdræ quoque & Heſter volumina, &c.* Ibid. *Adhuc tenera lingua Pſalmis dulcibus imbuatur.* Item. *Quærant eam in itinere ſæculi inter turbas & frequentiam propinquorum, & nuſquam alibi reperiant niſi in adyto Scripturarum: Prophetas & Apoſtolos de ſpiritualibus nuptiis ſciſcitetur.*

Epiſt. 8. ad Demetriadem. *Unum illud tibi nata Deo, præque omnibus unum, prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo; ut animum tuum ſacræ lectionis amore occupes; nec in bonâ terrâ pectoris tui ſementem lolii avenarumque ſuſcipias, &c.* Et poſt, *Statue quot horis ſanctam Scripturam ediſcere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, ſed ad delectationem & inſtructionem animæ.* Et in fine, *Finem jungo principio, nec ſemel monuiſſe contentus ſum. Ama Scripturas ſanctas; & amabit te ſapientia: dilige eam, & ſervabit te: honora illam, & amplexabitur te. Hæc monilia in pectore & in auribus tuis hæreant.*

Epiſt. 9. ad Salvinam viduam. *Semper in manibus tuis ſit divina lectio.*

Epiſt 10. ad Furiam viduam. *Quando comedis, cogita quòd ſtatim tibi orandum, illicò & legendum ſit. De Scripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerum; iſtud penſum Domino tuo redde; nec ante quieti membra concedas, quàm calathum pectoris tui hoc ſub tegmine impleveris. Poſt Scripturas ſanctas doctorum hominum tractatus lege, &c. Amorem monilium atque gemmarum ſericarumque veſtium transfer ad ſcientiam Scripturarum.*

Epiſt. 12.

Epiſt. 12. ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione. *Cùm autem virgunculam rudem & edentulam ſeptimus ætatis annus exceperit, & cœperit erubeſcere; ſcire quid taceat, dubitare quid dicat; diſcat memoriter Pſalterium, & uſque ad annos pubertatis libros Solomonis, Evangelia, Apoſtolos, & Prophetas ſui cordis theſaurum ſaciat.*

Epiſt. 22. ad Euſtochium. *Crebriùs lege, diſce quamplurima. Tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* Ibidem Monachorum ſui temporis inſtituta deſcribens. *Dominicis diebus orationi tantùm & lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opuſculis faciunt. Quotidie aliquid de Scripturis diſcitur.*

Epiſt. 27. ad Euſtochium de Paulâ matre, *Cùmque à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis, & eos ſervaret Evangelicæ lectioni, aiebat. Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſsâ & ceruſſâ & ſtibio ſæpe depinxi.*

In Eccleſiaſt. cap. 3. *Porrò quia caro Domini verus eſt cibus, & ſanguis ejus verus eſt potus, juxta ἀναγωγὴν· hoc ſolùm habemus in præſenti bonum; ſi veſcamur carne ejus cruoreque potemur, non ſolùm in myſterio, ſed etiam in Scripturarum lectione. Verus enim cibus & potus, qui ex verbo Dei ſumitur, ſcientia Scripturarum eſt.*

In Iſai. lib. 4. cap. 11. *Frequenter evenit, ut homines ſæculi, myſtica neſcientes, ſimplici Scripturarum lectione paſcantur.*

In Iſai. lib. 16. cap. 57. *Poſſumus* terram & montem Domini, *quem ſancti poſſeſſuri ſint; & Scripturas ſanctas intelligere, &c. de quo & in Michea legimus.* Erit in noviſſimis diebus manifeſtus mons Domini. *Et ipſe Dominus præcepit Apoſtolis, cunctiſque Doctoribus Eccleſiæ, ut quicquid aſperum videretur atque difficile, ſuâ interpretatione diſſolvant, & intelligentiæ viam præbeant, omniaque tollant de medio ſcandala; ut populus Domini abſque ullo impedimento, quod legit, intelligat, & in Dei timore proficiat.*

Lib. 14. in Ezechielem cap. 47. *Quòd* cubitos *genere maſculino, & non neutrali* cubita *dicimus,* (in verſione) *juxta regulam Grammaticam, & in ſuperioribus docui, non nos ignorantiâ hoc facere, ſed conſuetudine, propter ſimplices quoſque & indoctos, quorum in congregatione Eccleſiæ major eſt numerus.*

Lib. 2. adv. Ruffinum cap. 7. [de LXX. Verſione] *Tam ſtultus eram, ut quod in pueritiâ didici, ſenex obliviſci vellem.*

In Nahum cap. 3. *In adventu Chriſti & ſermonis Dei, & doctrinæ Eccleſiaſticæ & conſummationis Ninivæ ſpecioſiſſimæ quondam meretricis, elevabitur & properabit populus, qui ſub magiſtris ante fuerat conſopitus.*

& ibit ad montes Scripturarum, ibique inveniet montes Moyſem & Jeſum filium Naue; montes Prophetas; montes Novi Teſtamenti, Apoſtolos & Evangeliſtas: & cùm ad tales montes confugerit, & in hujuſcemodi montium lectione fuerit verſatus; ſi non invenerit qui eum doceat ([p] Meſſis enim multa, operarii autem pauci.) *tunc & illius ſtudium comprobabitur, quia confugerit ad montes; & magiſtrorum deſidia coarguetur.*

In Agge. cap. 1. *Igitur quia hæc mandata ſunt nobis, ut ponamus corda noſtra in viis noſtris; aſcendamus in montem rationabilem, & ad ſingula problemata, congrua de teſtimoniis Scripturarum ligna quærentes, præcidamus ea, & ædificemus domum ſapientiæ in nobis.* Et paulò ante, *De omni Scripturæ ſanctæ monte, in quo varia virtutum & Paradiſi ligna plantata ſunt, præcidamus ea, & ædificemus domum ſapientiæ in nobis.*

Proœm. in 3. lib. Commentar. ad Galat. *Quotuſquiſque nunc Ariſtotelem legit? quanti Platonis vel libros novere vel nomen? Vix in angulis otioſi eos ſenes recolunt: Ruſticanos verò & piſcatores noſtros totus orbis loquitur, univerſus mundus ſonat. Itaque ſermone ſimplici ſimplicia eorum verba pandenda ſunt.*

Proœm. Commentar. in Epiſt ad Epheſ. in ipſo initio. *Si quicquid eſt* (*Paula & Euſtochium*) *quod in hàc vità ſapientem teneat, & inter preſſuras & turbines mundi æquo animo manere perſuadeat; id eſſe vel primum reor meditationem & ſcientiam Scripturarum. Cùm enim à cæteris animantibus hoc vel maximè differamus, quòd rationale animal ſumus, & loqui poſſumus: ratio autem omnis & ſermo divinis libris contineatur; per quos & Deum diſcimus, & quare creati ſumus non ignoramus; miror quoſdam extitiſſe, qui aut ipſi ſe inertiæ & ſomno dantes, nolunt quæ præclara ſunt diſcere; aut cæteros qui id ſtudii habent, reprehendendos putent.*

In Epiſt. ad Epheſ. lib. 3. cap. 5. *Et canere igitur & pſallere & laudare Dominum magis animo quàm voce debemus. Hoc eſt quippe quod dicitur*, Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. *Audiant hæc adoleſcentuli; audiant hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt; Deo non voce ſed corde cantandum: nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Eccleſià theatrales moduli audiantur & cantica; ſed in timore, in opere, in ſcientià Scripturarum. Quamvis ſit aliquis* (*ut ſolent illi appellare*) κακόφωνος, *ſi bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor eſt. Sic cantet ſervus Chriſti, ut non vox canentis, ſed verba placeant, quæ leguntur, &c.*

[p] Matth. IX.

In

In fine Commentar. in Epiſt ad Galat. *Quod autem Amen conſenſum ſignificet audientis, & ſit ſignaculum veritatis, ad Corinthios quoque prima nos docet: in quâ Paulus ait,* [q] Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? quomodo dicet Amen ſuper tuâ benedictione: quoniam quidem neſcit quid dicas? *Ex quo oſtendit idioten non poſſe reſpondere verum eſſe quod dicitur, niſi intellexerit quod docetur.* Univerſum autem populum Amen acclamare ſolitum idem indicat proœmio in 2. lib. Comment. in eandem Epiſt ubi de Romanæ plebis devotione diſſerens: *Ubi*, inquit, *ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur.*

In Epiſt. ad Titum cap. 3. [De ſtultis quæſtionibus] *Exerceatur ſenſus, mens quotidie divinâ lectione paſcatur: & quæſtiones noſtræ ſtultæ non erunt quæſtiones.*

Epiſt. 3. ad Heliodorum. Epitaphium Nepotiani. *Bellorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi una vox eſt Chriſtus.*

Epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum, de vivendi formâ. *Dicas Pſalmum in corde tuo, in quo non dulcedo vocis, ſed mentis affectus quæritur; dicente Apoſtolo:* Pſallam ſpiritu, pſallam & mente: &, Cantantes in cordibus veſtris Domino. *Legerat enim eſſe præceptum,* Pſallite ſapienter.

Epiſt. 7. ad Lætam, de Inſtitut. filiæ. *Hunni diſcunt Pſalterium.*

Epiſt. 18. ad Marcellam. *In Chriſti villâ* (Bethlehem intelligit) *tota ruſticitas eſt. Extra Pſalmos ſilentium eſt. Quocunque te verteris, arator ſtivam tenens, alleluia decantat. Sudans meſſor pſalmis ſe avocat; & curvâ attondens vites falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc ſunt in provinciâ carmina, hæ (ut vulgò dicitur) amatoriæ cantiones.*

Epiſt. 27. ad Euſtochium. Epitaph. Paulæ: funus Paulæ deſcribens, ad quod tota Palæſtinarum urbium turba convenit: *Hebræo* (inquit) *Græco, Latino, Syroque ſermone Pſalmi in ordine perſonabant.*

Ex Commentariis in Pſalmos & Paulinas Epiſtolas, quæ inter Opera Hieronymi habentur.

In Pſal. V. Ego cupio intrare in domum tuam, & volo intrare per viam tuam rectam, &c. *Quæ eſt autem iſta via? lectio Scripturarum.*

[q] 1 Cor. XIV.

In

In Pſal. LXXXVI. Dominus narrabit in Scripturis populorum : *in Scripturis ſanctis. Quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc eſt, ut omnes intelligant. Quod dicit, hoc eſt. Sicut ſcripſerunt Apoſtoli, ſic & ipſe Dominus, h. e. per Evangelia ſua locutus eſt, non ut pauci intelligerent, ſed ut omnes. Plato ſcripſit in Scripturâ : ſed non ſcripſit populis, ſed paucis. Vix enim intelligunt tres homines. Iſti verò, h. e. principes Eccleſiæ, & principes Chriſti, non ſcripſerunt paucis, ſed univerſo populo.*

In Pſal. CXXXIII. *Solent & viri, ſolent & monachi, ſolent & mulierculæ hoc inter ſe habere certamen, ut plures ediſcant Scripturas ; & in eo ſe putant meliores, ſi plures edidicerint.* Et paulò ante, *Scripturas legimus, Pſalmos ediſcimus, Evangelia tenemus, Prophetas ediſſerimus.*

440. Primaſius Uticenſis Epiſcopus.

Sequentia hominis ſunt Pelagiani. Eadem tamen habet & Primaſius.

In 1 Cor. XIV. Tamen ea quæ ſine animâ ſunt, &c.] *Cùm hæc inanimata, niſi diſtinctionem habeant, non poſſunt reddere cantilenam, & ut ſuperflua reſpuuntur : quantò magis vobis, qui ſpirituales eſtis, ſuavitas non aures debet mulcere ſed mentes ?* Si igitur neſciero, &c.] *Omnis ſermo, qui non intelligitur, barbarus judicatur.* Mens autem mea ſine fructu eſt, &c.] *Quia non intelligo quod loquor.* Quis ſupplet locum Idiotæ ?] *Laicum ſignificat, qui nullo gradu Eccleſiaſtico fungitur.* Quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem ? &c.] *Quomodo tuæ perhibet benedictioni teſtimonium vel conſenſum ?* Nam ſi orem linguâ, ſpiritus meus orat.] *Hoc dicit, quoniam ſi quis incognitis aliis linguis loquatur ; mens ejus non ipſi efficitur ſine fructu, ſed audienti : quicquid enim dicitur, ignorat.* Hæc omnia habentur etiam in Primaſii Commentariis : conferantur ergo.

In Coloſſ. III. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter.] *Hic oſtenditur verbum Chriſti non ſufficienter, ſed abundanter etiam Laicos habere debere, & docere ſe invicem vel monere.* Eadem verbatim habet Primaſius ; & paulò ante : *Ut ſapienter & rationabiliter proferatur.* Item, *ut non ſolùm ore ſed etiam in corde cantetis, ut cor cum voce concordet ; vel intelligatis quod cantatis.*

410. Pelagius

410. Pelagius Hæreticus. [5]

Epiſt. ad Demetriadem de Virginitate (quæ 1. eſt in Tomo 4. Operum Hieronymi editionis Baſileenſis, vel 9. in editione Mariani Victorii.) *Nihil in hoc ſecreto magis agere debes quàm animam divinis eloquiis paſcere; & quantum ei per totam ſufficere poſſit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore ſatiare. Ita Scripturas ſacras lege, ut ſemper memineris Dei illa verba eſſe, qui legem ſuam non ſolùm ſciri, ſed etiam impleri jubet. Nihil enim prodeſt facienda didiciſſe & non facere. Optimè uteris lectione divinâ, ſi eam tibi adhibeas ſpeculi vice; ut ibi velut ad imaginem ſuam anima reſpiciat; & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. Lectionem frequenter interrumpat oratio; & animam jugiter adhærentem Deo grata viciſſitudo ſancti operis accendat, &c.*

390. Paula & Euſtochium.

Epiſt. ad Marcellam (quæ 17. eſt Tomo 1. Operum Hieronymi) poſtquam dixiſſent Bethlehemum (vel Hieroſolymam potiùs & reliqua loca ſancta) conveniſſe Gallos, Britannos, Armenos, Perſas, Indos, Æthiopas, Ægyptios, &c. addunt: *Vox quidem diſſona, ſed una religio: tot penè pſallentium chori, quot gentium diverſitates.* Poſteaque illud adjungunt, quod habet etiam Hieronymus in Epiſt. 18. ad eandem Marcellam. *In Chriſti villulâ tota ruſticitas, & extra Pſalmos ſilentium eſt. Quocunque te verteris, arator ſtivam tenens Alleluia decantat. Sudans meſſor Pſalmis ſe avocat; & curvâ attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc ſunt in hâc provincià carmina: hæ, ut vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic paſtorum ſibilus, hæc arma culturæ.*

410. Author [6] Operis Imperfecti in Matthæum.

Homil. 41. *Quicquid quæritur ad ſalutem, totum adimpletum jam eſt in Scripturis. Qui ignarus eſt, inveniet ibi quod diſcat. Qui contumax eſt & peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui la-*

5 Anonymo Autori teſtimonium iſtud Cl. Uſſerius acceptum retulerat.

6 Paulò vetuſtior, & circa an. 380. reponendus videtur.

borat, inveniet ibi glorias & promiſſiones vitæ perpetuæ, quas manducando amplius excitetur ad opus, &c.

Homil. 42. in illud, Neſcitis Scripturas, neque virtutem Dei.] *Sapienter primùm arguit ſtultitiam eorum, quia non legebant. Secundò ignorantiam, quia non cognoſcebant deum, quia ex diligentiâ lectionum naſcitur ſcientia Dei. Ignorantia autem negligentiæ filia eſt. Si enim nec omnes qui legunt, cognoſcunt Deum; quomodo cognoſcet qui non legit? Quòd autem diximus non omnes legentes cognoſcere veritatem Dei; tunc eſt ſi nolentes invenire legant.*

Homil. 42. in illud, Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto; tunc qui in Judæâ ſunt, fugiant ad montes.] *Montes autem ſunt Scripturæ Apoſtolorum aut Prophetarum; de quibus dictum eſt:* [r] Illuminas tu mirabiliter de montibus æternis. *Et iterum de Eccleſiâ dicit;* [s] Fundamenta ejus in montibus ſanctis. *Et quare jubet in hoc tempore omnes Chriſtianos conferre ſe ad Scripturas? Quia ex tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas Eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud, volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi Scripturæ divinæ. Antea enim multis modis oſtendebatur, quæ eſſet Eccleſia Chriſti, & quæ Gentilitas; nunc autem nullo modo cognoſcitur, volentibus cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per Scripturas. Quare? quia omnia hæc, quæ ſunt propriè Chriſti in veritate, habent & hæreſes illæ in ſchiſmate; ſimiliter Eccleſias, ſimiliter & ipſas Scripturas divinas, ſimiliter Epiſcopos, cæteroſque ordines Clericorum, ſimiliter Baptiſmum, ſimiliter Euchariſtiam, & cætera omnia, denique ipſum Chriſtum. Volens ergo quis cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, unde cognoſcat in tantæ confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per Scripturas? ——Sciens ergo Dominus tantam confuſionem rerum in noviſſimis temporibus eſſe futuram; ideò mandat ut Chriſtiani qui ſunt in Chriſtianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, niſi ad ſcripturas. Alioqui ſi alia reſpexerint, ſcandalizabuntur, & peribunt, non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia. Et per hoc incident in abominationem deſolationis; quæ ſtat in ſanctis Eccleſiæ locis.*

[r] Pſal. VI. [s] Pſal. LXXXVI.

420. Au-

420. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus.

[Tom.I.] Confeſſion. lib.6. cap.5. *Cùm eſſemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus eſſet autoritate ſanctarum literarum; jam credere cœperam nullo modo te ſuiſſe tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras authoritatem; niſi & per ipſam tibi credi & per ipſam te quæri voluiſſe. Jam enim abſurditatem, quæ me in illis literis ſolebat offendere, cùm eis probabiliter expoſita audiſſem, ad ſacramentorum altitudinem referebam; eóque mihi venerabilior & ſacroſanctâ fide dignior apparebat authoritas, quò & omnibus ad legendum eſſet in promptu, & ſecreti ſui dignitatem in intellectu profundiore ſervaret, verbis apertiſſimis & humillimo genere loquendi ſe cunctis præbens, & exercens intentionem eorum qui non ſunt leves corde: ut exciperet omnes populari ſinu, & per anguſta foramina paucos ad te trajiceret; multò tamen plures, quàm ſi nec tanto apice autoritatis emineret, nec turbas gremio ſanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, & aderas mihi: ſuſpirabam, & audiebas me: fluctuabam & gubernabas me: ibam per viam ſeculi latam, nec deſerebas me.*

Lib. 8. cap. 6. *Quodam die, non recolo cauſam, quâ erat abſens Nebridius, cùm ecce ad nos domum venit, & ad me & ad Alypium Politianus quidam civis noſter, in quantùm Afer, præclarè in palatio militans, neſcio quid à nobis volebat. Et conſedimus ut colloqueremur, & fortè ſuper menſam luſoriam quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, invenit Apoſtolum Paulum, inopinatò ſanè; putaverat enim aliquid de libris, quorum profeſſio me conterebat. Tum verò arridens, meque intuens, gratulatoriè miratus eſt; quòd eas & ſolas præ oculis meis liberas repentè comperiſſet. Chriſtianus quippe & fidelis erat; ſed ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſiâ crebris & diuturnis orationibus. Cui ego cùm indicâſſem illis me Scripturis maximam curam impendere, ortus eſt ſermo ipſo narrante de Antonio Ægyptio Monacho, &c.* Vid. etiam cap. 12.

Lib. 10. cap. 33. *Cùm reminiſcor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ; & nunc ipſo commoveor, non cantu, ſed rebus quæ cantantur, cùm liquidâ voce & convenientiſſimâ modulatione cantantur; magnam inſtituti hujus utilitatem rurſus agnoſco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis; magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſiâ; ut per oblectamenta*

aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.

Lib. 11. cap. 3. *Si* (Moſes) *Hebræâ voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quicquam tangeret.*

Retractat. lib. 2. cap. 38. Libri de fide & operibus conſcribendi occaſionem explicans, *Interea*, inquit, *miſſa ſunt mihi à quibuſdam fratribus laicis quidem, ſed divinorum eloquiorum ſtudioſis ſcripta nonnulla, quæ ita diſtinguerent à bonis operibus Chriſtianam fidem, ut ſine hâc non poſſe, ſine illis autem poſſe perveniri ſuaderetur ad æternam vitam.* Quibus reſpondens librum ſcripſi, cujus nomen eſt de fide & operibus.

[Tom.II.] Epiſt.3. ad Voluſianum. *Modus ipſe dicendi, quo ſacra Scriptura contexitur, quàm omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò quæ in myſteriis occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad divitem: ſed invitat omnes humili ſermone; quos non ſolùm manifeſtâ paſcat, ſed etiam ſecretâ exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta faſtidirentur, eadem rurſus operta deſiderantur, deſiderata quodammodo renovantur, renovata ſuaviter intimantur. His ſalubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando eam neſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.*

Epiſt. 109. *Pſalmis & Hymnis cùm oratis Deum; hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.*

Epiſt. 119. ad Januarium cap. 18. de Pſalmodiâ loquens. *De hâc re tam utili ad movendum piè animum & accendendum divinæ dilectionis affectum, varia conſuetudo eſt, & pleraque in Africâ Eccleſiæ membra pigriora ſunt; ita ut Donatiſtæ nos reprehendant, quòd ſobriè pſallimus in Eccleſiâ divina cantica Prophetarum: cùm ipſi ebrietates ſuas ad canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non eſt tempus, cùm in Eccleſiâ fratres congregantur, ſancta cantandi, niſi cùm legitur aut diſputatur, aut antiſtites clarâ voce precantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur. Aliis autem particulis temporum quid melius à congregatis Chriſtianis fiat, quid utilius, quid ſanctius, omnino non video.*

Epiſt.

Epiſt. 121. ad Probam cap. 9. *Qui verbis orare cupit, verba quæ intelligit convenienter adhibet; ut ſeipſum ad orationem internam excitet.*

Epiſt. 166. ad Donatiſtas. *In Scripturis didicimus Chriſtum, in Scripturis didicimus Eccleſiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis & Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus?*

Epiſt. 178. De vocabulo ὁμοουσίου diſſerens. *Si minimè licet Patris & Filii & Spiritûs S. unam ſubſtantiam linguâ exeri Græcâ; ergo nec Deum laudari decet & Barbarâ. Sicut enim Græcâ linguâ quod eſt homuſion, una dicitur vel creditur à fidelibus Trinitatis omnino ſubſtantia; ſic una rogatur ut miſereatur à cunctis Latinis & Barbaris unius Dei natura; ut à laudibus Dei unius nec ipſa lingua Barbara ſit nullatenus aliena. Latinè enim dicitur*, Domine miſerere. *Sola ergo hæc miſericordia ab ipſo uno Deo Patre & Filio & Spiritu Sancto linguâ debet Hebræâ vel Græcâ & ipsâ ad poſtremum poſtulari Latinâ, non autem & Barbarâ. Si enim licet dicere non ſolùm Barbaris linguâ ſuâ, ſed etiam Romanis,* Sihora armen [1], *quod interpretatur,* Domine miſerere: *cur non liceret in Conciliis Patrum in ipsâ terrâ Græcorum (unde ubique deſtinata eſt fides) linguâ propriâ homuſion confiteri, quod eſt Patris & Filii & Spiritûs Sancti una ſubſtantia?*

[Tom.III] De Doctrinâ Chriſt. lib. 2. cap. 5. *Ex quo factum eſt, ut etiam Scriptura divina quâ tantis morbis humanarum voluntatum ſubvenitur, ab unâ linguâ profecta, qua opportunè potuit per orbem terrarum diſſeminari, per varias interpretum linguas longè lateque diffuſa innoteſceret gentibus ad ſalutem; quam legentes nihil aliud appetunt, quàm cogitationes voluntatemque iſtorum, à quibus conſcripta eſt, invenire, & per illas voluntatem Dei; ſecundùm quem tales homines locutos eſſe credimus.*

Lib. 2. cap. 8. *Erit igitur divinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primò totas legerit, notaſque habuerit; etſi nondum intellectu, jam tamen lectione duntaxat eas quæ appellantur Canonicæ. Nam cæteras ſecuriùs leget fide veritatis inſtructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculoſis mendaciis atque phantaſmatibus eludentes præjudicent aliquid contra ſanam intelligentiam.*

Lib. 2. cap. 9. *In his omnibus libris timentes Deum & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei; cujus operis & laboris prima obſervatio eſt (ut diximus) nôſſe iſtos libros, etſi nondum intellectu, adlegendo tamen vel mandare memoriæ vel omnino incognitos non habere.*

[1] Gothicam linguam Roma capta didicit.

Lib. 3.

Lib. 3. cap. 1. *Homo timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis ſanctis diligenter inquirit.*

Lib. 2. cap. 15. *Divinâ diſpenſatione factum* ſcribit, ut *libri, quos gens Judæa cæteris populis vel religione vel invidiâ prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus, miniſtrâ regis Ptolomæi poteſtate, tantò ante proderentur.*

Lib. 4. cap. 10. *Quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis; cùm loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur?*

De Trinitate lib. 14. cap. 16. *Apoſtolus ad Corinthios dicit,* Si autem oravero linguâ; ſpiritus meus orat, mens autem mea infructuoſa eſt. *Hoc enim ait, quando id quod dicitur, non intelligitur.*

De Geneſi ad literam lib. 12. cap. 8. *Si intellectum mentis removeas; nemo ædificatur audiendo quod non intelligit.*

[Tom. IV.] De Catechizandis rudibus cap. 9. *Ita enim non irridebunt* [Rhetores.] *Si aliquos antiſtites & miniſtros Eccleſiæ fortè animadverterint vel cum barbariſmis & ſolæciſmis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligere, perturbatéque diſtinguere?* Non quia iſta minimè corrigenda ſunt, ut populus ad id quod planè intelligit, dicat Amen: *Sed tamen piè toleranda ſunt ab eis qui didicerunt, ut ſono in Fôro, ſic voto in Eccleſiâ benedici.*

[Tom.V.] De Civitate Dei lib. 2. c. 28. *Populi confluunt ad Eccleſias caſtâ celebritate, honeſtâ utriuſque ſexûs diſcretione, ubi audiant, quam bene hîc ad tempus vivere debeant, ut poſt hanc vitam beatè ſemperque vivere mereantur. Ubi ſanctâ Scripturâ juſtitiæque doctrinâ de ſuperiore loco in conſpectu omnium perſonante, & qui faciunt audiant ad præmium; & qui non faciunt, audiant ad judicium.*

Lib. 18. cap. 43. *Editionem LXX. tanquam ſola eſſet, ſic recipit Eccleſia, atque utuntur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique utrùm alia ſit ignorant.*

Lib. 22. cap. 8. de miraculis loquens, quæ in ſacris libris conſcripta ſunt: *Leguntur,* inquit, *in populis ut credantur, nec in populis tamen niſi credita legerentur.* Et ſtatim: *Canon quippe ſacrarum literarum, quem diffamatum eſſe oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum.*

[Tom.VI.] De utilitate credendi ad Honoratum. *Quicquid eſt, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum eſt. Ineſt omnino veritas, & reficiendis inſtaurandiſque animis accommodatiſſima diſciplina; & planè ita modificata,*

dificata, ut nemo inde haurire non poſſit quod ſibi ſatis eſt, ſi modò ad hauriendum, devotè ac piè, ut vera religio poſcit, accedat.

Epiſt. 109. ad Sanctimoniales (Monachas) ex quâ fecerunt regulam tertiam Monachorum. *Pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.* Et poſt, *Cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite. Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures percipiant Dei verbum.*

Epiſt. 137. ad Clerum, ſeniores, & univerſam plebem Eccleſiæ Hipponenſis. *Utinam Scripturæ Dei ſolicitâ mente intendentes, in quibuſque ſcandalis adjutorio noſtri ſermonis non egeretis.*

De Magiſtro cap. 1. *Non opus eſt locutione cùm oramus, id eſt, ſonantibus verbis, niſi fortè ſicut ſacerdotes faciunt, ſignificandæ mentis ſuæ causâ, non ut Deus ſed ut homines audiant, & conſenſione quadam per commemorationem ſuſpendantur in Deum.*

[Tom.VII] Contra Julianum Pelagianum lib.4. cap.14. *Movetur certè animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic ſi ſonum, non ſenſum libido audiendi deſideret, improbatur.*

[Tom.VIII.] In Pſal.XVIII. Expoſitio 2. *Deprecati Dominum, ut ab occultis noſtris mundet nos, & ab alienis parcat ſervis ſuis, quid hoc ſit intelligere debemus: ut humanâ ratione, non quaſi avium voce cantemus. Nam & merulæ & pſittaci & corvi & picæ, & hujuſmodi volucres ſæpe ab hominibus docentur ſonare quod neſciunt. Scienter enim cantare naturæ hominis divinâ voluntate conceſſum eſt. Et quàm multi mali & luxurioſi ſic cantant, digna auribus ſuis & cordibus, novimus & dolemus. Eò enim pejores ſunt, quò non poſſunt ignorare quod cantant. Sciunt enim ſc. cantare flagitia, & tamen cantant tantò liberiùs, quantò immundiùs: quoniam tantò ſe putant lætiores, quantò fuerint turpiores. Nos autem qui in Eccleſiâ divina eloquia cantare didicimus, ſimul etiam inſtare debemus eſſe quod ſcriptum eſt:* [u] Beatus populus, qui intelligit jubilationem. *Proinde chariſſimi quod conſonâ voce cantavimus, ſereno etiam corde nôſſe ac tenere debemus.*

In Pſal. XXXIII. *Legite Scripturas. Ideo voluit Deus ut ſcriberentur, ut nos conſolaremur.*

In Pſal. XLIV. *Hoc ſcriptum eſt, & ubi ſit ſcriptum commemoravimus. Qui meminerunt, recognoſcant; qui non meminerunt, legant; qui non legerunt, credant.*

[u] Pſal. LXXXVIII.

In Pſal. LXIV. *Miſit inde* (ex civitate ſc. cœleſti) *ad nos epiſtolas pater noſter; miniſtravit nobis Scripturas Deus: quibus epiſtolis fieret in nobis redeundi deſiderium.*

In Pſal. LXVI. *Vide formicam Dei; ſurgit quotidie, currit ad Eccleſiam Dei, orat, audit lectionem, hymnum cantat, ruminat quod audit, apud ſe cogitat, recondit intus grana electa de areâ.*

In Pſal. XCIII. *Sicut intentiſſimè audivimus, cùm Pſalmus iſte legeretur, ita intentè audiamus cùm revelat Dominus, quæ hîc dignatus eſt opacare myſteria. Ad hoc enim clauduntur quædam Sacramenta Scripturarum: non ut denegentur,* [x] *ſed ut pulſantibus aperiantur.* Et poſt, *Modò lectio neceſſaria eſt, quamdiu* ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus, *ſicut dicit Apoſtolus:* [y] Cùm autem venerit quod perfectum eſt, auferetur quod ex parte eſt. *Non enim liber neceſſarius eſt, neque legemus in illâ civitate Hieruſalem, ubi angeli vivunt, &c. Sed tamen ipſa lex quæ ſcripta eſt, firmamentum nobis eſt: ibi ſi ſit cor noſtrum, non impellitur iniquitatibus hominum.*

In Pſalm. XCVIII. *Audiſtis cùm Hieremias legeretur ante Apoſtolicam lectionem, ſi aurem appoſuiſtis; vidiſtis ibi tempora præſentia quæ nunc agimus.* Ibid. *Quanta mirabilia Deus fecit per manum Moyſi, noverunt omnino qui iſtas Scripturas libenter audiunt in Eccleſiâ, vel apud ſe legunt, vel quoquo modo didicerunt.*

In Pſal. XCIX. Beatus populus qui intelligit jubilationem. *Curramus ergo ad hanc beatitudinem, intelligamus jubilationem, non eam ſine intellectu fundamus. Quid opus eſt jubilare, & obtemperare huic Pſalmo dicenti;* Jubilate Deo omnis terra; *& non intelligere jubilationem, ut vox noſtra ſola jubilet, & cor non jubilet? Sonus enim cordis intellectus eſt.*

In Pſal. CIII. *Nos ſub cœlo, tanquam ſub pelle divinarum Scripturarum legimus modò cùm tenditur, &c. Prophetas vivos ſola Judæa habuit, mortuos omnes gentes. Cùm enim viverent, nondum erat extenſa pellis; nondum erat extenſum cœlum, ut tegeret orbem terrarum.*

In Pſal. CV. *Audiamus Scripturam divinam humiliter excelſa dicentem, cùm & parvulis nutriendis ſumenda porrigit, & majoribus exercendis perſcrutanda proponit.*

In Pſal. CXVIII. Conc. 23. *Quod hîc ait,* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, *verbum eſt quod Scripturis ſanctis omnibus continetur.*

[x] Matth. VII. [y] 1 Cor. XIII.

In

In Pſal. CXLVI. *Non intelligis, parùm intelligis, non conſequeris. Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum: differ pietate intelligentiam. Noli protervus eſſe, accuſare aut obſcuritatem, aut quaſi perverſitatem Scripturæ. Perverſum hîc nihil eſt, obſcurum autem aliquid eſt; non ut tibi negetur, ſed ut exerceat accepturum. Ergo quando obſcurum eſt; medicus illud fecit, ut pulſes. Voluit* [h] *ut exerceréris in pulſando; voluit, ut pulſanti aperiret.*

[Tom. IX.] In Evangelium Joannis, Tract. 96. *Omnia quæ poſt aſcenſionem Domini canonica veritate atque authoritate conſcripta ſunt, quis fidelis vel etiam Catechumenus, antequam Spiritum Sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit atque audit, etiamſi nondum ſicut oportet intelligit?*

In Epiſt. Joan. Tractat. 2. *Omnia quæ leguntur de Scripturis ſanctis, ad inſtructionem & ſalutem noſtram intentè oportet audire. Maximè tamen memoriæ commendanda ſunt, quæ adversùs hæreticos valent plurimùm: quorum inſidiæ infirmiores quoſque & negligentiores circumvenire non ceſſant.* Et poſt, *Audiſtis cùm Acta Apoſtolorum legerentur, quot millia crediderunt ex interfectoribus Chriſti. Si crediderunt poſtea, qui occiderant; non erant credituri, qui paululùm dubitabant? Et ipſis tamen (quòd maximè debetis animadvertere & memoriæ veſtræ mandare, quia contra inſidioſos errores Deus ponere voluit firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo ſe vult haberi Chriſtianum) cùm ſe palpandum præbuiſſet, non illi ſufficit; niſi de Scripturis confirmaret cor credentium: proſpiciebat enim nos futuros. In quo palpemus, nos non habemus; ſed quod legamus, habemus.*

De Paſtoribus cap. 11. *Conſtituit montes Iſrael, authores Scripturarum divinarum. Ibi paſcite, ut ſecurè paſcatis, &c. Colligite vos ad montes Scripturæ ſanctæ. Ibi ſunt deliciæ cordis veſtri: ibi nihil venenoſum, nihil alienum, &c.*

[Tom. X.] De Verbis Domini ſecundùm Matthæum Serm. 11. cap. 7. *In omni copiâ Scripturarum ſanctarum paſcimur apertis, exercemur obſcuris. Illic fames pellitur, hîc faſtidium.*

De Verbis Domini ſecundùm Joan. Serm. 45. cap. 3. *Caput noſtrum Dominus Chriſtus locutus eſt ad Judæos ea quæ audivimus cùm Evangelium legeretur. Caput ad inimicos ſuos loquatur; & corpus, i. e. Eccleſia, ad inimicos ſuos loquatur, &c. Hoc ergo illis dicamus, voce Eccleſiæ loquor: O fratres, filii diſperſi, oves errantes, rami præciſi, quid mihi calumnia-*

[h] Matth. VII.

M *mini?*

mini? Quid me non agnoſcitis? Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere; ipſæ teſtimonium perhibent de me. *Judæis dicit caput noſtrum, quod vobis corpus dicit.* Quæretis me, & non invenietis. *Quare? Quia non ſcrutamini Scripturas, quæ teſtimonium perhibent de me.*

De Verbis Apoſtoli Serm. 1. *Sancta & divina eloquia, fratres, jugiter, immò quotidie, nobis ſalubriter recitantur; ut animæ noſtræ paſcantur, in futuro autem ſeculo æternis epulis ſaginentur.*

Serm. 39. de Tempore. *Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latiſſimamque doctrinam, fratres chariſſimi, ſine ullo labore comprehendit, & ſine ullo labore cuſtodit; cujus cor plenum eſt charitate.*

7 De Tempore Serm. 55. *Nec ſolum vobis ſufficiat, quòd in Eccleſiâ divinas lectiones auditis; ſed etiam in domibus veſtris aut ipſi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite.* Et circa initium. *Si Scripturas divinas aut ipſi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus; ipſa nobis medicamenta convertuntur in vulnera, &c.*

Serm. 56. *Lectiones divinas & in Eccleſiâ, ſicut conſueſtis, audite; & in domibus veſtris relegite. Si aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem Scripturæ divinæ non poſſit inſiſtere; non eum pigeat in conviviolo ſuo aliquid de Scripturis divinis relegere: ut quomodo caro paſcitur cibo, ſic reficiatur anima Dei verbo: ut totus homo; i. e. & exterior & interior, & de ſancto & de ſalubri convivio ſatiatus exurgat. Nam ſi ſola caro reficitur, & anima Dei verbo non paſcitur; ancilla ſatiatur, & domina fame torquetur. Et hoc quàm ſit injuſtum, ſanctitas veſtra non poteſt ignorare. Et ideo ſicut jam dixi, lectiones divinas illo deſiderio legere & audire debetis; ut de ipſis in domibus veſtris, & alibi ubicunque fueritis, etiam loqui & alios docere poſſitis.*

Serm. 85. [in Quadrageſimâ habitus.] *Quamvis, fratres chariſſimi, omni tempore verbum Dei cum grandi deſiderio nos oporteat fideliter ſemper audire; in iſtis tamen diebus ſpecialiter lectioni divinæ inſiſtere, & de ſalute animæ noſtræ debemus attentiùs cogitare.*

Serm. 91. *Et ideo, fratres chariſſimi, quantum poſſumus, cum Dei adjutorio lectioni divinæ ſtudeamus inſiſtere; ut legem Dei ſpiritaliter mereamur agnoſcere, &c.*

Serm. 112. *Adhuc ergo bonum habemus ſolatium, divinarum lectionem Scripturarum: quia ſacrarum lectio Scripturarum divinæ eſt præcognitio non parva beatitudinis. In his enim quaſi in quodam ſpeculo homo ſeipſum*

7 Sequentes omnes de Tempore Sermones ſpurios eſſe cenſent Benedictini Pariſienſes.

conſiderare

conſiderare poteſt, qualis ſit, vel quò tendat. Lectio aſſidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia ſuperna cor inſtigat legentis. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur. Geminum confert donum lectio ſanctarum Scripturarum; ſive quia intellectum mentis erudit, ſeu quia à vanitatibus mundi abſtractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honeſtus eſt lectionis; & multis ad emundationem animi proficit. Sicut enim ex carnalibus eſcis alitur caro; ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur & paſcitur: ſicut Pſalmiſta ait: [1] Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, ſuper mel & favum ori meo. *Et ideo, fratres chariſſimi, quicunque ex vobis lectiones ſacras legere & intelligere poſſunt; in his ſtudium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur. Qui verò ſenſum locutionis ſacræ ex lectione non poſſunt percipere, attentiùs audiant interpretantem, & recipiant ſaltem inde ædificationem.*

Serm. 38. de Sanctis. *Modò cùm Evangelica lectio legeretur, audivimus dicentem Dominum:* Venite benedicti, percipite regnum, &c. *Ut ergo iſtam vocem deſiderabilem audire, & ab audito malo poſſitis per Dei gratiam liberari; totis viribus Deo auxiliante contendite lectionem divinam in domibus veſtris frequenter legere, & in Eccleſiâ libenter & obedienter audire.*

Author Libri [8] de Vitâ Chriſtianâ, tomo 9. Operum Auguſtini.

In fine libri ita ſanctam quandam viduam affatur. *Ante omnia inceſſabiliter Domini meditare mandata; orationibus & Pſalmis inſtanter incumbe; ut ſi poſſibile eſt, nemo te aliquando niſi aut legentem inveniat aut orantem.*

[1] Pſal. CXVIII.

[8] Faſtidio, Epiſcopo Britanno, circa ann. 420. hunc librum deberi notum eſt.

Author Libri [9] de Salutaribus Documentis, tomo 4. Operum Auguſtini.

Cap. 9. *Omnis librorum ſanctorum ſeries ad noſtram ſalutem ſcripta eſt; & hoc maximè auribus noſtris intonat, & iterum atque iterum replicat, quid ſit homini cavendum vel quid ſequendum. In quibus libris tua dignitas* (ad Laicum loquitur) *optimè exerceri ſolet; quia per illos nobis loquitur Deus ipſe & Dominus noſter, & piæ nobis voluntatis demonſtrat affectum.*

Cap. 38. *Grandis confuſio eſt animabus laicorum, qui dicunt; Quid pertinet ad me legendo libros Scripturarum audire vel diſcere, vel etiam frequenter ad ſacerdotes & Eccleſias ſanctorum recurrere? Dum Clericus fiam, faciam ea quæ oportet Clericos facere.*

Author Præfationis præfixæ Auguſtini Commentariis in Pſalmos, in principio Tomi 8. Recentior eſt Anonymus, ut rectè notat Geſnerus.

Cùm intelligenter Deo pſallendum ſit; quomodo debitè Deo pſallere poteſt, qui quid pſallit ignorat? Jubet namque ſanctus Pſalmiſta noſter, ut pſallentes Deo intelligenter pſallant. Quoniam rex (*inquit*) omnis terræ Deus, pſallite ſapienter, *h. e. intelligenter, ut alia litera habet.*

420. Paulinus Nolanus Epiſcopus.

Epiſt. 42. ad Cytherium de inſtitutione filii agens.

In carne vivens vità carnis exulet,
In lege mentis ambulans;
Totamque regni crediti terram ſibi
Peragret in libris ſacris.
Et ſicut ille vir Joſeph Dei pius
Memphiticos fines obit;
Et ampliatis horreis lætas opes
Fœcunditatis congerens,
Exuberantum dives annorum bonis:
Jejuna pavit tempora:
Sic iſte noſter in ſacratis literis,
Perambulet regnum Dei.
Scriptura namque ſancto flata Spiritu,
Regni perennis mater eſt, &c.

Eidem tribuitur Epiſtola ad Celantiam Matronam, quæ 14. eſt in 1. Tomo Operum Hieronymi. Illic de inſtitutione matris familiæ agens.

9 Paulinus, Patriarcha Aquileienſis is fuit, qui exeunte Seculo octavo floruit, ex fide plurium Codicum MSS. quibus uſi ſunt Benedictini Pariſienſes.

Præcipua

Præcipua (inquit) *tibi cura ſit, legem noſſe divinam; per quam poſſis quaſi præſentia cernere exempla ſanctorum; & quid faciendum ſit, quidve vitandum, illius conſilio diſcere. Maximum enim ad juſtitiam auxilium eſt implere divinis eloquiis animum; & quod opere exequi cupias, ſemper corde meditari.* Et paulò poſt, *Sint ergo divinæ Scripturæ ſemper in manibus tuis, & jugiter in mente volvantur.* Item. *Eligatur tibi opportunus, & aliquantulum à familiæ ſtrepitu remotus locus; in quem tu velut in portum, quaſi ex multâ tempeſtate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus ſecreti tranquillitate componas. Tantum ibi ſit divinæ lectionis ſtudium, tam crebræ orationum vices, tam firma & preſſa de futuris cogitatio; ut omnes reliqui temporis occupationes facilè hâc vacatione compenſes.*

430. Sedulius Hybernienſis. [10]

Annotat. in 1 Corinth. XIV. ver. 2. Qui loquitur linguâ] *i. e. ignota qualibet linguâ.* Non hominibus loquitur] *Dum non intelligunt, quia barbara eſt.* Sed Deo] *Qui intelligit, ſive dum per hoc ipſe magnificatur.* Nemo enim audit.] *i. e. intelligit.* Spiritu loquitur myſteria] *Spirituali dono præditus, vel ſuo Spiritu loquitur.* v. 4. Seipſum ædificat] *Dum ſolus ipſe intelligit, vel glorificatur.* Eccleſiam ædificat] *Dum multis proficit.* ver. 5. Niſi interpretetur] *Ex ignotâ linguâ in aliquam notam.* Major enim eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguâ] *Sicut profectu, ſic & merito major eſt,* v. 6. Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguâ loquens] *Suo exemplo hortatur eos illud non pro magno quærere, quod non prodeſt Eccleſiæ,* v. 9. Eritis enim in aera loquentes] *h. e. ſi etiam tam multa loquamini, ut genera ſunt linguarum; quid proderit? cum omnia in aera ſolvantur, & nulli proficiant.* v. 10. Et nihil eorum ſine voce eſt] *Proprium eſt uniuſcujuſque linguæ habere vocem.* v. 11. Ero, cui lôquar, barbarus] *Omnis enim ſermo, qui non intelligitur, barbarus judicatur.* v. 13. Et ideò qui loquitur linguâ] *i. e. ignotâ.* Oret ut interpretetur] *Oratio hoc loco oris elocutio intelligitur. Sic ergo loquatur; ut grammatica verba, quæ dicturus ſit, intelligantur: vel oret, ut illi interpretandi gratia donetur,* v. 14. Nam ſi orem linguâ] *mihi ignotâ.* Sine fructu eſt] *Mens in ipſo homine, ſi abſente mente & intellectu ſpiritus oret: quantò magis quæ ignorantur ab auditoribus, dici*

10 Rectiùs ætatem ejus poſuit Cl. Uſſerius in primor. Eccl. Britan. Bedâ enim poſterior fuit; & ſiqua Hepidanno fides, circa an. 818. claruit.

non

non prodeſt? Mens autem mea ſine fructu eſt] *Dum non intelligo quod loquor. Eſt autem ſpiritus vis quædam animæ mente inferior, ubi corporalium rerum ſimilitudines exprimuntur.* 15. Orabo Spiritu] *Oratio hoc loco oris narratio intelligitur. Ergo* orabo Spiritu] *h. e. ignotâ linguâ in ſpiritu meo expreſſa eloquar.* Orabo & mente] *Id eſt, intellectu mentis meæ aliis prædicabo. Qui enim interpretatur, neceſſe eſt, ut ipſe priùs intelligat, quod aliis dicturus eſt. Non ergo ſufficit, ut quis ſolo ſpiritu alienâ linguâ loquatur, niſi mens & intellectus acceſſerit, quatenus ipſe cognoſcat, quid loquatur, aut aliis interpretando patefaciat.* 16. Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu] *id eſt, ſine interpretatione, quatenus aliis clareſcat quod loqueris.* Qui ſupplet locum Idiotæ] *Quod ipſe diceret Idiotæ, i. e. nuper baptizati, & qui nullam præter propriam intelligit linguam, quod proprium eſt auditoribus.* Quomodo dicet Amen] *Hoc eſt, quomodo tuæ benedictioni perhibebit teſtimonium vel conſenſum, cùm ignoret ipſius linguæ qualitatem?* 17. Nam tu quidem bene gratias agis] *Quod ſuperiùs dixerat,* Si benedixeris ſpiritu, *hoc ipſum exponit. Nam benedicere ſpiritu eſt gratias agere, licèt ignotâ idiotis linguâ.* 19. Sed in Eccleſiâ volo ſenſu meo quinque verba loqui] *Mavult pauca verba lucida ſenſu recto loqui, quàm innumerabilia obſcura & incognita, quæ auditores non ædificant; quia meliora ſunt pauca verba quæ proſunt, quàm multa quæ non proſunt.*

In Epheſ. V. 17. Sed intelligentes quæ ſit voluntas Domini] *Id eſt, Scrutamini legem, in quâ voluntas ejus continetur.*

In Coloſſ. I. 9. Ut impleamini agnitione voluntatis Dei] *Quia aliter voluntatem ejus non poteſtis facere: quod Propheta intelligens dicebat ad Dominum:* [m] Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

In Operis Paſchalis [11] Præfatione ad Macedonium. *Nec Hieronymi divinæ legis interpretis, & cæleſtis Bibliothecæ cultoris, exempla te pudeat imitari, atque ad generoſas quoque fœminas & præclaræ indolis famâ ſubnixas, in quarum mentibus ſacræ lectionis inſtantia ſobrium ſapientiæ domicilium collocavit, propriæ diſputationis documenta tranſmittere.*

[m] Pſal. CXLIII.

[11] Author hujuſce Operis alius à Sedulio Hiberno fuit, ſc. Cœlius Sedulius, poeta, qui vixit circa an. 440.

450. Ar-

450. Arnobius Junior.

In Pſal. CXXXV. *Venimus ad alleluia, quod duplex ſcribitur: in quo illud conſidero, quòd nec caro ſine animâ, nec anima ſine carne poterit Domino confiteri. Duo ergo in unum duo alleluia decantent, ut dum ſunt in uno vitæ hujus tranſitu, confitendi ordinem teneant; dicat caro alleluia ſuum, dicat anima ſuum. Duplex homo eſt, duplex alleluia eſt.*

450. Leo I. Romanus Pontifex.

De Paſſione Domini Serm. 19. *Sacram Dominicæ paſſionis hiſtoriam Evangelicâ, ut moris eſt, narratione decurſam, ita omnium veſtrûm arbitror inhæſiſſe pectoribus; ut unicuique audientium ipſa lectio quædam facta ſit viſio.*

Serm. 1. De Paſſione Domini. *Sacratiſſimum, dilectiſſimi, Dominicæ paſſionis diem tam planè ac lucidè Evangelicus ſermo reſeravit; ut religioſis ac piis cordibus non aliud ſit audiſſe quæ lecta ſunt, quàm vidiſſe quæ geſta ſunt.*

Serm. 13. *Evangelica lectio, dilectiſſimi, quæ ſacratiſſimam Dominicæ paſſionis reſeravit hiſtoriam, ita univerſæ Eccleſiæ nota eſt de communi frequenter auditu; ut rerum geſtarum ordinem, tanquam ſub veſtris habitum oculis, ſinguli quique recolatis.*

Serm. 3. De Epiphaniâ Domini. *Quamvis ſciam, dilectiſſimi, quòd ſanctitatem veſtram hodiernæ feſtivitatis cauſa non lateat, eamque ſecundùm conſuetudinem Evangelicus vobis ſermo reſeraverit.*

Serm. 2. De Reſurrectione Domini. *Notum quidem, dilectiſſimi, Paſchale ſacramentum Evangelica nobis narratio præſentavit; & ita per aurem carnis penetratus eſt mentis auditus, ut nemini noſtrûm rerum geſtarum imago defuerit; cùm divinitus inſpiratæ textus hiſtoriæ evidenter oſtenderit.*

Serm. De Transfiguratione Domini. *Evangelica lectio, dilectiſſimi, quæ per aures corporis interiorem mentium noſtrarum pulſavit auditum, ad magni ſacramenti nos intelligentiam vocat.*

450. Maximus Taurinenſis Epiſcopus.

Homil. 5. de Natali Domini. *Hodie igitur nobis, ſicut decurſâ Evangelii lectione cognovimus, ſecundùm carnem natus eſt Chriſtus.* Homil. 2. in

in Epiphaniâ Domini. *Audiſtis, fratres, lectionem Evangelii ſalutaria præſentis diei ſacramenta recitantem. Audiſtis qualiter Chriſtus Dominus, qui in hunc mundum latenter advenit, paulatim dignatus eſt ſuam aperire mortalibus majeſtatem, &c.* Homil. 4. *Ait Prophetarum præcipuus Eſaias, ſicut audiſtis, fratres chariſſimi,* [n] Illuminare, Illuminare Hieruſalem, &c. ibid. *Judæus Chriſtum videt & invidet, ſicut lectum eſt:* [o] In ſua venit, & ſui eum non receperunt. (Ubi nota Eſai. LX. & Joan. I. ſimul lecta in Epiphaniâ. Vid. an ita hodie 12) Ibid. *Et cùm perambularent Magi,* [p] ſtella, *ſicut lectum eſt*, quam viderant in Oriente, antecedebat eos. (Ergo tres lectiones.)

460. Proſper, Rhegienſis Epiſcopus. 13

In libro Sententiarum ex Operibus Auguſtini excerptarum, ſent. 8. *Doctrina Apoſtolica ſalubris atque vitalis eſt; ut pro capacitate utentium neminem ſui relinquat exortem. Quia ſive parvuli, ſive magni, ſive infirmi, ſive fortes, habent in eâ unde alantur, & unde ſatientur.* Hanc ſententiam in libro Epigrammaton ita explicat.

Exueret Deus ut tetrâ caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen Apoſtolicæ.
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans pueros, pane cibans validos.
Non tempus, non ſexus huic, non cauſa reſiſtit,
Omnes curat, alit, juſtificat, vegetat.
Sumite quæ magnæ appoſuit ſapientia menſæ,
Et variis paſci diſcite deliciis.
Quarum pars totum eſt epulum quo quiſque juvatur:
Inde capit vitam, quam parit una fides.

Sentent. 67. *Bonæ ſunt in Scripturis ſanctis myſteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vileſcant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc autem aperiuntur, ut paſcant.* Id in Epigrammaton libro ſic exprimit.

[n] Eſai. LX. [o] Joan. I. [p] Mat. II.

12 Cum Eſai. LX. legitur hodie Matth. II. in Epiphaniâ, quæ tertia fuit Veterum Lectio.

13 Proſperum nequaquam clero tranſcriptum fuiſſe, multò minus infulas adeptum, verior eſt eruditorum ſententia.

Quamvis

Quamvis in ſacris libris, quos noſſe laboras,
Plurima ſint, Lector, clauſa & opaca tibi;
Invigilare tamen ſtudio ne deſine ſancto.
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit.
Ultrò objectorum vilius eſt pretium.
Oblectant adoperta etiam myſteria mentem.
Qui dedit, ut quæras; addet, ut invenias.

Sentent. 271. ex Auguſtino de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 6. *Qui in Scripturis ſanctis non inveniunt veritatem quam quærunt, fame laborant: qui autem non quærunt quod in promptu habent, faſtidii languore marceſcunt: & par utrorumque periculum eſt; dum ſapientiæ cibum & illis obcæcatio & his inedia ſubtrahit.*

Sentent. 309. *Ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt excuſatio, ſed juſta damnatio.* [Ex Auguſtini epiſt. 105.]

490. Gennadius Maſſilienſis.

In Catalogo Virorum Illuſtrium. *Muſæus Maſſilienſis Eccleſiæ Preſbyter, hortatu ſancti Venerii Epiſcopi excerpſit ex ſanctis Scripturis lectiones totius anni feſtivis aptas diebus; reſponſoria etiam Pſalmorum capitula tempori & lectionibus congruentia; quod opus tam neceſſarium à Lectoribus in Eccleſiâ probatur, ut expetitum, & ſollicitudinem tollat & moram, plebique ingerat ſcientiam, celebritatem & decorem.*

510. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus.

Ad Thraſimundum lib. 1. *Equidem erroris hujus qualitatem Dominus ipſe Salvatorque noſter, dum Saducæos increparet, oſtendit, dicens,* Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. *Propterea utique miſerabiliter errabant, quia illum, qui Dei virtus eſt, neſciebant. Sicut ergo virtutis Dei ſcientia tenax eſt cæleſtis itineris; ſic eſt inſcitia mater erroris: quod etiam beatus David oſtendit dicens de quibuſdam:* [q] Neſcierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant.

[q] Pſal. LXXXI.

Epiſt. 2. ad Gallam viduam. *Nunquam ceſſes à divinis eloquiis; & totam delectationem cordis tui Scripturis ſanctis indulge.*

Serm. de Confeſſoribus & diſpenſatoribus Domini. *Scripturæ, ut ditiſſima fercula, habent quod omni ætati congruat, omni profeſſioni conveniat. In verbo Dei abundat quod perfectus comedat; abundat etiam, quod parvulus ſugat. Ibi eſt enim ſimul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia; & ſolidus cibus, quo robuſta perfectorum juventus ſpiritalia ſanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorſus ad ſalutem conſulitur univerſis, quos Dominus ſalvare dignatur: ibi eſt, quod omni ætati congruat; ibi, quod omni profeſſioni conveniat.*

520. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus.

Homil. 20. *Quando aliquid de utilitate animæ proferimus, fratres chariſſimi, nemo ſe excuſare conetur, ut dicat; non mihi vacat legere, & ideo non poſſum Dei præcepta vel agnoſcere vel implere; nec dicat aliquis veſtrûm: Non novi literas, ideo mihi non imputabitur quicquid minus de Dei præceptis implevero. Inanis eſt & inutilis excuſatio iſta, fratres chariſſimi. Primum eſt, quòd lectionem divinam etiamſi aliquis neſciens literas non poteſt legere, poteſt tamen legentem libenter audire. Qui verò literas novit, nunquid poteſt fieri quòd non inveniat libros, quibus poſſit ſcripturam divinam legere? &c. Quando noctes longiores ſunt, quis erit qui tantùm poſſit dormire, ut lectionem divinam vel tribus horis non poſſit aut ipſe legere aut alios legentes audire. Illi enim lectionem divinam legere non poſſunt, qui ſe uſque ad mediam noctem inebriare contendunt.* Et poſt, *Si illi qui literas neſciunt, conducunt ſibi mercenarios literatos, ut acquirant terrenam pecuniam; tu quicunque es, qui literas non noſti, quare etiam non cum pretio & mercede rogas, qui tibi debeat Scripturas divinas relegere, ut ex illis poſſis præmia æterna acquirere? Pro certo, fratres, qui hoc ſtudiosè requirit, credit, quòd ille in æternum prodeſſe poſſit. Qui verò lectionem nec ipſe vult legere, nec legentem libenter audire; omnino non credit, quòd poſſit aliquid boni acquirere. Vos ergo, fratres, rogo & admoneo, ut quicunque literas ſcitis, Scripturam divinam frequentiùs relegatis. Qui verò non ſcitis, quando alii legunt, intentiùs auribus audiatis. Lumen enim animæ, & cibus æternus, non eſt aliud, niſi verbum Dei, ſine quo anima non vivere poteſt nec videre: quia quomodo caro noſtra moritur, ſi non capiat cibum, ita & anima noſtra extinguitur, ſi non accipit divinum verbum. Sed dicit aliquis; Ego homo ruſticus ſum, & terrenis operibus jugiter occupatus ſum; lectionem divinam nec audire poſſum nec legere.*

Quàm

Quàm multi ruſtici, & quàm multæ mulieres ruſticanæ; & tamen cantica diabolica, amatoria, & turpia ore decantant? Iſta poſſunt tenere atque parare quæ Diabolus docet; & non poſſunt tenere quod Chriſtus oſtendit. Quando celeriùs & meliùs quicunque ruſticus, vel quæcunque mulier ruſticana, poterit utiliùs & Symbolum diſcere & Orationem Dominicam, & aliquas Antiphonas, & Pſalmum quinquageſimum vel nonageſimum & parare & tenere & frequentiùs dicere; unde animam ſuam & Deo conjungere & Diabolo liberare poſſet. Nam quomodo cantica turpia in tenebras Diaboli mittunt; ſic cantica ſancta Chriſti lumen oſtendunt. Nemo ergo dicat: Non poſſum aliquid de hoc, quod in Eccleſiâ legitur, retinere. Sine dubio enim, ſi velis, poteris. Incipe velle, & ſtatim intelliges.

Homil. 5. de Divin. Myſter. (apud Pamel. Tom. 1. Liturg. p. 616, 617, 618.) *Sunt plures minùs de ſalute ſuæ animæ cogitantes; qui lectis divinis Lectionibus, ſtatim de Eccleſiâ foràs exeunt; cùm tamen etiam dum ipſæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otioſis & ſæcularibus fabulis occupentur; ut eas nec ipſi audiant, nec alios audire permittant.* Ibidem. *Si enim diligenter attenditis, cognoſcitis, quia tunc non fiunt Miſſæ, quando divinæ lectiones in Eccleſiâ recitantur, ſed quando munera offeruntur, & corpus vel ſanguis Domini conſecratur. Nam lectiones, ſive Propheticas, ſive Apoſtolicas, ſive Evangelicas, etiam in domibus veſtris vel ipſi legere, vel alios legentes audire poteſtis. Conſecrationem verò corporis & ſanguinis Chriſti, non alibi niſi in domo Dei audire vel videre poteritis.* Eſt Homil. 12. in Biblioth. Patr. Tom. 2. ubi in 3. Editione col. 597. e. in margine ponitur: *Iſto modo fieri debet in Eccleſiâ tantùm:* cùm in 2. Editione col. 1069. d. alia nota haberetur: *Conſecratio corporis & ſanguinis Domini fit in Eccleſiâ tantùm.*

530. Benedictus Abbas.

In Regulâ Monachorum (citat. à Walafrido Strabone de rebus Eccleſiaſt. cap. 12.) *Conſideremus qualiter in conſpectu divinitatis & ſanctorum Angelorum eſſe oporteat: & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.*

533. Athalaricus Rex.

In Epiſtolâ ad Senatum Romanum apud Caſſiodor. lib. 9. Variarum cap. 25. virum commendans, cui Præfecturæ Prætorianæ dignitatem obeundam tribuit. *Hos mores lectio divina ſolidavit; quando ſemper*

 bene

bene geritur, ſi cœleſtis metus humanis motibus opponatur. Hinc enim virtutum omnium ſumitur manifeſta cognitio; hinc ſapientia veritatis ſapore conditur: Sic ad omnia redditur humilis, quem imbuit doctrina cœleſtis.

550. Aurelius Caſſiodorus.

Prologo in Pſalterium. *Cantus, qui aures oblectat, & animas inſtruit, fit vox unâ pſallentium.*

In Pſal. XLVI. *Non ſolùm cantantes, ſed etiam intelligentes pſallere debemus. Nemo enim ſapienter quicquam facit, quod non intelligit.*

570. Venantius Fortunatus, Pictavienſis Epiſcopus.

Lib. 2. Poematum in laudem Pariſiaci Cleri. *Pontificis monitis clerus, plebs pſallit, & infans. Unde labore brevi fruge replendus erit.*

S. Servulus.

Pauper is quidam apud Romanos mendicus fuit. De illo hæc habet Gregorius Homil. 15. in Evangelia. *Nequaquam literas noverat, ſed Scripturæ ſacræ ſibimet codices emerat; & religioſos quoſque in hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe legere ſine intermiſſione faciebat. Factumque eſt, ut quantum ad menſuram propriam attinet, plenè ſacram Scripturam diſceret; cùm, ſicut dixi, literas funditus ignoraret.* Eadem habet, Dialog. lib. 4. cap. 14.

595. Gregorius I. Romanus Epiſcopus.

Lib. 4. Epiſt. 40. ad Theodorum Medicum. *Quid eſt Scriptura ſacra, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Et certè ſicubi eſſet gloria veſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni jam Imperatoris acciperet; non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi priùs quid ſibi Imperator terrenus ſcripſiſſet, agnoviſſet. Imperator cæli, Dominus hominum & angelorum, pro vitâ tuâ tibi ſuas Epiſtolas tranſmiſit; & tamen, glorioſe fili, eaſdem epiſtolas ardenter legere negligis. Stude ergo quæſo, & quotidie creatoris tui verba meditare. Diſce cor Dei in verbis Dei, ut ardentiùs ad æterna ſuſpires, ut mens veſtra ad cæleſtia regna majoribus deſideriis accendatur.*

Epiſt. ad Leandrum, in Moralem Expoſitionem Job cap. 4. *Divinus ſermo, ſicut myſteriis prudentes exercet, ſic plerumque ſuperficie ſimplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat: ſervat in ſecreto unde mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat. Quaſi quippe fluvius (ut ita dixerim) planus & altus; in quo & agnus ambulet, & elephas natet.*

Expoſit. Moral. in Job lib. 15. cap. 8. *Sed quia hæc ipſa ſacra eloquia ad æternam damnationem ſunt eis, qui illa vel ſcire nolunt, vel certè ſciendo contemnunt; rectè de hoc volumine dicitur:* [r] Hæc eſt maledictio, quæ egredietur ſuper faciem univerſæ terræ.

In fine lib. 19. *Quæ tamen tempora jam nunc inchoâſſe ingemiſcimus; cùm multos intra Eccleſiam poſitos cernimus, qui aut nolunt operari quod intelligunt, aut hoc ipſum quoque, ſacrum eloquium intelligere ac noſſe, contemnunt. A veritate etenim avertentes auditum ad fabulas convertuntur: dum omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti. Scripta Dei ubique reperta opponuntur oculis; ſed hæc cognoſcere homines dedignantur. Penè nullus quærit ſcire quod credidit. Horum temporum ingratitudo poſtulabat ut vindicta illa ſubſequeretur, de quâ Apoſtolus:* [s] Propterea quòd amorem veritatis non ſuſceperunt, ut ſalvi fierent; ideò mittit eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio.

In principio libri 20. *Omnem ſcientiam atque doctrinam Scriptura ſacra in aliquâ comparatione tranſcendit: ut taceam, quòd vera prædicat, quòd ad cœleſtem patriam vocat, quòd à terrenis deſideriis ad ſuperna amplectanda cor legentis immutat, quòd dictis obſcurioribus exercet fortes, & parvulis humili ſermone blanditur; quòd nec ſic clauſa eſt, ut paveſci debeat; nec ſic patet, ut vileſcat: quòd uſu faſtidium tollit, & tantò ampliùs diligitur, quantò ampliùs meditatur: quòd legentis animum humilibus verbis adjuvat, ſublimibus ſenſibus levat; quòd aliquo modo cum legentibus creſcit; quòd à rudibus lectoribus quaſi recognoſcitur, & tamen doctis ſemper nova reperitur.*

Tho. Hybernicus in Doctorum floribus, titulo *de Oratione*, ex homiliâ quadam Gregorii hanc ſententiam citat. *Illam orationem Deus non exaudit; cui homo, quando pſallit, non attendit.*

Vid. Confeſſionem Gregorianam, apud Pamel. Liturg. Tom. II. pag. 80, 81, 82, &c. ubi frequentes & prolixæ Reſponſiones plebi præcipiuntur.

[r] Zach. V. [s] 2 Theſſ. II. 10, 11.

Tempo-

Temporibus Gregorii I. ita collapſum eſſe bonarum literarum cultum, ut facilè reperiri non poſſet, qui utriuſque linguæ peritus eſſet, oſtendit Baronius ad An. 593. Sect. 62. Certè Gregorius in Epiſtola ad Euſebium Theſſalonicæ Epiſcopum, ſe nunquam Græcum ſermonem didiciſſe; & in aliâ ad Anaſtaſium Presbyterum, ſe Græcæ linguæ neſcium, liberè profitetur. Latinam tamen linguam à populo Romano tum vulgò intellectam fuiſſe, ex Homiliis ejuſdem conſtat. Homilias enim 22. in Ezechielem, à notariis exceptas & tandem recognitas, ad populum habuit. (Vid. utriuſque libri harum Homiliarum Præfationem, & finem totius Commentationis.) In Evangelicas etiam lectiones ad emendationem ædificationemque fidelium Homilias 40. partim dictavit, ut plebi aſſiſtenti per notarium iterum dictarentur; partim coram populo ipſe vivâ voce, Notario excipiente, explanavit: ut ex Prologo Homiliarum, & epiſt. 53. lib. 7. [ad Secundinum] apparet. Denique epiſt. 22. libri 10. Joanni Subdiacono Ravennæ ſcribens: *Dic ei,* inquit, *ut commenta Pſalmorum legi ad vigilias faciat; quæ mentes ſecularium ad bonos mores præcipuè informent.*

610. Livinus & Benignus Hiberni.

Bonifacius in eorum vitâ, pag. 238. refert, quomodo Livinus ætate tenerâ Benigni, Presbyteri Scoti, curæ commiſſus, *& Davidicis Pſalmorum melodiis, & ſanctorum Evangeliorum mellifluis lectionibus, atque cæteris divinis exercitationibus perfectiſſimè inſtructus fuerit.*

620. Furſeus Hibernus, vir nobilis.

Ab ipſo tempore pueritiæ ſuæ curam non modicam lectionibus ſacris, ſimul & monaſticis exhibebat diſciplinis. [Beda lib. 3. Hiſt. cap. 19.]

630. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus.

De ſummo bono lib. 1. cap. 18. *Sanctarum Scripturarum altitudo, quaſi montes paſcuæ ſunt, ad quos dum quiſque juſtorum contendit, ſe paſcuæ indeficientis refectionem inveniſſe congaudet. In Scripturis ſanctis quaſi in montibus excelſis & viri perfecti habent ſublimia intelligentiæ, quibus greſſus contemplationis quaſi cervi erigant; & ſimplices quaſi parva animalia inveniunt modicos intellectus, ad quas humiles ipſi refugiant. Scriptura ſacra infirmis & ſenſu parvulis ſecundùm hiſtoriam humilis videtur in verbis;*

verbis; cum excellentioribus autem viris altiùs incedit, dum eis ſua myſteria pandit: ac per hoc utriſque manet communis manna, quæ populo veteri pro ſingulorum delectatione varium dabat ſaporem. Juxta ſenſuum capacitatem ſingulis ſermo congruit.

Lib. 3. cap. 8. *Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare, frequenter & legere. Nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit. Quæ enim neſcimus, lectione diſcimus: quæ autem didicimus, meditationibus conſervamus. Geminum confert donum lectio ſanctarum Scripturarum: ſive quia intellectum mentis erudit, ſeu quòd à mundi vanitatibus abſtractum hominem ad amorem Dei perducit,*

Ibid. cap. 7. *Oratio cordis eſt, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit. Quòd ſi tacitè cor oret, & vox ſileat; quamvis homines lateat, Deum latere non poteſt, qui conſcientiæ præſens eſt. Melius eſt autem cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu mentis.* Et poſt, *Non in multiloquio exaudiuntur homines à Deo, quaſi plurimis eum verbis conentur inflectere. Neque conciliat eum multiplex orantis ſermo, ſed pura ſinceraque orationis intentio. Bonum eſt corde ſemper orare, bonum etiam & ſono vocis Deum ſpiritualibus hymnis glorificare. Nihil eſt ſolà voce canere ſine cordis intentione; ſed ſicut ait Apoſtolus:* Cantantes in cordibus veſtris, *h. e. non ſolùm voce, ſed & corde pſallentes. Unde & alibi:* Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. *Sicut orationibus regimur, ita Pſalmorum ſtudiis delectamur. Pſallendi enim utilitas triſtia corda conſolatur, gratiores mentes facit, faſtidioſos oblectat, inertes exuſcitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura ſint carnalium corda; ſtatim ut Pſalmi dulcedo inſonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. Dum Chriſtianum non vocis modulatio, ſed tantùm verba divina, quæ ibi dicuntur, debeant commovere. Neſcio tamen quo pacto modulatione canentis major naſcitur compunctio cordis.*

De Officiis Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 10. *Lectiones pronunciare, antiquæ inſtitutionis eſſe Judæorum traditio docet. Nam & ipſi legitimis præfinitis diebus, ex lege & Prophetis lectione in Synagogis utuntur, & hoc de veteri Patrum inſtitutione ſervantes. Eſt autem lectio non parva audientium ædificatio. Unde oportet, ut quando pſallitur, pſallatur ab omnibus; cùm oratur, oretur ab omnibus; cùm lectio legitur, facto ſilentio, æquè audiatur à cunctis. Nam & ſi tunc ſuperveniat quiſque, cùm lectio celebratur, adoret tantùm Deum; & præſignatà fronte, aurem ſollicitè accommodet. Patet tempus orandi, cùm omnes oramus; patet, cùm voluerit orare privatim.*

privatim. Obtentu orationis ne perdideris lectionem; quia non ſemper eam quilibet paratam poteſt habere, cùm orandi poteſtas in promptu ſit. Nec putes parvam naſci utilitatem ex lectionis auditu. Siquidem oratio ipſa fit pinguior; dum mens recenti lectione ſaginata, per divinarum rerum, quas nuper audivit, imagines currit. Nam & Maria ſoror Marthæ [t], *quæ ſedens ad pedes Jeſu, ſorore neglectâ verbum intentiùs audiebat, bonam partem ſibi elegiſſe Domini voce firmatur. Ideò & Diaconus clarâ voce ſilentium admonet; ut ſive dum pſallitur, ſive dum lectio pronuntiatur, ab omnibus unitas conſervetur; ut quod* [u] *ab omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur.*

Lib. 2. cap. 11. de Lectore agens. *Sic expeditus, vim pronunciationis tenebit; ut ad intellectum omnium mentes ſenſuſque promoveat; diſcernendo genera pronuntiationis, atque exprimendo omnium ſententiarum proprios affectus.* Et poſt, *Auribus & cordi conſulere debet Lector, non oculis; ne potiùs ex ſeipſo eos ſpectatores magis quàm auditores faciat.*

[t] Luc. X. [u] *ab* redundat.

CAPUT

CAPUT IV.

De Origine Erroris Pontificii.

EX Patrum, quos hucuſque produximus, ſententiis illud manife-ſtúm fecimus, prioribus ſex à Chriſti aſcenſione ſæculis linguam peregrinam in Sacris nondum fuiſſe receptam, neque etiam populo Scripturæ lectioni interdictum. Jam verò ad nati Antichriſti tempora pervenimus, qui [a] poteſtatem ſepticollis beſtiæ (*urbis* ſc. illius [b] *magnæ, quæ habet regnum ſuper reges terræ*) exerciturus erat in conſpectu ejus (in ipsâ ſc. Romanâ urbe) & effecturus [c] ut omnes characterem haberent aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus, h. e. Romanæ poteſtati ſubditos ſe profiterentur. Atque in hunc ſanè finem adeò ſoliciti fuerunt Romani Pontifices; ut Latina Liturgia quantumvis incognita & non intellecta ubique in ditione ſuâ obtineret: in eo ipſo poteſtatem prioris beſtiæ, i. e. Romani imperii ſedulò imitati. *Opera enim data eſt, ut imperioſa civitas non ſolùm jugum, verùm etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis* (*ſociatis* legendum cenſet Lipſius, vel certè *ſpeciem ſocietatis*) *imponeret*, inquit Auguſtinus. [d] Curabant ergo Romani (ut in eum locum obſervat Vives) ut & in Provinciis plurimi Latinè loquerentur; ita ut Hiſpanias & Gallias Latinas prorſus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis: & in Senatu nullos audierunt niſi Latinè verba facientes. Ita Valerius Maximus. *Magiſtratus*, inquit, [e] *priſci quantopere ſuam populique Romani majeſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt; quòd inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magnâ cum perſeverantiâ cuſtodiebant, ne Græcis unquam niſi Latinè reſponſa darent; quin etiam ipsâ linguæ volubilitate, quâ plurimùm valent, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantùm noſtrâ, ſed etiam in Græciâ & Aſiâ: quò ſc. Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.* Atque hinc eſt quòd Cicero lib. 4. Accuſationis in Verrem ſibi objectum commemorat: indignum facinus eſſe quòd in Senatu Græco verba feciſſet, quódque apud Græcos Græcè locutus eſſet; Id ferri nullo modo

[a] Apoc. XIII. 12. [b] Apoc. XVII. 18. [c] Verſ. 17. [d] De Civit. Dei lib. 19. cap. 7. [e] Lib. 2. cap. 1.

O poſſe.

poſſe. Contra verò Catonem apud Athenienſes per interpretem omnia locutum eſſe narrat Plutarchus; quanquam ita Græcè ſciret, ut interpretis opera minimè indigeret. Atque hinc Tryphonius J. C. in Digeſtis: [f] *Decreta à Prætoribus Latinè interponi debent.* Poſtea verò Conſtantinopolin tranſlato imperio; ab Arcadio & Honorio Imp. decretum eſt, [g] ut Judices tam Græcâ quàm Latinâ linguâ ſententias proferre poſſent. Verùm de hâc re vide egregiam diſſertationem Pauli Merulæ in Coſmograph. p. 795, 796. necnon Glareanum Annot. in lib. 1. Comment. Cæſar.

Romani Pontifices, quos [h] in collapſo imperio reſtaurando omnem operam collocare oportuerat, eandem ingreſſi ſunt viam: ut Romanæ linguæ in Eccleſiaſticis Officiis receptus uſus Romanæ authoritatis in gentibus propagatæ eſſet indicium. *Ita nempe* [i] *Romanum Imperium eſſe videbatur, ubicunque Romana lingua dominabatur.* Sed quærit hìc à nobis Alanus, [k] utrùm ſubitò lingua in Liturgiâ uſurpata mutata fuerit. Cui cum Eraſmo [l] reſpondemus linguam vulgarem populo nequaquam ſubtractam eſſe, ſed populum ab eâ receſſiſſe. Barbaris enim cuncta occupantibus, effectum eſſe, ut Latina lingua, quæ nationibus Romano imperio ſubditis communis erat, variè corrumperetur, & in diverſas dialectos degeneraret. Ita Italiam oppreſſerunt Longobardi; de quibus Gregorius [m] ad Phocam Imp. Indictione 6. anno ſc. 603. ita ſcribit. *Qualiter quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incurſionibus ecce jam per 35. annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus ſuggeſtionis valemus.* Poſteaque [n] anno 755. Aiſtulphus, cum univerſo regni ſui Longobardorum populo, Romanam urbem per trium menſium ſpatia oppugnabat, omnia extra Urbem poſita ferro & igne devaſtans. Neque quietem nacta eſt Italia, donec Deſiderio Rege à Carolo M. devicto, regnum à Longobardis ad Francos eſſet tranſlatum circa an. 773. Hiſpaniam Athaulpho Duce occupârunt Gotthi [o], anno 4. à captâ ab iiſdem Gotthis urbe Româ, qui fuit Chriſtianæ Epochæ 414. Altero ante Urbem captam anno Hiſpanias ſub Gunderico occupârant Wandali; quorum regnum devicto à Beliſario Juſtiniani Duce Gilimere finem ſortitum eſt anno 533. Gothorum verò regnum ad annum 713. duravit, quo devicto Roderico Hiſpaniâ potiti ſunt

[f] Lib. 42. tit. 1. De re judicatâ, l. 48. [g] In Codice, lib. 7. tit. 45. De ſententiis & interlocutionibus, l. 12. [h] Apoc. XIII. 12. 15. [i] Laur. Valla in libros Elegantiarum præfat. [k] Artic. 11. poſtulat. 9. [l] In declarat. ad cenſuras Pariſienſ. tit. 12. ſect. 41. [m] Regiſtr. lib. 11. epiſt. 43. [n] Sigonius de regno Ital. lib. 3. Baron. Tom. 9. Annal. [o] Oroſius lib. 7. cap. 43.

Saraceni. Francorum in Galliâ regnum anno 456. cœptum confirmat Baronius [p]. Atque ita Barbaris ſummam rerum obtinentibus effectum eſt; ut Galli & Hiſpani, quibus in uſu fuerat (Strabone teſte) Romanus ſermo, alium quendam ex Romano & Barbarico variè commixtum paulatim receperint. Linguas enim Italicam, Hiſpanicam, & Gallicam Latini ſermonis propagines eſſe, & ex ejus corruptione paulatim natas, in confeſſo eſt. *Sermo* (inquit Marineus Siculus [q]) *quo nunc utuntur Hiſpani, Latinus eſt, quem à Romanis acceperunt, ideoque Romancium vocant; qui propter adventum Barbarorum aliquantulùm degeneravit à linguâ Latinâ. Quòd ſi neque Gothi, neque Mauri, Barbariæ gentes in Hiſpaniam veniſſent; tam Latinus eſſet nunc Hiſpanorum ſermo, quàm fuit Romanorum tempore M. Tullii.* His addam Ottonis Friſingenſis [r] verba. *Videtur mihi Francos, qui in Galliis morantur, à Romanis linguam eorum, qua uſque hodie utuntur, accommodâſſe. Nam alii, qui circa Rhenum ac in Germaniâ remanſerunt, Teutonicâ linguâ utuntur.* Paria habet Godfridus Viterbienſis. [ſ] Rem verò totam confirmant Eraſmus declarat. 41. ad cenſuras Pariſienſium, Henr. Glareanus annotat. in lib. 1. Comment. Cæſaris. Conr. Geſnerus in Mithridate. Angelus Roccha in Biblioth. Vatican. Rob. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 15.

Hinc eſt, quod in Synodo Turonenſi III. anno 813. Caroli M. juſſu habitâ proviſum [t] eſt. Ut Homiliæ *apertè* transferrentur *in ruſticam Romanam linguam aut Theotiſcam* (ſeu Germanicam, quia Germania ſub ditione ſuit Caroli) *quò faciliùs cuncti poſſent intelligere quæ dicerentur.* Unde intelligitur ita depravatam fuiſſe Romanam linguam, quæ apud vulgus tunc temporis obtinebat, ut priſca & purior illa vix jam poſſet intelligi. Ideoque in Moguntiaco Concilio eodem anno decretum eſt, ut *filios ſuos donent ad ſcholam* (verba ſunt cap. 45. quæ etiam libro 5. Capitularium à Benedicto Levitâ collect. cap. 95. habentur) *ſive ad Monaſteria, ſive foràs Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant, & orationem Dominicam; ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in ſuâ linguâ hoc diſcat.* Illud nimirum Carolo in votis erat maximè; ut Latina lingua ubique retineretur (quam nec penitus à vulgi intellectu remotam fuiſſe, ex teſtimoniis Conciliorum & Patrum horum temporum, quæ ſuo loco à nobis producentur, videtur conſtare) licèt aliam potiùs uſurpari voluerit, quàm [u] ut populus quid

[p] Tom. 6. Annal. an. 456. Sect. 6. vid. Hotomanni Franco-Galliam p. 26. [q] De rebus Hiſpaniæ lib. 5. [r] Lib. 4. cap. 32. [ſ] Par. 17. cap. 1. [t] Cap. 17. [u] Vid. Capitular. ab Anſegiſo collect. lib. 1. cap. 70.

à Deo peteret ignoraret. Quanquam verò Regis ſtudio undecunque adductis magiſtris, *tam legendi quàm cantandi ſtudium, necnon mundanarum & divinarum intelligentia literarum, citiùs quàm credi poterat, coaluit,* ut habet ille Author [x] qui vitam filii ejus Ludovici Pii deſcripſit.) Illud tamen negari non poteſt, Carolum Romani Antichriſti conatum plurimùm promoviſſe, illudque effeciſſe, ut Ordo Romanus in linguâ Latinâ, quantumvis non intellectâ, à poſteris retineretur. Offenſus enim diſſonantiâ Eccleſiaſtici cantûs inter Romanos & Gallos, & *Judicans juſtius eſſe de puro fonte, quàm de turbato rivo bibere* (verba ſunt Sigeberti Gemblacenſis [y]) duos Clericos Romam miſit, ut authenticum cantum à Romanis diſcerent, & Gallos docerent: [z] & primò per hos Metenſis Eccleſia, & per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantûs revocata eſt. Ita anno 805. Saxonas ab eo devictos Romanam religionem accepiſſe coactos prodit in Chronico Jo. Tilius. Et anno 806. in Concilio in Theodonis villâ habito, ab eo conſtitutum notat Benedictus Levita [a], 1. Ut lectiones diſtinctè in Eccleſiâ legantur, 2. De cantu, ut ſecundùm ordinem & morem Romanæ Eccleſiæ fiat cantatus. *Carolus M.* (inquit Fr. Hotomannus [b]) *Galliæ regnum Papæ Zachariæ ope conſilioque adeptus, in tanti beneficii gratiam edixit, ut Romano more ritus Eccleſiæ ſervarentur, & cantiones haberentur: quæ lex ipſius cùm in Capitulari [c], tum in legibus Francicis his exſtat verbis: Ut cantum pleniter diſcant & ordinabiliter per nocturnale vel graduale officium peragant; [d] ſecundùm quod beatæ memoriæ genitor noſter Pipinus Rex decretavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, & ob unanimitatem Apoſtolicæ ſedis, & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam. Quæ res dici non poteſt quantum & Gallicis Eccleſiis caliginem offuderit, & Pontificibus Romanis authoritatem in negotiis religionis tribuerit.*

[x] Inter Annalium Franc. Authores à Pithæo editos. [y] Chronograph. ad an. 774. [z] Vid. Sangallenſem lib. 1. de geſtis Caroli M. [a] Capitular. lib. 6. cap. 225. [b] Franco-Gallia cap. 2. [c] Lib. 1. cap. 80. de Cantu Romano à Monachis peragendo [d] Vid. Gretſer. defenſ. Bellarmini col. 2011.

CAPUT

CAPUT V.

Teſtimonia Authorum, qui IX. poſtremis à Chriſti aſcenſione ſeculis claruerunt.

ERroris origine explicatâ, ſupereſt, ut Hiſtoriam hanc ad noſtra uſque tempora perducamus: quò planum fiat nunquam veritati teſtes defuiſſe; meraſque nugas eſſe, quæ de omnium ætatum conſenſu in dogmatis Papiſticis ſtabiliendis jactitare ſolent Pontificii. Primo autem loco collocabimus teſtimonium deſumptum ex Homiliis illis in Evangelia totius anni, quæ perperam Euſebio Emeſeno aſcribuntur; quia de tempore, quo Autor ille vixit, nihil adhuc conſtat. Caniſius [a] aſſerit poſt Gregorium M. ſcripſiſſe; Surio [b] homo doctiſſimus, ſed non admodum vetuſtus fuiſſe videtur. [Mortonus in 2. parte Apologiæ Cathol. p. 72. locum ſequentem citat ex Gregorio Nazianzeno hom. 4. Dom. Epiphan. In Catalogo teſtium veritatis citatur Gregorii Nyſſeni nomine.]

Homil. in Evang. Dominic. 4. poſt Epiphaniam. *Hanc conſuetudinem Chriſtiani perpetuam habere debent; ut quotidie ad Eccleſiam veniant, quotidie legant ipſi, vel (ſi hoc non valent) alios legentes audiant.*

634. Aidanus Epiſcopus noſtrâs, ex Hiberniâ ad Anglos inſtituendos miſſus.

De eo ita ſcribit Beda lib. 3. Hiſt. cap. 5. *In tantum vita illius à noſtri temporis ſegnitie diſtabat; ut omnes qui cum eo incedebant, ſive adtonſi ſive laici, meditari deberent, i. e. aut legendis ſcripturis aut Pſalmis diſcendis operam dare.* Iſti erant religioſorum apud nos olim mores; quippe qui *tantùm ea quæ in Propheticis, Evangelicis & Apoſtolicis literis diſcere poterant, pietatis & caſtitatis opera obſervare* ſategerunt: quemadmodum in præcedente capite notavit idem Beda.

[a] Chronolog. præfix. Catechiſmo. [b] Præfat. in Homil. Patrum ad Maximilianum Imp.

650. Tha-

650. Thalaſſius Monachus.

Hecatontad. 1. ſect. 57. 1 *Scrutatur verba Dei, qui eum colit.* Hecantontad. 2. ſect. 28. 2 *Scrutare eloquia Dei, & doce ſcientiam Dei eos, qui piè ac deſideranter veritatem inquirunt.* Hecatontad. 4. ſect. 18. 3 *Verbis divinis continuè vaca: nam diligens in eis ſtudium affectiones abſumit.* Sect. 19. 4 *Lectio & vigiliæ preceſque cum Pſalmodiis mentem ſiſtunt; ne circa affectiones vagetur.* Sect. 54. 5 *Scrutare Scripturas; & invenies mandata; quòd ſi feceris quæ dicunt, ab affectionibus liberaberis.*

650. Maximus Abbas.

In locis Commun. Serm. 17. ex Chryſoſtomo hanc ſententiam profert. Ὥσπερ γῆ μὴ βρεχομένη οὐκ ἔνι, κἂν μυρία λάβῃ σπέρματα, στάχυας ἀνενεγκεῖν· οὕτω ψυχὴν οὐκ ἔστι μὴ τᾶις θείαις γραφαῖς φωτισθεῖσαν πρότερον, κἂν μυρία τις ἐκχέῃ ῥήματα, καρπόν τινα ἐπιδείξασθαι. *Quemadmodum terra imbre non irrigata, licèt infinitam ſeminis copiam accipiat, ſegetem proferre non poteſt; ſic neque fructum aliquem producere anima, divinis Scripturis non illuminata priùs, etiamſi innumeros ſermones quis effundat.*

670. Cednomus, Poeta Anglicus.

Hic *divinâ gratiâ ſpecialiter inſignis, carmina religioni & pietati apta facere ſolebat; ita ut quicquid ex divinis literis per interpretes diſceret, hoc ipſe poſt puſillum verbis poeticis maximâ ſuavitate & compunctione compoſitis, in ſuâ, i. e. Anglorum linguâ, proferret. Canebat autem de creatione mundi, & origine humani generis, & totâ Geneſis hiſtoriâ, de egreſſu Iſrael ex Ægypto, & ingreſſu in terram repromiſſionis, ac de aliis plurimis ſacræ Scripturæ Hiſtoriis.* [Beda lib. 4. hiſtor. cap. 24.]

1 Ἐρευνᾷ λόγους Θεοῦ ὁ σεβόμενος αὐτόν.

2 Ita quidem Interpres Latinus in Orthodoxagraphis Baſil. pag. 901. locum reddidit, quaſi legiſſet, ἐρευνᾷ λόγους Θεοῦ. Paulò aliter editio GL. in Auctuario Bibliothecæ Patr. Pariſienſi 1624. Tom. 2. p. 1185. Ἔρευνα λόγων Θεοῦ, διδάσκει γνῶσιν Θεοῦ, τὸν ἐν ἀληθείᾳ ζητοῦντα, ἐν εὐλαβείᾳ καὶ πόθῳ. *Inquiſitio eloquiorum Dei docet ſcientiam Dei eos qui piè ac deſideranter veritatem ſcrutantur.*

3 Ῥήμασι θείοις ἀδιαλείπτως σχόλαζε· ἡ γὰρ περὶ αὐτὰ φιλοπονία καταναλίσκει τὰ πάθη.

4 Ἵστησι τὸν νοῦν τὸν περὶ τὰ πάθη πλάνης ἀνάγνωσις καὶ ἀγρυπνία καὶ προσευχὴ καὶ ψαλμῳδία.

5. Ἐρεύνησον τὰς γραφὰς, καὶ εὑρίσκεις τὰς ἐντολάς, καὶ τὰ λεγόμενα ποιήσον, καὶ τῶν παθῶν ἀπαλλάττῃ.

660. Wilgis

660. Wilgis Nordhumbranus.

Infantulum ſuum Willibrordum ſtatim ablactatum tradidit Riponenſis Eccleſiæ fratribus, religioſis ſtudiis & ſacris literis erudiendum; ut fragilior ætas validioribus invaleſceret diſciplinis: ubi nihil videret niſi honeſta, nihil audiret niſi ſancta. [Alcuinus in Vitâ Willibrordi.]

685. Alfridus Rex Nordamhumbrorum.

Succeſſit Ecgfrido in regnum Alfrit, *vir in Scripturis doctiſſimus.* Beda lib. 4. hiſt. cap. 26. & eum ſecuti Florentius Wigorn. anno 685. item Henricus Huntingdon. lib. 4. Vide etiam Bedam in Carm. de Cuthberto, tom. 5. Antiqu. Lect. Henr. Caniſii part. 2. pag. 710.

686. Julianus Toletanus Epiſcopus.

Lib. 1. adv. Judæos. *Audite jam ô impietatis operarii, ô filii ſcelerati, non me, ſed ipſum Chriſtum Dominum, quem expugnare nitimini; audite eum reſpondentem patribus veſtris. Ait enim tentantibus ſe Judæis in Evangelio, & dixit:* [c] Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. *Etenim* [d] *virtus & ſapientia Dei ſecundùm Paulum Chriſtus eſt: ergo ignorantia Scripturarum ignorantia Chriſti eſt. Quid jam mirum, ſi error corda veſtra poſſideat, quos ignorantia Scripturarum objurgat? Scrutamini ergo Scripturarum latentes campos; & tunc intelligetis cæcos oculos veſtros.*

680. S. Kilianus Hibernus.

A puerili ætate magnum habet ſtudium ſacras diſcere literas, & in eis tam perfectè proficiens; ut exinde Pontificale didicit regere culmen. Author Vitæ Kiliani tomo 4. Antiqu. Lect. Henr. Caniſii pag. 642.

706. Aldhelmus, Balduinus, & Guthlacus Croilandenſis.

Aldhelmum Pſalterium in linguam Angloſaxonicam tranſtuliſſe ſcribit Jo. Baleus. [e] Pſalterii S. Guthlaci Ingulphus in Hiſtoriâ ſuâ

[c] Matth. XXII. [d] 1 Cor. I. [e] De Scriptor. Britann. Cent. 1. cap. 83.

meminit;

meminit; & ad noſtra tempora inter reliquias Croilandenſis Monaſterii conſervatum eſt. Quod quidem vulgari Saxonicâ linguâ exaratum fuiſſe, ex teſtimonio Joannis Lamberti, [f] qui illud vidit, apparet. Et etiamnum in publicâ Academiæ Cantabrigienſis Bibliothecâ Pſalmi Latinè & Saxonicè verſi cernuntur. Et in Bibliothecâ D. Roberti Cottoni extat Pſalterium Romanum vetuſtiſſimum cum verſione interlineari Saxonicâ: character idem cum chartâ Æthilbaldi Anglorum Regis anno 736. datâ.

710. Bonifacius.

De eo Gregorius II. [g] *Comperimus te ab infantiâ ſacras literas didiciſſe:* & Wilibaldus in vitâ Bonifacii cap. 3. *Ab infantiâ ſuâ uſque ad decrepitam ætatis ſenectutem, præteritorum non mediocriter patrum ſapientiam imitatus eſt; dum Prophetarum jugiter & Apoſtolorum verba ſtylo ſanctitatis conſcripta, & glorioſam Martyrum Paſſionem literarum apicibus inſertam, ſed & Evangelicam Domini Dei noſtri traditionem quotidie commendabat memoriæ, &c. In tantum enim Scripturarum exarſit deſiderio; ut omni ſe intentione earum imitatione & auditione ſæpiùs conjungeret. Et quæ ob doctrinam populorum conſcripta ſunt; ipſe quippe populis mirâ eloquii diſertitudine & ſolertiſſimâ Parabolarum aſſertione efficaciter prædicando retexuit.* Vide locum tomo 4. Henr. Caniſii par. 2. pag. 350, 351. collat. cum Othlono de Vitâ Bonifacii lib. 1. cap. 2. (in Serario de rebus Mogunt. pag. 330.) Sed duo egregia teſtimonia Bonifacii vide in Epiſtola ejus 57. de Virginibus ſacris, & in Vitâ ejus per Wilibaldum cap. 2. pag. 349, 350. Edit. Caniſii; digniſſima prorſus quæ ſubjiciantur.

Epiſt. 57. ad Virginem ſacram [quæ quidem ab Aldhelmo Abbate ſcripta eſt, ex mente autem Bonifacii jam Antiſtitis, quod ex initio conſtat.] *Saluto te diligenter,* Oſigegyth, *ex intimo cordis cubiculo ſubnexis precibus obſecrans; ut aſſiduâ Scripturarum meditatione mentem tuam occupare non deſiſtas; quatenus Pſalmigraphi ſententiam compleas dicentis:* In lege ejus meditabitur die ac nocte. *Et idem Pſalmiſta hoc idem teſtatur dicens,* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? *& reliqua.*

In vitâ ejus per Wilibaldum, cap. 2. *Tanta in eo affabilitatis erga fratres & cœleſtis doctrinæ ſuccrevit magnitudo; ut rumore ſanctæ exhor-*

[f] in reſponſ. ad 26. Artic. Epiſc. [g] Lib. 1. Vitæ Bonifacii ab Othlono deſcriptæ cap. 12. in Serario & Surio.

tationis,

tationis, ejus crebeſcente fama, multis per Monaſteria tam virorum quàm etiam virginum Chriſti apertiſſimè claruit; quorum quidem quamplurimi virili ſexûs robore confortati, & lectionis inſtantiâ incitati, ad eum confluxere, & ſaluberrimum ſcientiæ fontem potantes, numeroſa Scripturarum volumina legendo recenſuere. Quibus ergo ſexus infirmioris 6 imbecillitatis inerat, & aſſidua pergendi abnegabatur facultas; tantæ ſibi ſapientiæ virum, divini inflante ſpiritu amoris, præſentari fecerunt; paginarumque ſeriem tranſcurrentes, cæleſti inſtantes ſcrutinio inhæſere; & ſacramentorum arcana myſteriorumque abdita jugiter meditantur.

710. Eadfridus Lindisfarnenſis Epiſcopus.

A ſermone Latino in Angloſaxonicam linguam vertit plures Bibliorum libros; ut habet Guilhelmus Butler in ſuo libello contra tranſlationem vulgarem. Hujus Eadfridi Saxonica Evangeliſtarum editio (ſecundùm Euſebii Canonem, non capitulis diſtincta) jam in manibus Roberti Bowyer Angli habetur; unde Orationem Dominicam tranſcripſit M. N. (*in his Remains of a greater Work*, p. 15.)

730. Beda Anglo-Saxo.

In Hiſtoriæ Eccl. proœmio commendat Ceodvulphum Regem, ut Scripturæ ſtudioſum.

Prolog. ſuper Samuel. lib. 1. [h] Quæcunque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c. Et mox. *Si ad noſtram correptionem, doctrinam, vel conſolationem omnia ſcripta ſunt, &c. inſiſtendum nobis ſummoperè eſt, & pro ſuo cuique modulo Chriſti juvante gratiâ nitendum; ne ea quæ propter nos ſcripta ſunt, noſtro nos torpore vel incuriâ quaſi aliena prætereant, &c.*

In Ezram lib. 1. cap. 1. *Chriſtus Scripturas ſanctas univerſum miſit in mundum; quibus fidem ſui nominis, ac ſpem ſalutis cunctis, qui ad regnum ſuum pertinent, hoc eſt, electis omnibus prædicaret.*

Lib. 3. in Ezram cap. 28. *Quo exemplo reor in Eccleſiâ morem inoleviſſe* 7, *ut per ſingulas diurnæ* (al. *divinæ*) *pſalmodiæ horas lectio una de Veteri ſive Novo Teſtamento cunctis audientibus ex corde dicatur; & ſic*

[h] Rom. XV.

6 Rectiùs *imbecillitas* in editione Serarii, p. 258.

7 *Pulcherrimum*, addit Amalarius locum citans.

Apoſtolicis

Apoſtolicis ſive Propheticis confirmati verbis ad inſtantiam orationis genua flectant. Hoc idem ab Amalario Treverenſi producitur lib. 4. de Divinis Officiis cap. 3.

Lib. 1. in Luc. cap. 4. *Si quis non veſcitur verbo Dei, iſte non vivit.*

8 In 1 Corinth. XIV. *Nemo ædificatur audiendo id quod non intelligit.*

In Homiliis Quadrageſimalibus, Dominicâ 2. in Quadrages. *Notandum quòd hæc orandi pertinacia ita ſolùm meretur eſſe fructifera; ſi quod ore precamur, hoc etiam mente meditemur; neque aliò clamor labiorum quàm cogitationum ſcindatur intuitus. Sunt enim qui intrantes Eccleſiam, multis orationem vel pſalmodiam ſermonibus perlegant* (rectiùs *prolongant* in Homiliis in Evangelia totius anni à Surio editis pag. 243.) *ſed alibi corde intendentes, nec ipſi quid dicunt, recolunt: ore quidem orantes, ſed mente foris vagantes, omni ſe orationis fructu privant; putantes à Deo precem exaudiri, quam nec ipſi, qui fundunt, audiunt. Quod antiqui hoſtis inſtinctu fieri nemo eſt qui animadvertere nequeat.* Hæc Beda in dictâ Homiliâ, quæ etiam ex eis una eſt, quas Alcuinus vel Paulus Diaconus Caroli M. juſſu in Evangelia totius anni collegit.

In Homiliis Æſtivalibus de Tempore, Dominicâ, Vocem jucunditatis. *Quia ſupervacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus; has, in quantum poſſumus, immiſſione bonarum cogitationum, & maximè frequenti ſcripturarum meditatione fugemus, juxta exemplum Pſalmiſtæ, qui dicit;* [i] Quomodo dilexi legem tuam, Domine; totâ die meditatio mea eſt.

In illud 1 Petr. 2. Sicut modò geniti infantes rationabile & ſine dolo lac concupiſcite; ut eo creſcatis in ſalutem. *Sicut infantes lac maternum naturaliter deſiderant, ut ad ſalutem creſcere, atque ad panem comedendum pervenire valeant; ita & vos ſimplicia fidei rudimenta primò de Eccleſiæ matris uberibus quærite, hoc eſt, de utriuſque Teſtamenti Doctoribus, qui divina eloquia vel ſcripſere, vel etiam vivi vobis voce prædicant; ut bene diſcendo perveniatis ad refectionem panis vivi, qui deſcendit de cœlo, &c.* Item. *Præcepto concupiſcendi lac verbi tangit eos, qui ad audiendas lectiones ſacras inviti & faſtidioſi adveniunt, ignari illius*

[i] Pſal. CXIX.

8 Commentaria in Epiſtolas S. Pauli dubiæ ſunt fidei. Sunt qui Floro Magiſtro, qui ſæculo ſequenti claruit, ea deberi non malè cenſent.

ſitis & eſuriei, de quâ Dominus ait: Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: *Ideoque tardiùs ad perfectum ſalutis crementum pervenientes, quò poſſint ſolido verbi cibo refici, i. e. arcana cognoſcere divina, vel majora facere bona.*

Gulielmus Malmsburienſis [k] de Bedæ obitu agens, *Evangelium* (inquit) *Johannis, quod difficultate ſui mentes legentium exercet, his diebus linguâ interpretatus Anglicâ condeſcendit minùs imbutis Latinâ.* Similiter etiam Evangelium Johannis in Anglicum tranſtuliſſe Bedam refert Johannes Treviſa. [l] In vitâ etiam ejus à Cuthberto Dunelmenſi deſcriptâ habetur (ut eſt in Dunelmenſis Eccleſiæ Hiſtoriâ) Evangelium Johannis paulò ante obitum in linguam Anglicanam eum tranſtuliſſe. [m] Hoc nimirum illud eſt, quod in Epiſtolâ de obitu Venerabilis Bedæ (ad calcem Operum ejus) legimus. *A Capite Evangelii S. Johannis uſque ad eum locum, in quo dicitur:* Sed hæc quid ſunt inter tantos? *in noſtram linguam ad utilitatem Eccleſiæ Dei convertit.* Sed & ex Prologo ante vetera Biblia commemorat Jo. Foxus, [n] Bedam integra Biblia in linguam Saxonicam tranſtuliſſe. Baleus [o] ait, Evangelium Johannis, Pſalterium, & alios Bibliorum libros in patriam linguam eum tranſtuliſſe. Illum denique univerſam ferè Bibliam in linguam Britannicam convertiſſe ex Præfatione docti inprimis viri in Vetus Teſtamentum Anglicè ante annos 300. conſcriptum refert Jo. Caius lib. 1. de Antiq. Cantab. pag. 150.

740. Johannes Damaſcenus

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. 9 *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt omnino. Quare optimum & animæ conducentiſſimum eſt divinas ſcrutari Scripturas. Nam quemadmodum arbor plantata ſecus decurſus aquarum, ſic anima divinâ irrigata Scripturâ impinguatur, & maturum fructum affert fidem orthodoxam, & ſemper virentibus foliis decoratur, i. e. Deo placentibus actionibus. Ad actionem enim ſtudioſam & contem-*

[k] De geſtis Reg. Angl. lib. 1. vid. cap. 47. [l] In Dialogo præfixo Ranulphi Ceſtr. Polychronico. [m] Vid. Holingſhed. pag. 130. & Fox. in Evangelia Saxonica. [n] Præfat. in Evang. Anglo-Saxon. ad Eliz. Reginam. [o] Cent. 2. cap. 1.

9 Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος πάντως καὶ ὠφέλιμος, ὥστε κάλλιστον καὶ ψυχωφελέστατον ἐρευνᾷν τὰς θείας γραφάς. —— πρὸς τὸ πρᾶξαι ἐνάρετον καὶ θεωρίαν ἀθόλωτον ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν ῥυθμιζόμεθα. πάσης γὰρ ἀρετῆς παράκλησιν καὶ κακίας ἀποτροπὴν ἐν ταύταις εὑρίσκομεν. ἐὰν οὖν ὦμεν φιλομαθεῖς, ἐσόμεθα καὶ πολυμαθεῖς, &c. κρούσωμεν τοίνυν εἰς τὸν κάλλιστον παράδεισον τῶν γραφῶν, &c.

plationem ſinceram ex divinis Scripturis apti evadimus. Nam virtutis omnis exhortationem, & omnis vitii averſionem in illis comperimus. Si igitur fuerimus diſcendi cupidi; erimus & multa diſcentes. Nam diligentiâ & labore, & indultoris Dei gratiâ diriguntur omnia; qui enim petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti aperitur. Pulſemus igitur ad pulcherrimum hortum Scripturarum, ſuaviſſimum, dulciſſimum, venuſtiſſimum, &c.

740. Johannes Hiſpalenſis Epiſcopus.

Hic Saracenis Hiſpaniam obtinentibus in ſolatium captivorum in Hiſpaniâ, Scripturam in Arabicam linguam convertit, uti notat Genebrardus [p]. De eodem Vaſæus [q] in Chronico Hiſpaniæ ita ſcribit. *Claruit hoc tempore præter alios Epiſcopos viros religioſos Hiſpali Johannes Epiſcopus, ſanctitate vitæ, ſacrarum literarum peritiâ, miraculis celebratus; qui ad doctrinam poſterorum ſacram Scripturam in linguam Arabicam tranſtulit.* Hic ab Arabibus *Cadit Almatran* vocabatur, & *ſacras Scripturas Catholicis expoſitionibus declaravit; quas ad informationem poſterorum Arabicè conſcriptas reliquit,* ut habet Rodericus Toletanus. [r] Habeo ego manu deſcriptum Geneſeos librum cum Arabicis Commentariis; qui in numeris annorum Patriarcharum cap. 5. & 11. non ſequuntur Hebraicam veritatem aut vulgatam Latinam, ſed LXX. Interpretum editionem; quam ad ſua uſque tempora omnes Doctores Eccleſiaſticos tenuiſſe, & in hâc præcipuè annorum ſupputatione ſecutos eſſe confirmat Julianus Toletanus Epiſcopus. [ſ] Ego certè exiſtimo hunc eſſe illum Johannem Hiſpalenſem, qui circa an. 1142. ex Arabico in Latinam linguam tranſtulit Alfraganum, itemque Alchabitium, ac alios nonnullos Arabicos Aſtrologos. Quanquam Jo. Mariana [t] Jeſuita ſub Favitâ Hiſpaniæ Rege circa an. 738. claruiſſe velit.: qui de eo ita ſcribit. *Johannes, Hiſpalenſis Præſul, divinos libros linguâ Arabicâ donabat, utriuſque gentis ſaluti conſulens, quoniam Arabicæ linguæ multus uſus erat Chriſtianis æque ac Mauris: Latina paſſim ignorabatur. Ejus interpretationis exempla ad noſtram ætatem conſervata ſunt, extantque non uno loco in Hiſpaniâ.*

[p] Chronograph. lib. 3. an. 741. [q] Ad an. 717. [r] De rebus Hiſpan. lib. 4. cap. 3. [ſ] Lib. 3. contra Judæos. [t] De rebus Hiſpan. lib. 7. cap. 3.

780. Alcuinus Anglus.

In Eccleſiaſt. cap. 3. *Lætari debemus in lectione ſanctarum Scripturarum, ubi paſcamur, & potemus de ligno vitæ,* [a] *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.*

De virtutibus & vitiis ad Guidonem cap. 5. (Iſidorum imitatus lib. 3. de ſummo bono cap. 8.) *Sanctarum Scripturarum lectio divinæ eſt cognitio beatitudinis. In his enim quaſi in quodam ſpeculo homo ſeipſum conſiderare poteſt qualis ſit vel quò contendat. Lectio aſſidua purificat animam, &c.* (ut ſupra, & Serm. 112. de Tempore tomo 10. Operum Auguſtini.

In [10] lib. de Divinis Officiis. *Lector dicitur à legendo, eo quòd miniſterium legendi habeat in Eccleſiâ. Illi traditus eſt codex apicum divinorum, ut diſtinctè ad intelligendum divinas lectiones pronuntiando, populo placeat.*

In Pſalmos Pœnitential. Expoſ. Pſalmi CI. *Hunc verò modum ſanctæ orationis devotiſſimus Chriſtianus ſervandum intelligat; ut ipſam cogitatione proſequatur, & quùm verba effundit, ipſum reſpiciat mente cui ſupplicat, omnes ſuperfluas cogitationes excludat, quæ ab inimico ingeruntur; ut efficax oratio ex cordis charitate perveniat ad Deum, ſicut Apoſtolus ait:* Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente. *Tunc enim à Deo accepta eſt oratio canentis; ſi pura mens idem gerit quod explicat ore.* Conſentit hîc cum Bedæ ſententiâ in Homiliâ Quadrageſimali ſupra à nobis citatâ; quam etiam Alcuinus vel Paulus Diaconus Homiliario ſuo inſeruit.

Epiſt. 23. ad Wiorenſes Fratres, pag. 54 Tom. I. lect. Antiq. Hen. Caniſii. *Adſueſcant pueri adſtare laudibus superni Regis: Diſcant nunc Scripturas ſanctas, ut ætate perfectâ veniente, alios docere poſſint. Qui non diſcit in pueritiâ, non docet in ſenectute. Recogitate nobiliſſimum noſtri temporis magiſtrum, Bedam Presbyterum; quale habuit in juventute diſcendi ſtudium, &c.*

[a] Pſal. I.

10 Spurius eſt iſte liber, poſt annum à Chriſto milleſimum ſcriptus.

792. Author

792. Author Librorum Carolinorum de Imaginibus.

Lib. 2. cap. 30: *In divinæ Scripturæ libris & animæ perpetuus cibus, & præſentis vitæ doctrina, & ſapientia, quæ decor eſt vitæ, & vitæ perpetuæ documenta continentur. Eſt enim theſaurus nullo bono carens, omnibus bonis abundans; ad quem quiſquis devotus accedit, quicquid fideliter quærit, fæliciter ſe adquiſiſſe gaudet.* Et poſt, *Tu qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conſervare te dicis, ſupplex eis adſtare memento cum thymiamatibus: nos præcepta Domini ſolerti indagatione perquiramus in divinæ legis codicibus. Tu luminaribus perluſtra picturas; nos frequentemus divinas Scripturas.*

Lib. 4. cap. 3. *Multis honoribus locus iſte ſublimandus eſt, ubi à fidelibus populis undique convenitur, &c. ubi crebro ſuaviſonus pſallentium reboat concentus, ubi divinæ lectionis arentia corda irrigantes perſonant fluctus.*

807. Carolus Magnus Imp.

Cæſari Baronio [x] planè miraculum videtur hoc ſæculo rudi inventum eſſe Regem *adeò excultum ſacris literis, & in procinctu ſemper poſitum Principem veluti ocioſum de rebus divinis Philoſophantem.* Eginhardus in vitâ ejus de eo notat Latinam linguam ita eum didiciſſe, ut æquè illâ ac patriâ linguâ (Teutonicâ ſc.) orare ſit ſolitus. Sanè illum omnium primum Latinis literis Germanicam linguam conſcripſiſſe refert Johannes Stumpfius [y] in Chronicis Helvetiorum. Idem Eginhardus: *Legendi* (inquit) *atque pſallendi diſciplinam diligentiſſimè emendavit. Erat enim utriuſque admodum eruditus; quanquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſſim & in commune cantaret.* Sigebertus etiam in Chronographiâ [z] ita ſcribit. *Carolus Imperator per manum Pauli Diaconi ſui decerpens optima quæque de ſcriptis Catholicorum Patrum, Lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in Eccleſiâ legendas compilari fecit.* Similiter de Paulo Diacono refert Trithemius, [a] eum *juſſu Caroli ordinaviſſe hiſtorias & lectiones per totum annum ſingulis feſtivitatibus ſanctorum congruentes; quanquam receptum eſt homilias illas ab Alcuino Caroli M. præceptore collectas eſſe.* Illud verò mirum Homiliarum

[x] Tomo 9. Annal. an. 778. ſect. 19. [y] Apud Suffridum Petrum. [z] Ad an. 807. [a] De Scriptor. Eccleſ. in Paulo.

hujuſmodi

hujuſmodi collectionem in Eccleſiis à viris ſapientibus inſtitutam; ſi populus illo tempore Latini ſermonis prorſus fuerit ignarus. Quis enim alius horum ſermonum uſus, quàm populi inſtructio, fingi poteſt? Hominem verò linguâ peregrinâ populo concionantem quis putet ſobrium? Sed de Caroli M. conſtitutionibus plura annotata ſunt, tum ſupra ubi de erroris origine actum eſt, tum infra ubi de Eccleſiaſticis hâc in re decretis erit agendum. Illud tantùm hîc admonendum ſufficiat, Carolum non modò ipſum in Scripturis divinis fuiſſe ſtudioſiſſimum (quæ laus illi etiam à Trithemio [b] tribuitur) ſed etiam (ſi Franciſcum Junium [c] audiamus) Scripturas linguis vernaculis reddi curaviſſe, ut populus intelligeret. Unde de eo Vitus Amerbachius (Præfat. dedicatoriâ ad Carolum V. Imp. & Ferdinandum Cæſarem in Conſtitutiones Caroli M.) *Curavit Novum Teſtamentum in Francicam linguam converti; quæ, ut monumenta indicant, noſtra eſt* (Germanica ſc.) Hæc ille. Paria habet Eſpenſæus [d]. *Carolus Magnus* (inquit) *Novum Teſtamentum in linguam Francicam & Germanicam converti curavit.* Quod ad ſacrarum verò literarum ſtudium attinet, Carolus *nullum unquam intermiſit diem, quo non aliquid in hiſtoriis, vel in ſacris literis vel aliis diſciplinis legerit;* uti de eo habet H. Mutius German. Chronic. lib. 8. Unde in epiſtolâ [e] quadam ſic ad eum ſcribit Alcuinus: *Nihil horum tuam latere poterit ſapientiam: ut puta in ſanctis Scripturis vel ſæcularibus hiſtoriis te apprime eruditum eſſe novimus. Ex his omnibus plena tibi ſcientia data eſt, &c.*

Cæterum Francicam & Germanicam eandem olim fuiſſe linguam, hiſce verbis confirmat Vitus Amerbachius in Præfatione ſupra laudatâ. *Verum eſt Caroli Magni temporibus unum quoddam regnum fuiſſe bonam & Germaniæ & Galliæ partem, ac deinde inter ſucceſſores factam ejus diviſionem, procedentibuſque temporibus magis ac magis & ipſos homines inter ſe alienatos ac ſeparatos eſſe moribus & linguâ. Sunt enim & multa & magna indicia, Caroli temporibus ut in eâ parte Italiæ quæ Gallia Togata vocatur, ſic etiam longè latéque in Galliis Germanicam linguam in uſu fuiſſe: ac ut Longobardi paulatim peregrinam linguam, ſive propter vicinitatem, ſive pudore quodam, aut affectatione adſciverunt, ita feciſſe totam Galliam. Quod autem vera Francia, & tanquam caput, aut ſive domicilium, ſive arx Francorum, fuerit ea pars Germaniæ, quam nunc tenet Epiſcopus Virtſpurgenſis, vel hoc teſtatur; quòd ſola nomen de vetere Franciâ perpetuum,*

[b] Catalog. virorum illuſtr. Germaniæ. [c] In Animadverſ. ad 1. Controv. Bellarm. de Verbo Dei lib. 2. cap. 15. ſect. 44. [d] Tract. quòd Principem literæ deceant, ad Confeſſ. Regium, fol. 98. [e] Epiſt. 4. tom. 1. Antiqu. Lect. ab H. Caniſio edit. p. 19.

conſtans

conſtans & unum huc uſque retinuerit. Quanquam non paulo fuit longior & latior, quam nunc eſt, olim. Præterea qui familiam Caroli Germanis adimunt, vehementer falluntur. Præter enim ea, quæ jam dicta ſunt, quid (obſecro) volunt ſibi nomina Pipini, Berthradæ, Caroli, Ludovici, Ruothrudis, Berthæ, Theoderatæ; quæ manifeſte omnia ſunt Germanica, etſi nonnihil à ſcriptoribus detorta? Huc facit, quòd & nomina menſibus impoſuit Carolus, quibus adhuc utimur ex magnâ parte, idque (ut eſt in hiſtoriis) linguâ patriâ, quæ, cùm nomina ſint noſtra (i. e. Germanica) *ſine dubio noſtra eſt: & curavit Novum Teſtamentum in Francicam linguam converti; quæ, ut monumenta indicant, noſtra eſt. Vehementer autem ineptiunt, qui vocant hoc in dubium, Germanicáne ſint vocabula, quæ ita inveniuntur, an Francorum; quaſi diverſa gens fuerit à Germanis: aut putant veterem Germanorum linguam prorſus aliam fuiſſe, quòd jam non ſit paulò, quàm olim fuerit, alia. Quaſi verò deſierit eſſe Latina lingua propterea, quòd longè aliter vetuſtiſſimi Latini ſunt locuti, aliter Ciceronis tempore; aut Suevi non loquantur Germanicè, quòd ægrè à Saxonibus intelliguntur, vel contra Saxones eandem ob cauſam.* Hactenus Vitus Amerbachius.

820. Ludovicus Pius Imp. Caroli M. filius.

Imperator iſte Pius non fuit ipſe ſolùm in omnibus Scripturis diligentiſſimè verſatus (quod in ejus geſtis prodit Theganus) ſed etiam in Germanicam linguam ligatâ oratione eaſdem curavit verti, ut rudiorum memoriæ conſuleretur. Ita enim de eo Præfatio [f] in librum antiquum linguâ Saxonicâ conſcriptum commemorat. 11 *Cùm divinorum librorum* (inquit Præfationis Author) *ſolummodò literati atque eruditi priùs notitiam haberent* (hinc non videtur Caroli M. juſſu Scriptura tranſlata, ut narrat Junius, niſi Francica & Theotiſca diverſæ ſint linguæ, quod veriſimile eſt) *ejus ſtudio atque imperii tempore, ſed Dei omnipotentiâ atque inchoantiâ mirabiliter actum eſt nuper, ut cunctus populus ſuæ ditioni ſubditus, Theudiſcâ loquens linguâ, ejuſdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam viro de gente Saxonum, qui apud ſuos non ignobilis vates habebatur; quatenus non ſolùm literatis, verùm etiam illiteratis ſacra divinorum præceptorum lectio pan-*

[f] In 9. libro Catalogi Teſtium Verit.

11 Eandem edidit Andr. Quercetanus, Tom. 2. Scriptor. Franc. pag 326.

deretur.

deretur. Qui juſſis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eò faciliùs, quò deſuper admonitus eſt priùs, ad tam difficile tamque arduum ſe ſtatim contulit opus; potiùs tamen confidens de adjutorio obtemperantiæ, quàm de ſuæ ingenio parvitatis. Igitur à mundi creatione initium capiens, juxta hiſtoriæ veritatem quæque excellentiora ſummatim decerpens, & interdum quædam, ubi commodum duxit, myſtico ſenſu depingens, ad finem totius Veteris ac Novi Teſtamenti interpretando more poetico ſatis facetâ eloquentiâ perduxit. Quod opus tam lucidè tamque eleganter juxta idioma illius linguæ compoſuit, ut audientibus atque intelligentibus non minimam ſui decoris dulcedinem præſtet. Juxta morem verò illius poematis omne opus per vitteas diſtinxit, quas nos lectiones vel ſententias poſſumus appellare. Ferunt eundem Vatem, dum adhuc artis hujus eſſet penitus ignarus, in ſomnis eſſe admonitum, ut ſacræ legis præcepta ad cantilenam propriæ linguæ congruâ modulatione coaptaret. Quam admonitionem nemo veram eſſe ambigit, qui hujus carminis notitiam, ſtudiumque ejus compoſitoris, atque deſiderii anhelationem habuerit. In eandem ſententiam habentur verſus de Poetâ & interprete hujus Codicis.

Mox divina polo reſonans vox labitur alto;
O quid agis Vates! cur cantûs tempora perdis?
Incipe divinas recitare ex ordine leges,
Transferre in propriam clariſſima dogmata linguam.
Nec mora poſt tanti fuerat miracula dicti,
Qui priùs agricola, mox & fuit ille poeta.
Tunc cantûs nimio Vates perfuſus amore,
Metrica poſt doctâ dictavit carmina linguâ.
Cœperat à primâ naſcentis origine mundi,
Quinque relabentis percurrens tempora ſecli,
Venit ad adventum Chriſti, qui ſanguine mundum
Faucibus eripuit tetri miſeratus Averni.

Ludovicus Imp. anno 842. moriturus filio Lothario coronam, enſem, Evangelium auro gemmiſque redimitum legavit; quemadmodum teſtatur Author qui illius temporibus vixit, in Annalibus à Juſto Reubero editis, pag. 65.

830. Angelomus Lexovienſis Monachus

In 3. Lib. Regum, cap. 19. *Sicut corpus ſine alimento corporali ſubſiſtere nequit; ita nec anima vivere poteſt ſine verbo Dei.*

834. Haymo Halberſtatenſis Epiſcopus.

In Pſal. XXII. *Sicut animalia in paſcuis reficiuntur; ita fideles animæ divinis Scripturis impinguantur.*

In Pſal. XXXII. *Sicut aquæ, quæ ſunt in utre, coarctantur ne exeant; ſic juſti poſiti in Eccleſiâ divinæ paginæ inſtructione coarctantur, ut nonniſi eo permittente, qui poſuit, egredi valeant.*

In Pſal. CL. *Frequenti meditatione Scripturarum ſupervacuæ fugantur cogitationes.*

In 1 Corinth. XIV. 12 *Profero ſymbolum Græcè, quia ſic reperi illud ſcriptum; & ſum Latinus, non Græcus; barbarus tibi ſum.* Iterum. *Si tu Græci Sermonis aliquid didiciſti, & cœperis ſimiliter loqui; qui primùm tibi videbar barbarus, cerno te quaſi barbarum mihi.* Item, *Dicitur idiota propriam linguam tantummodò ſciens in qua natus & nutritus eſt. Si igitur talis aſtiterit tibi, dum aut myſterium miſſæ ſolenniter celebras, aut ſermonem facis, aut etiam benedictionem tribuis; quando reſpondebit verbum confirmatorium, quod dicitur Amen; cùm ille tantùm linguæ propriæ peritus, ignoret, quod tu barbarè illi loquaris.*

In Coloſſ. III. In gratiâ cantantes.] *i. e. ſemper reddite Deo gratias; ita ut quod ore canitis, corde intelligatis, & mens concordet voci.*

810. Rabanus Maurus.

De Inſtitutione Clericorum lib. 1. cap. 11. de Lectore agens, *Iſte doctrinâ & libris debet eſſe imbutus, ſenſuumque & verborum ſcientiâ perornatus; ut diſtinctè & apertè ſonans audientium corda poſſit inſtruere.* Lib. 2. cap. 52. ea omnia habet, quæ ſupra produximus ex Iſidoro de Officiis Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 11. Lib. 3. cap. 3. eandem prorſus habet ſententiam, quam ſupra ex Auguſtino protulimus de doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 5. Cap. 6. ſententiam habet Auguſtini lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. cap. 9. ait: *Si ipſius linguæ noſtræ, i. e. Latinæ, aliqua verba locutioneſque ignoramus; legendi conſuetudine audiendique innoteſcunt.*

In Epiſtolâ ad Abbatem quendam. *Sapientia divina, quæ in ſacrâ Scriptura elucet, omnibus tam potentibus quàm infirmis, tam ſapientibus*

12 Remigio Monacho Antiſſiodorenſi, qui circa an. 880. floruit, deberi videntur iſta commentaria.

quàm

quàm inſipientibus, ſi eam rectè intenderint, & ei ritè obedierint, medicina ſalubris eſt. Ipſa eſt illuminatio animæ, &c.

Idem lib. 5. de Sermonum proprietate, cap. 1. & lib. 3. de Inſtitutione Cleric. cap. 7. citatur à Magdeburgenſibus Centur. 9. col. 101. quod conferatur cum Anaſtaſii ſententiâ de 72. linguis. (anno 560.)

Lib. 5. de ſermonum proprietate, ſcribit Rabanus, Libros S. Scripturæ eſſe numero ſeptuaginta duo. *Et quomodo ſeptuaginta duæ linguæ in hoc mundo erant diffuſæ; congruè providit Spiritus Sanctus, ut tot libri eſſent, quot nationes; quibus populi & gentes ad percipiendam fidei gratiam ædificarentur.* Notatu digniora ſunt quæ lib. 3. de Inſtitut. Cleric. [8] cap. 7. habentur *In his omnibus libris* (ſc. 72. S. Scripturæ) *timentes Deum & pietate manſueti, quærunt voluntatem Dei; cujus operis & laboris prima obſervatio eſt, ut diximus, noſſe iſtos libros, & ſi nondum ad intellectum; legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quæ in eis apertè poſita ſunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertiùs diligentiúſque inveſtiganda ſunt: quæ tanto quiſque plura invenit, quantò eſt intelligentiâ capacior. In his enim quæ apertè in Scripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi, ſpem ſcilicet atque charitatem. Cùm verò* 13 *factâ quâdam familiaritate cum ipſâ linguâ divinarum Scripturarum; in ea, quæ obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendum eſt, &c.*

830. Amalarius Lugdunenſis Diaconus.

De Eccleſiaſt. Offic. lib. 2. cap. 8. *Epiſcopus in oratione ſuâ ad Lectorem dicit; ut aſſiduitate lectionum ſit aptus pronunciare verba vitæ, & mentis ac vocis diſtinctione populo monſtrare intelligibilia.*

Ibid. lib. 3. cap. 9. *Hâc ſalutatione Epiſcopi & reſponſione populi intelligimus unum debere eſſe affectum Epiſcopi & populi, ſicut hoſpitum unius domûs, &c. De benedictione dicit Apoſtolus,* Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, &c. *Hanc benedictionem vocat Ambroſius orationem, dicens, Imperitus enim audiens quod non intelligit, neſcit finem orationis, & non reſpondet Amen, id eſt, verum, ut confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui reſpondent Amen.*

[8] Inter Hittorpii Scriptor. de Divinis offic. Tom. I. p. 631.

13 Legendum opinor *facta eſt quædam familiaritas.*

840. Walafridus Strabo.

De rebus Eccleſiaſt. cap. 7. de Gothis loquens. *Et, ut hiſtoriæ teſtantur, poſtmodùm ſtudioſi illius gentis divinos libros in ſuæ locutionis proprietatem tranſtulerunt; quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quaſdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eâdem locutione divina hactenus celebrari officia.*

Gloſſa Ordinaria in I. Paralipom. cap. 16. *Hodie orantibus ſacerdotibus reſpondetur Amen; ut concordet in precibus pia ſacerdotum intentio, & populi ſana devotio; ſecundùm illud,* Amen, Amen, dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram; ex omni re quamcunque petierint, fiet illis.

Eadem in 1 Cor. XIV. Qui enim loquitur linguâ.] [14] *Incognitâ & peregrinâ. Hoc autem fiebat; quando linguâ loquens, ſe non intelligebat, &c. Dum verò non intelliguntur* (verba prolata) *dicuntur in ſpiritu, non in mente.* Non hominibus loquitur.] *Non intelligentiæ hominum.* Sed Deo.] *Cujus laudes dicit.* Nemo enim audit.] *Intelligit.* ——Eritis enim in aera loquentes.] *Non ad corda hominum, quaſi diceret, Inutiliter agetis.* Si ergo neſcio virtutem vocis.] *Interpretationem ſignificationis, quam profero.* Ero ei,] *quem inſtruere debeo,* Cui loquor, barbarus.] *Non intellectus.* Et qui loquitur.] *Inſtruitur vel audit.* Mihi barbarus.] *Non intellectus. Quia nec ipſe me, nec ego ipſum intelligo.* Orabo] *loquar.* Spiritu] *Voluntate, vel linguâ per ſpiritum datâ.* Orabo & mente.] *Intelligentiâ mentis.* Cæterum ſi benedixeris ſpiritu.] *Linguâ per ſpiritum datâ; i. e. ſine interpretatione, quatenus aliis clareſcat quod loqueris.* Quis ſupplet locum idiotæ.] *Illiterati & rudis; qui nullam præter propriam intelligit linguam.*

850. Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus. [15]

Quæſt. 65. *Quomodo eſt intelligendum illud;* [h] Omnis ſcriba doctus in regnum cœlorum ſimilis eſt patrifamilias, qui expromit ex theſauro

[h] Matth. XIII.

[14] Eadem verbatim habet Gloſſa MS vetuſta Bibliothecæ Lambethanæ, quæ Anſelmo (Laudunenſi puto) tribuitur.

[15] Vixit Anaſtaſius circa finem ſæculi ſexti. Eundem ad annum 560. Cl. Uſſerius ſupra repoſuit. cap. 2. Verùm opus iſtud poſterioris ævi eſt; quippe in quo Nicephorus Patriarcha CP. citatur.

ſuo

ſuo nova & vetera. 16 *Reſp. Scribam dicit, eum qui per laborioſam divinarum Scripturarum lectionem ſibi recondit theſaurum Veteris & Novi Teſtamenti, & ex eo expromit tempore diſputationis. Quamobrem quicunque ſunt imperiti divinarum Scripturarum, non poſſunt eſſe patresfamilias, ut qui neque à ſe habeant, neque ab aliis accipiant, ſed ſcipſos decipiant, pereuntes fame ignorationis. Nam quomodo fieri non poteſt ut terra non irrigata, etiamſi millies in eam dejiciantur ſemina, ſpicas ferat: ita etiam fieri non poteſt, ut animus divinis Scripturis non irrigatus, etiamſi quiſquam mille verba effundat, ullum fructum oſtendat. Magnum eſt ergo malum ignorare Scripturas, & ſicut bruta animantia circumferri. Etenim oriuntur mala innumerabilia ex ignoratione Scripturarum. Hinc germinavit magna peſtis hæreſum, hinc vita neglecta, labores inutiles, animæ cæcitas, deceptio Dæmonis. Quomodo enim qui hâc luce ſunt privati, rectâ non poſſunt ingredi; ita etiam qui divinis ſunt privati Scripturis & ad earum radios non aſpiciunt, ſæpe offendunt, & coguntur aſſiduè peccare; ut qui tenebras difficulter probent & examinent, &c.*

856. Carolus Calvus Rex.

De eo Hincmarus Remenſis initio epiſtolæ ad eum ſcriptæ apud Flodoardum lib. 3. hiſt. Remenſ. cap. 15. *Gratias Deo agimus, qui cor veſtrum ad amorem ſuum accendit, & ad cognitionem veritatis & orthodoxæ fidei ſcientiam & diligentiam ignivit: prudentiam quoque & intelligentiam vobis in literis divinitus inſpiratis donavit, & in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro reipublicæ negotiis licet, ſtudium veſtræ devotionis quotidiano augmento ad utilitatem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ provehit.*

860. Methodius & Cyrillus.

Iſti inter Sanctos recenſentur in Martyrologio Romano 9. die Martii. Vetuſtus Author, [i] qui circa an. 878. de converſione Boiariorum

[i] Inter Scriptores rerum Bohemic. à Frehero edit. pag. 20.

16 Γραμματέα λέγει τὸν διὰ τῆς ἐπιπόνου ἀναγνώσεως τῶν θείων γραφῶν ἑαυτῷ θησαυρὸν γνώσεως ἀποτιθέμενον τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης, καὶ ἐκβάλλοντα ἐξ αὐτοῦ ἐν καιρῷ διαλέξεως. ὥστε ὅσοι ἄπειροί εἰσι τῶν θείων γραφῶν, οὐκ ἂν εἶεν οἰκοδεσπόται, μήτε αὐτοὶ ἔχοντες, μήτε παρ' ἑτέρων λαμβάνοντες. —— οὕτω καὶ ψυχὴν οὐκ ἔστι μὴ ταῖς γραφαῖς ποτιζομένην, κἂν μυρία τις ἐκχέῃ ῥήματα, καρπόν τινα ἐπιδείξασθαι· μέγα τοίνυν κακὸν ἀγνοεῖν γραφάς, καὶ δίκην ἀλόγων περιφέρεσθαι· καὶ γὰρ ἐντεῦθεν μυρία ἔφυ κακά, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας· ἐντεῦθεν πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη, ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι, οἱ ἀκερδεῖς πόνοι, τῆς ψυχῆς ἡ τύφλωσις, τοῦ διαβόλου ἡ πλάνη, &c.

& Ci-

& Carenthanorum ſcripſit, narrat Adaluinum (ſuo tempore Juvanienſem Archiepiſcopum) Orientalis Pannoniæ Richbaldum conſtituiſſe Archipresbyterum. *Qui multum tempus ibi demoratus eſt,* (inquit) *exercens ſuum poteſtativè officium, ſicut illi injunxit Archiepiſcopus ſuus, uſque dum quidam Græcus, Methodius nomine, noviter inventis Slavinis literis linguam Latinam doctrinamque Romanam atque literas auctorabiles Latinas Philoſophicè ſuperducens, vileſcere fecit cuncto populo ex parte Miſſas & Evangelia, Eccleſiaſticumque Officium illorum, qui hoc Latinè celebraverunt. Quod ille ferre non valens ſedem repetivit Juvamenſem.* Idem habet Bernardus [k] Monachus in Krembſmonſter, qui circa ann. 1180. de origine Bavarorum ſcripſit. *Poſt hunc* (Osbaldum) inquit, *interjecto tempore aliquo ſupervenit quidam Slavus ab Hiſtriæ & Dalmatiæ partibus, nomine Methodius; qui adinvenit Slavinicas literas, & Slavicè celebravit divinum officium, & vileſcere fecit Latinum. Tandem fugatus à Charentanis partibus intravit Moraviam, ibique quieſcit.* Similiter Jo. Aventinus lib. 4. Annalium [l] Boiorum. *Eâdem tempeſtate* (inquit) *Methodius Philoſophus Venedas invenit literas, vertitque divina oracula in vernaculum Sclavorum ſermonem, perſuaſitq; popularibus Dalmatiam incolentibus, ut exploſâ linguâ Latinâ, exibilato ritu Romano, ſuum conſecraret eloquium. Poſthæc in regnum Boiariæ perrexit, in Liburniâ, Norico, Pannoniiſque Venedis habitantibus idem perſuaſurus. Richovalda ſacrificulus Pontifex, Adeluinus Archimyſtes Salisburgenſis, item Juvanenſes Sacerdotes, qui hactenus in ſuperioribus regionibus ex decreto Caroli M. per quinque & octoginta annos rebus divinis præfuerant, ſacrificia privata, publica procurârant, religionem interpretati fuerant; reges adeunt, concionibus, epiſtolis, populum concitant adversùs Methodium; qui regno Boiariæ factione Juvanenſium Myſtarum pulſus, in Moraviam aufugit.* Hactenus Aventinus. Martinus Crómerus [m] à Methodio & Cyrillo Epiſcopis illud effectum eſſe ſcribit, *aſſentiente Pontifice Maximo, ut Slavis ſuâ linguâ in ſacris uti liceret.* Quâ de re narrationem hujuſmodi habet Æneas Sylvius [n]. *Ferunt Cyrillum, quùm Romæ ageret, Romano Pontifici ſupplicâſſe; ut Sclavorum linguâ, ejus gentis hominibus, quam baptizaverat, rem divinam faciens uti poſſet. De quâ re dum in ſacro ſenatu diſceptaretur; eſſentque non pauci contradictores, auditam vocem tanquam de cælo in hæc verba miſſam* [o]*:* Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei; *indeque datum Cyrillo indultum.* Vox verè cæleſtis:

[k] In Catal. teſtium Verit. lib. 9. [l] Pag. 434. edit. Ingolſtad. [m] De rebus Polon. lib. 3. [n] Hiſtor. Bohem. cap. 13. [o] Pſal. LXVII. 4. CXVII. 1. CL. 6. Eſa. XLV. 23. Rom. XIV. 11.

ſtis. Unde igitur profecta illa vox Tridentini Conciliabuli, tantùm tribus linguis Eccleſiam contentam eſſe debere? Eandem hiſtoriam explicatiùs proponit Jo. Dubravius [p] Olomuzenſis Epiſcopus. *Naſcitur Borivorio* (Boemiæ Duci) *ex Lugmillâ filiolus nomine Boleſlaus, Methodioque præſuli tingendus ungenduſque offertur. Ibi Boiemi Methodium adoriuntur, ab ipſo exigentes, ne ſermone Latino, quem non intelligerent, ſed Boiemo ſibi uſitato ſacra & ſacramenta perageret. Hanc rem ille Romam ad Cyrillum collegam, atque is ad Nicolaum Romanum Pontificem retulit. Ambo collegæ ob eam relationem non Pontifici modò ſed frequenti etiam Patrum Concilio deridendos ſe propinaverunt: cùm ecce tibi de improviſo vox hæc ſua ſponte in tali frequentiâ ſonuit:* Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur eum. *Quâ voce perculſus Romanus Pontifex ſecundùm petitionem Boemorum reſpondendum Cyrillo duxit. Cæterùm non intra multos annos mos ille vernaculâ linguâ inter ſacra cantandi viguit, abolente illum rurſus Pontifice Romano, cùm daret Boiemis antiſtitem, (Nam diu ſaltem Boiemi à privatis ſacerdotibus ſacrorum religioniſque diſciplinam percipiebant) eidemque præſcriberet, ne à ritu cæremoniiſque & cantu Romano ullam in partem devium ageret.* Hactenus Dubravius. Paulò aliter rem geſtam narrat Matthias de Micoviâ [q] in hunc ferè modum. *Cirullus & Methodius miſſi à Michaele Græcorum Imperatore, ad poſtulationem Principum Slavorum, in Moraviam; cùm fundamenta jeciſſent ibi Chriſtianæ fidei; Evocati tandem Romam, & inquiſiti quare in linguâ Slavicâ divina celebrarent, & non in Latinâ, reſponderunt, eò quòd ſcriptum eſſet;* Omnis ſpiritus laudet Dominum. *Poſt altercationes ergo Romanus Pontifex permiſit, ut linguâ Slavicâ celebrando laudaretur Deus, perinde atque Latinâ & Græcâ. Qui mos ad tempora mea circa Cracoviam in Eccleſiâ ſanctæ Crucis in Clepardiâ obſervatus, ſed jam extinctus eſt;* inquit ibi Michovius. Hinc Hoſius de ſacro vernaculè legendo; *Ac ne nunc quidem fortaſſe deſunt* (ait) *qui meminiſſe queant etiam in templo S. Crucis, quod in Clepardiâ eſt, Slavorum linguâ ſacerdotes ſacris operantes uſos fuiſſe.* Michovius [r] quinetiam in Eccleſiis Rutenorum linguâ Serviorum, quæ eſt Slavonica, divina celebrari, legi, & cantari commemorat. Et Aventinus; [ſ] *Sacerdotes Liburniæ, quæ Archiduci Noricorum noſtro ævo paret, adhuc ignari ſunt Romanæ linguæ; ſacrificia patrio ſermone, nempe Slavorum, procurant.* Azorius Jeſuita [t]: *Cyrillus ante ſexcentos annos à Romano Pontifice impetravit* (*ut refert Æ-*

[p] Hiſt. Bohem. lib. 2. [q] Chronic. Polon. cap. 13. [r] De Sarmatiâ Europæâ l. 2. c. 1. [ſ] Annal. lib. 4. pag. 434. [t] Inſtit. Moral lib. 8. cap. 26. ſect. Verùm enimvero.

neas

neas Sylvius) *& Methodius Epiſcopus acriter contendebat, ut ſacræ preces in linguam verterentur Sclavonicam: tandem hæc ſententia* [Omnis lingua laudet Deum] *obtinuit, ut Pontifex conſentiret.* Vid de hâc hiſtoriâ Bergomenſem lib. 11. & Sanderum viſib. Monarch. p. 422. 17

870. Ignatius Conſtantinopol. Patriarcha.

In concione ad Auditores ſuos apud Nicetam Paphlagon. in Vitâ ejus pag. 163, 165. quod Raderus in ſuâ verſione pag. 167. Monachis ſolis malè accommodat. *His rerum divinarum & Theologicarum meditationibus penitus occupati* 18, *ſacrarumque literarum ſtudiis repurgati, atque aſſiduâ oratione luſtrati; contemptis humanis rebus, curas inanes negligamus, &c.* 19 *Hæc documenta, dilecti, primùm quidem à Prophetis, deinde à præſtantibus Chriſti diſcipulis & Evangeliſtis, tum verò à Patribus ſive ſanctis Doctoribus accepta, immò per unum & eundem Spiritum dictata, variiſque modis prædicata, ne contemnamus, nec ſegniter & ignavè exequamur.*

870. Baſilius Macedo, Conſtantinopol. Imperator.

Exhortat. ad Leonem filium cap. 17. *O fili, quemadmodum teneræ plantæ fontibus irrigatæ vireſcunt, floreſque & fructus ferunt; ita mens tua ſacrarum literarum ſtudiis irrigata magis ac magis augeſcet, ac pro fructibus egregias virtutes producet. Nam corpus quidem ſaginatur cibis, qui alius ſuper alium infarciuntur: animus verò ſanctis ſermonibus alitur ac vegetatur.*

870. Otfridus Wiſſenburgenſis Monachus.

Scripſit ad Luidbertum Moguntinum Archiepiſcopum quatuor libros Evangeliorum metricè in linguâ Teutonicâ quibuſdam regulis formatâ; ut habet in Monaſterii Hirſaugienſis Chronico Jo. Trithemius [u]. Opus autem

[u] Ad an. 863.

17 Iſte conceſſionem à Pontifice factam agnoſcit, factæ autem cauſam allegat: quòd *non eâdem ratione agatur cum Neophytis, & cum iis qui plenè ſunt edocti fidem Chriſti.*

18 Διὰ τῆς ἱερᾶς τῶν γραφῶν μάλιστα ἀνακαθαιρόμενοι.

19 Ταύτας οὖν ἔχοντες παραγγελίας, ἀγαπητοὶ, διὰ τῶν προφητῶν μὲν πρῶτον, ἔπειτα διὰ τῶν ὑψηλῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν καὶ εὐαγγελιστῶν, &c. χρονοθέρας εἰς ἡμᾶς, &c.

hoc

hoc *Gratiam Dei Theotiſcè* præſcripſit. Verſionis penè in omnibus Bibliothecis fragmenta reperiri teſtatur Illyricus, qui etiam Præfationem illius integram Catalogo Teſtium Veritatis inſeruit; unde ſequentia excerpſimus. *A quibuſdam memoriâ dignis fratribus rogatus, maximeque cujuſdam venerandæ matronæ verbis nimiùm flagitantis, nomine Judith, ut partem Evangeliorum eis Theotiſcè conſcriberem, ut aliquantulum hujus cantûs lectione ludum ſecularium vocum delerem; & ut in Evangeliorum propriâ linguâ occupati* 20 *dulcedine, ſonum inutilium rerum noverint declinare, &c. Scripſi eorum precum ſuffultus juvamine Evangeliorum partem Francicè compoſitam, interdum ſpiritualia moraliaque verba permiſcens, ut qui in illis alienæ linguæ difficultatem horreſcit, hic propriâ linguâ cognoſcat ſanctiſſima verba. Denique legem ſuâ linguâ intelligens, inde ſe vel parum quid deviare mente propriâ pertimeſcat.* Et circa finem. *Eſt tamen conveniens, ut qualicunque modo, ſive corruptâ linguâ, ſive integræ artis auxilio humanum genus authorem omnium laudet; qui plectrum ei dedit linguæ, verbum in eâ ſuæ laudis ſonare; qui non verborum adulationem politorum, ſed in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem, non labiorum inanem ſervitutem requirit.* Cæterùm Otfridi Wiſſenburgenſis ad Solomonem Epiſcopum Conſtantienſem Præfatio Evangeliorum citatur à Goldaſto part. 1. Script parænetic. pag. 390. ibid. pag. 364. ejuſdem præfatio ad Hludovicum Regem, ut & pag. 372, 400. Jo. Trithemius aſſerit ſe nullum antiquius vidiſſe ſcriptum Germanicum, quam Monachi cujuſdam Otfridi, Theotiſci nomine, circa annum Dom. 820. idque Rythmis, ut vocant, conditum. Ipſe Otfridi Evangeliorum liber (veteri Francico ſermone Rythmicè conſcriptus) impreſſus eſt Baſileæ anno 1571. 8°. hoc titulo: **Evangelieu Buch in alt Frenckiſchen Reimen durch Otfridum von Weiſſuberg Munchu S. Gallen, vor ſieben hundert Jarn beſchrieben, jetzt aber in den Truck verfertigt.** Etiam Alamannicæ Eccleſiæ confeſſionem cum interlineari explicatione Germanicâ Achilles Gaſſarus unà cum Otfridi Evangeliorum Expoſitione evulgavit. [Goldaſtus tom. 2. Antiqu. Alaman. pag. 165.] Vid. Serarium de rebus Mogunt. pag. 655, 656.

20 Laicos intelligit; quod ex verbis locum à Cl. Uſſerio prolatum immediatè præcedentibus, patet.

880. Johannes VIII. Papa.

[21] Epiſt. 247. inſcriptâ Sfento-pulchro Moravorum Principi, quam ex Regiſtro, quod MS. in Bibliothecâ Vaticanâ aſſervatur, producit Angelus à Roccha in Appendice Biblioth. Vatican. pag. 316. & Baronius Annal. ad an. 880. ſect. 19. *Literas Sclavonicas à Conſtantino quodam Philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitas* [22] *reſonent, jure laudamus; ut in eâdem linguâ Chriſti Dei noſtri præconia & opera enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantùm, ſed omnibus linguis Dominum laudare authoritate ſacrâ monemur, quæ præcepit dicens:* Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi; *& Apoſtoli repleti Spiritu S. locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cæleſtis quoque tuba inſonat monens;* Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei patris. *De quibus etiam in primâ ad Corinthios Epiſtolâ ſatis & manifeſtè nos admonet, quatenus linguis loquentes Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſanæ fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eâdem Slavonicâ linguâ canere, ſive Evangelium vel lectiones divinas Novi & Veteris Teſtamenti, bene tranſlatas & interpretatas legere, aut alia officia horarum omnia pſallere; quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſc. Græcam & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam. Jubemus tamen ut in omnibus Eccleſiis terræ veſtræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & poſtmodum Slavonicâ linguâ tranſlatum in auribus populi Latina verba non intelligentis annuntietur; ſicut in quibuſdam Eccleſiis fieri videtur. Et ſi tibi & judicibus tuis placet, Miſſas Latinâ linguâ magis audire; præcipimus ut Latinè Miſſarum tibi ſolennia celebrentur. Data menſe Junii, Indictione* 13. [23] Quod verò ad Conſtantinum illum Philoſophum attinet, cujus hîc fit mentio, Auguſtinus author Catalogi Olomucenſium Epiſcoporum (qui ſubjicitur hiſtoriæ Bohemicæ Dubravii) hoc nomine priùs appellatum eſſe annotat Cyrillum Methodii Collegam; qui etiam in Inſcriptione Bibliothecæ Vaticanæ Illyricarum literarum auctor traditur; unde & lingua ea Chiurilizza, hoc eſt, Cyrilliana nuncupatur, ut ſcribit Angelus Roccha [x]. Quanquam Me-

[x] Biblioth. Vatic. pag. 168, 171.

21 Habetur etiam Concil. Labb. Tom. IX. p. 177.

22 *Debitè.* Labb.

23 Sive Anno 880.

thodii

thodii inventum Slavinicas literas eſſe alii authores prodant; ut in iis quæ ſupra ad An. 860: à nobis annotata ſunt, videre licet.

890. Ælfredus Occidentalium Saxonum Rex.

24 Præfat. in Paſtorale Gregorii Saxonicum ad Wulfigeum Epiſcopum. *Tum verò venit mihi in mentem legem Dei primò in Hebræo ſermone fuiſſe inventam; atque poſtea Græcos, cùm eandem didiciſſent, eam univerſam & alios inſuper omnes libros in ſuam linguam vertiſſe; necnon Latinos etiam, quamprimùm ipſi eam intelligentiâ comprehendiſſent, per prudentes interpretes ſuo ſermone eandem expreſſiſſe; eodemque modo omnem undique Chriſtianam plebem partem ejus aliquam in linguam domeſticam tranſtuliſſe. Quapropter optimum cenſeo, ſi tu quoque ſic exiſtimas, ut nos libros aliquos, quos maximè neceſſarios arbitrabimur, qui àb omnibus intelligantur, eoſdem in linguam, quam omnes intelligunt, convertamus.* Hæc Ælfredus. De ejus ſtudio ſacrarum literarum vide Ingulphi Hiſtoriam pag. 495. *In divinis*, inquit, *libris, & ſacrâ lectione tam aſſiduus erat, quòd Davidicum Pſalterium vel aliquem alium librum ædificatorium in ſinu ſuo ſemper ſecum ferret; & viros literatiſſimos de terris exteris ad ſe accerſens, aliquamdiu in palatio ſuo ſecum pro ſacris literis addiſcendis retentos, demum diverſis prælatiis & dignitatibus promoveret.* Paria habet Ailredus Abbas Rievalenſis [y]. *Portionem quandam Pſalterii* (inquit) *in qua maximè delectabatur, parvo volumine ſcriptam in ſinu ſemper circumferebat; ut quod illud interius ruminabat, ab interioris hominis ſui pectore non recederet.* Item. *In diebus pacis, non otio torpuit, aut vanis ſpectaculis otioſiſve diſcurſibus tempus perdidit; ſed legere, & ſcribere, & ſacros apices in linguam Anglicam vertere laborabat.* Pſalterii magnam partem ab eo ex Latino Anglicè converſam eſſe apud Joannem Treviſam [z] legimus. Gulielmus verò Malmsburienſis, [a] illumque ſecutus Ranulphus Ceſtrenſis [b], de eo ſcribunt, Pſalterium transferre aggreſſum, *vix primâ parte explicatâ*, vivendi finem feciſſe. Hinc Genebrardus [c] & Gulielmus Eyſengrein [d] Alfredum Pſalterii verſionem inchoâſſe referunt; & Joannes Caius [e] Pſalmos eundem tranſtuliſſe ex Præfatione

[y] In Genealogiâ Davidis Regis Scotiæ MS. [z] Dialog. præfix. Polychronico à ſe verſo.
[a] De geſtis Regum Angl. l. 2. c. 4. [b] Polychronic. l. 6. c. 1. [c] Chron. lib. 4. an. 874.
[d] Catal. Teſt. Verit. [e] De Antiq. Cantab. lib. 1. pag. 150.

24 Habetur in Spelmanni Concil. Angl. Tom. I. pag. 380.

docti inprimis viri in Vetus Teſtamentum Anglicè ante annos 300. conſcriptum narrat. At in Hiſtoriâ Elienſi (lib. 1. ſub fine, prout citatur in præfatione præfixâ Aſſero de rebus geſtis Ælfredi, & Caio de Antiq. Cantab. lib. 1. ubi hiſtoriæ hujus initium eſſe notat: *Cùm animadverterem excellentiam Elienſis Inſulæ*) de eodem ſic habetur. *Aluredus acerrimi ingenii princeps per Grimbaldum & Johannem doctiſſimos Monachos tantùm inſtructus eſt; ut in brevi librorum omnium notitiam haberet, totumque Novum* (*& Vetus*, deeſt id in editis, ſed habetur in Codice MS.) *Teſtamentum in eulogiam Anglicæ gentis tranſmutari fecerit.* Et etiamnum Cantabrigiæ in Collegii S. Benedicti Bibliothecâ Novum Teſtamentum Saxonicè verſum habetur. Quatuor autem Evangeliorum vetus Saxonica tranſlatio Anno 1571. Londini excuſa prodiit: ubi etiam lectiones pro ratione feriarum & dierum Dominicorum diſtinctæ inveniuntur.. Denique Boſtonus Burienſis in ſuo Scriptorum Catalogo (quem MS. penes me habeo) de Elfredo inquit: *Totum fere Teſtamentum in linguam Anglicam tranſtulit.*

890. Waldo Epiſcopus Friſingenſis.

Beatus Rhenanus [f] ſcribit ſe Friſingæ in Bibliothecâ Divi Corbiniani *librum inſignem Evangeliorum Francicè, h. e. Germanicè verſum* inſpexiſſe compoſitum juſſu Waldonis Epiſcopi ſcriptum à Sigefrido Presbytero ante *ſexcentos fermè annos* (ut ille inquit) quando *Franci* Orientales *primùm* [g] *Chriſto dedere nomen.* Titulus libri erat, *Liber Evangeliorum in Theodiſcam linguam verſus*; eratque rythmicè conſcriptus. Incipit autem Author in præfatione hoc modo.

Nu wil ich ſchreiban unſer heil,
Evangeliono deyl:
So wir nu hiar bigunnon
In Frenckiſga zungun.

Verſus hos ſcriptos eſſe *primo tempore ut Franci Chriſto nomen dedere, colligit non levibus conjecturis Beatus Rhenanus* (ait Bibliander [h]) Gretſerus [i] autem ſpiritu Jeſuitico Beatum Rhenanum reprehendit, quòd hâc notâ veteres illos Germanos ſeu Francos laudaret, novoſque perſtringeret. *Perpetua laus Francorum veterum eſt, qui ſacros libros in ſu-*

[f] Rerum German. lib. 2. tit. Franci Germ. uſi linguâ. [g] Munſter. Coſmograph. p. 644.
[h] De communi ratione omnium linguarum. p. 49. [i] Defenſ. Bellarm. p. 840, & 1065.

am,

am, h. e. Germanicam linguam vertendos curârint : quod nuper à Theologis quibuſdam improbatum ſcimus. Cæterùm Waldo Friſingenſis Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Triburienſi anno 895.

930. Æthelſtanus Anglorum Rex.

Scripturas Divinas, teſte Malmesburio, verti fecit in Angloſaxonicum idioma ex puriſſimis Hebræorum fontibus per quoſdam Hebræos ad Chriſtianiſmum (ut credere par eſt) in ſuo regno converſos. Ita Balæus [k]. Sed in Malmesburio de geſtis Regum Anglorum hoc non invenitur. Fortè eſt in libro 5. de Pontificibus, quem rarum admodum eſſe noſtrâ ætate refert Joannes Caius.

936. Arabes.

Nactus ſum (inquit Clenardus in epiſtolâ ad Rutgerum Reſcium anno 1536. datâ) *Evangeliorum Arabicorum codicem deſcriptum & verſum abhinc annis* 600. *Habeo & aliud exemplar ex eâdem tranſlatione deſcriptum. Reperio pleraque omnia ſic ſe habere, ut hodie legimus in Græcorum codicibus, quos ſecutus eſt Eraſmus, &c.* Addit etiam reliquos ſacros codices apud Arabas jam olim verſos eſſe. Vetuſtiſſimos Codices Evangeliorum ante 500. annos Arabicè ſcriptorum ſe habuiſſe indicat Poſtellus [l] in epiſtolâ ad Giambullarium anno 1549. datâ.

940. Elias [25] Cretenſis Epiſcopus

In Orationem 7. Nazianzeni, de moderandis diſputationibus. *Sunt igitur in fide communia, lex illa Vetus; quam priore loco poſuit, ut multa comprehendentem, & antiquiorem vatibus ſexdecim. Nimirum quæ comprehenduntur his, ſunt univerſis ex æquo communia.* Et paulò poſt, de Vetere & Novo Teſtamento, quatuor Evangeliis, &c. affirmat, *ad omnes hæc ſpectare, omnibus ex æquo patere.*

[k] Scriptor. Britan. Cent. 2. cap. 27. [l] Ad calcem Operis de Origin. Hetrur. p. 248.

25 Circa annum potiùs 790. vixiſſe videtur.

950. Sma-

950. Smaragdus Abbas. [26]

In præfat. explicationum Evangeliorum Dominical. *Lectionis ſacræ cognitio imbecillis baculum, nervoſis arma miniſtrat, hoſtium ſubdolas fortiter premit inſidias, & victoribus æternas promittit coronas.*

In Epiſt. ad Romanos, cap. 12. *Renovatur ſenſus noſter per exercitia ſapientiæ, & meditationem verbi Dei, & legis ejus intelligentiam: & quantò quis quotidie ex Scripturarum lectione proficit, quantò altiùs intellectus ejus aſcendit; tantò ſemper novus & quotidie novus efficitur.*

In Diademate Monachorum cap. 2. *Sicut orationibus regimur; ita Pſalmorum ſtudiis delectamur, &c.* ut ſupra ex Iſidoro lib. 3. de ſummo bono, cap. 7. quæ verbatim huc tranſtulit Smaragdus.

954. Boſo Merſeburgenſis Epiſcopus.

De eo Ditmari Chronicon lib. 2. pag. 24. hæc habet. *Hic, ut ſibi commiſſos eò faciliùs inſtrueret, Slavonica ſcripſerat verba; & eos Kyrie eleiſon cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui vecordes hoc in malum irriſoriè mutabant.*

975. Ædgarus Rex Angliæ.

Semper cum Epiſcopis, viriſque doctiſſimis de lege Dei & ſacris literis conferebat; & quod ipſe dicere poterat, ſubditos docere non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo ſatagebat. Cumque diligenter Epiſcoporum, Clericorum, Monachorum vitas & mores inveſtigatione prudentiſſimâ didiciſſet; vocatis ad ſe Eccleſiarum & Monaſteriorum presbyteris, cum eis hujuſmodi ſermonem habuit, &c. [Ailredus Rivallenſis in geneal. Davidis.]

980. Notkerus Labeo, Abbas S. Galli.

Tranſtulit in linguam Alamannicam Pſalmos Davidis, & librum Job: quorum meminit in libro Benedictionum Ekkehardus Junior, S. Galli Monachus, citatus à Goldaſto in fine 2. Tomi Alamannicarum Antiquitatum: ubi etiam notat Tranſlationem iſtam Job periiſſe, Pſalmorum verò apud ſe extare. (Vid. infra ad An. 1020. in Cunegunde

26 Illum anno 810. floruiſſe ſententia eſt veriſimilior.

Imperatrice)

Imperatrice) Atque hæc eſt illa Tranſlatio, cujus meminit Joannes Stumpſius in Chronic. Helvet. ubi ſcribit: Notgerum *S. Galli Monachum ſub Abbate Bernardo Pſalterium in linguam Francicam rudem adhuc & inconditam convertiſſe:* & Joach. Vadianus lib. 2. de Collegiis & Monaſteriis Germaniæ veteribus, ita ſcribens: *Extat apud nos Sangalli Pſalterion à Notkero Monacho, quem ob linguæ tarditatem Balbulum cognominârunt, in noſtram* (i. e. Germanicam) *linguam tranſlatum, Arnolpho imperante; tantâ verborum difficultate, ut nonniſi ab attento & immorante lectore accipi & intelligi queat. Tam dura olim & anhelans vetus illa Francorum & Alemannorum lingua fuit.* Hæc ibi Vadianus: ubi etiam Orationem Dominicam & Symbolum Apoſtolicum, ſicut in eodem Notkeri Codice Germanicè verſa habebantur, deſcribit (ſicut etiam Jo. Stumpſius in Chronico) De Notkeri verò Pſalterio in notis ad illum Vadiani locum Barthol. Schobingerus: *Eſt nunc penès me in meâ Bibliothecâ; quod vulgare & publicum in uſum dare recepit noſter Goldaſtus, cum ampliſſimâ priſcorum verborum expoſitione.* Nota verò Notkerum Labeonem, qui ſub Burchardo Abbate S. Galli floruit, cum Notkero Balbulo, qui ſub Abbate Bernardo claruit, à Joach. Vadiano, & Jo. Stumpſio perperam hìc confundi.

Porrò Jacobus etiam Gretſerus [m] citat antiquiſſimas orationis Dominicæ in Germanicam linguam Tranſlationes: quarum duæ formulæ extant apud Vadianum lib. 2. de Collegiis Monaſteriiſque Germaniæ veteribus, una ex libro Notkeri deſcripta, altera ex libello in Sacello pervetuſto Leproſorum urbis S. Galli à ſe reperto, quem ante annos plus minus 300. ſcriptum eſſe colligebat, terſiore jam & mitiore ſermone. Aliam ab utrâque diverſam longè antiquiorem ipſe ſe habere ſcribit Gretſerus ex S. Galli Monaſterio, deſcriptam ex Manuſcripto Codice. *Kero Monachus Alamannus Symbolum Apoſtolicum & Orationem Dominicam (circa An.* 1000.) *interpretatus eſt ſermone vernaculo: quem libellum in Bibliothecâ D. Magni apud Gallopolitanos vidimus*; ait Goldaſtus par. 1. Script. Parænetic. pag. 487. Vetus etiam Germanicus Interpres Pſalmorum (circa An. 900.) alius à Notkero, citatur à Lipſio, Centur. 3. ad Belgas, epiſt. 44. ad Henricum Schottium: (& Goldaſto part. 1. Script. Parænetic. pag. 366, 370, 372, 373, 388. (ubi notat eſſe Arnoldi Wachtendonkii.) 392, 397, 413, 414, 423, 453.) Pſalterium vetus inquit ibi Lipſius ſe vidiſſe apud inſignem & optimarum artium virum, Arnoldum Wachtendonckium, circa tempora Ludovici

[m] Append. 2. ad lib. 2. Defenſ. Bellarm. de verbo Dei, col. 1054.

& Ca-

& Caroli (filiorum Ludovici Pii) ſcriptum ante annos circiter 700. Latinum quidem, ſed inter lineas ad ſingula verba Germanicâ interpretatione ſuperſcriptâ.

1000. Ælfricus Abbas Malmesburienſis [27], & eum ſecuta Angloſaxonum Eccleſia.

[28] Epiſtolâ de Clericis, ſeu ſermone ad Clericos MS. in Bibliothecâ S. Benedicti Cantab. *Ipſe* (Presbyter) *debet dicere populo fidem Catholicam & ſenſum Evangelii propriâ linguâ; ne ſit canis mutus ſicut dixit Propheta: Canes muti non poſſunt latrare.*

Præfat. in Homilias de Sanctis Angloſaxonicè à ſe verſas, in Bibliothecâ D. Rob. Cottoni, in fine. *Non mihi imputetur, quòd divinam Scripturam noſtræ linguæ infero. Quia arguet me precatus multorum fidelium; & maximè Æthelwerdis ducis* (ealdoꞃman) *& Æthelmeri noſtri; qui ardentiſſimè noſtras interpretationes amplectuntur lectitando. Sed decrevi modò quieſcere poſt quartum librum à tali ſtudio.*

Incipit Præfatio Geneſis Anglicè (ex Collectionibus Joſſelini) Ælꝼꞃıc munuc ᵹꞃeꞇ æðelpeaꞃd ealdoꞃman eadmodlıce, ðu bæde me leoꝼ ꝥ ıc ꞅceolde ðe aꞅendan oꝼ ledene on englıꞅc ða boc ᵹeneꞅıꞅ ða ðuꞃhꞇe nıe heꝼıᵹ ꞇyme ðe ꞇo ꞇıðıᵹenne ðæꞅ, ⁊ ðu cꞅæde ða ðaꞇ ıc ne ꝥoꞃꝼꞇe na maꞃe apendan ðæꞃe bec. &c. [29] In fine verò ejuſdem Epiſtolæ dedicatoriæ ſic ait: [30] ıc cꞃeðe nu ꝥ ıc ne deaꞃꞃ ne ic nelle nane boc æꝼꞇeꞃ ðıꞅꞅe oꝼ leden on englıꞅc apendan.

In Sermonibus Catholicis MSS. in publicâ Cantabrigienſis Academiæ Bibliothecâ. Ælc Cꞃıꞅꞇen man ꞅceal æꝼꞇeꞃ ꞃıhꞇe cunnan æᵹþeꞃ ᵹe hıꞅ Paꞇeꞃ noꞅꞇeꞃ, ᵹe hıꞅ Cꞃedan. *Quilibet Chriſtianus Orationem Dominicam & Apoſtolicum Symbolum ritè calleat.* pag. 119. lin. 14. in MS. pag. 41. Bedæ Saxonici ab Abr. Wheloco editi.

In Epiſtolis Angloſaxonicè perſcriptis. De mæꞅꞅe pꞃeoꞅꞇ ꞅceal ꞅecᵹan on ꞅunnan daᵹum and mæꞅꞅe daᵹum ðæꞅ ᵹodꞅpelleꞅ andᵹyꞇ on englıꞅc ðam ꝼolce and be ðam Paꞇeꞃ noꞅꞇeꞃ ⁊ be ðam Cꞃedan eac. ꞅpa he oꝼꞇoꞅꞇ mæᵹe þam mannum ꞇo on bꞃyꞃdnyꞅꞅe. ꝥ hı cunnon ᵹeleaꝼan. ⁊ heoꞃa cꞃıꞅꞇendome ᵹehalden. *Sacerdos diebus dominicis ac feſtis populo Anglicè declarabit Evangelii ſen-*

27 Poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis.

28 Vide Auctarium.

29 *Ælfricus Monachus Æthelwardo Duci ſalutem ſuppliciter precatur. Præcepiſti mihi, Domine, ut librum Geneſeos ex Latino ſermone in Anglicum converterem. Quod opus mihi factu difficile videtur. Dixiſti itaque mihi non ampliorem libri partem vertendam, quam, &c.* Vide Auctarium.

30 *Dico igitur, me nullum, poſt hunc, librum ex Latino in Anglicum converſurum.*

ſum:

ſum: pari modo orationem Dominicam & Symbolum explicabit, quotieſcunque commodè poteſt, ad hominum contritionem; ut fidem ſuam cognoſcant, & Chriſtianitatem firmè retineant: ſeu ut ipſe Ælfricus in (31) libro Canonum (citato à D. Fulcone in libro Anglicè contra Stapletonum ſcripto) exprimit, *Conſtitutum eſt, ut Sacerdotes diebus Dominicis & feſtis Evangelii illius interpretationem populo in linguâ Anglicanâ proponerent.* Hoc enim decretum inter Canones & Eccleſiaſticas Conſtitutiones ex Conciliis & Patribus ad Eccleſiarum ſuarum adminiſtrationem à ſe collectas retulerunt inſequentes Epiſcopi; quemadmodum in vetuſtis Canonum Codicibus, qui ad Eccleſias Cathedrales in Angliâ pertinebant, videre licet. Etſi igitur uſus linguæ Latinæ in ſacris jam ubique invaluerit; nondum tamen tyrannis illa obtinuit, ut populus in brutâ illâ ignorantiâ detineretur. Sed ut totus ordo divinorum officiorum tam ab indoctis quàm à doctis intelligeretur, Miſſalia Latino-Saxonica ſunt edita; quorum unum adhuc Cantabrigiæ in Collegii S. Benedicti Bibliothecâ habetur [n], cui hæc nota Anglicè præfixa cernitur. *Communiter appellabant hunc Librum, Rubrum Librum Darbeienſem in montanis Provinciæ Darbeienſis partibus; ubi tantâ veneratione atque honore habitus eſt, ut vulgariter crederetur, quòd quicunque datâ ſuper iſtum librum fide pejeraverit, mente excideret.* Quinetiam Pamelius [o] habuiſſe ſe Sacramentorum Gregorii miræ vetuſtatis codicem ex Bibliothecâ Eccleſiæ Cathedralis D. Bavonis Gandavenſis refert; qui officia quædam Anglis peculiaria, & quædam Miſſæ cantica in eam linguam interpretata continebat.

Porrò Ælfricum Geneſin in linguam Saxonicam tranſtuliſſe author eſt Baleus. [p] Cantabrigiæ in Bibliothecâ S. Benedicti capita quædam Geneſeos Saxonicè tranſlata vidimus, eique præfixam exhortationem ad Scripturarum lectionem Saxonicè item exaratam; quæ ab hoc Ælfrico profecta videtur. Libri etiam quinque Moſis, Jóſue, & Judic. habentur in Bibliothecâ D. Rob. Cottoni ab Ælfrico Angloſaxonicè verſi hoc initio, Ælfpic munoc (Ælfricus Monachus) &c. uti ſupra ex Joſſelini Collectionibus retulimus.

[n] Tho. James in Eclogâ Oxon. Cantab. [o] Præfat. in 1. Tom. Liturgic. [p] Centur. 2. cap. 41.

31 Vide Auctarium.

1010. Berno Augienſis Abbas.

Epiſt. ad Eberhardum Præſulem. [a] *Inter varios rerum eventus, qui humanæ ſolent fragilitati accidere, potentiſſimum ac ſpeciale quoddam reor eſſe ſolatium, ſanctarum meditationem Scripturarum: quod & Apoſtolica teſtari videtur authoritas, dum dicit* [q]. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c. *Hæc eſt illa menſa, cæleſtium dapium ferculis referta; quæ laſſis requiem, infirmis ſanitatem, lapſis recuperationem, ſtantibus in fide confert fortitudinem.*

1020. Chunegundis Imperatrix, & Confugienſis Cœnobii Virgines.

Ekkehardus junior Monachus *Moguntiæ* (Aribonis Archiepiſcopi temporibus) *commorans mandatu Imperatricis deſcripſit Pſalterium in linguam Barbaricam, i.e. Germanicam, à Notkero Labeone Phyſico traductum, in privatos nimirum Imperatricis uſus. Quod Opus nunc in noſtrâ manu eſt*, ait Melchior Goldaſtus [r]. Imperatrix autem illa proculdubiò fuit Chunegundis, Sigefridi Comitis Palatini Rheni filia, quæ poſt mortem mariti Henrici Imp. anno 1025. depoſitis ornamentis Imperialibus vitam Monaſticam profeſſa, operabatur manibus ſuis, ſciens ſcriptum eſſe: [ſ] *Qui non operatur, non manducet:* quemadmodum Vitæ illius Author [t] habet; qui de eâdem etiam hæc addit: *Sponſo ſuo* [Chriſto] *aut orans loquebatur aut pſallens.* Item, *Semper eam legere, vel legentem audire vidiſſes.* Et paulò poſt, *Cùm poſt orationis frequentiam inter lectionis laſſitudinem ancilla Chriſti in lecto, non plumis extructo, ſed cilicio ſtrato membra ſapore gravata remiſiſſet; puella ſacrata, quæ de more illi aſſidebat, ſacros codices legens, cùm ferè ad medium noctis-lectionem extenderet, caligantes oculos clauſit; lumenque è manibus illius prolapſum paleas corripiens ſuo fragore circumjacentes ſorores excitavit, &c.* [in Surio, & Gretſeri etiam editione pag. 115.]

[q] Rom. XV. [r] Alaman. Antiq. Tom. 1. pag. 4. [ſ] 2 Theſſ. III. [t] Apud Surium die 3. Martii.

1020. Ca-

1020. Canutus Anglorum & Danorum Rex.

32 Lege 27. (in Codice MS. Cottoniano, & Regio, & aliis harum legum MSS. in hiſtoriâ autem Jornalenſi MS. lex eſt 23.) *Omnes Chriſtianos ſedulò commonemus, ut puro corde ſemper deum diligant, & Catholicæ Chriſtianitatis fidei dignè* [u] *deſerviant: ſanctis Eccleſiæ Doctoribus devotè pareant; Dei leges & doctrinam ſubtiliter inveſtigent,* [x] *ſæpiùs & aſſiduè ſibimet ad utilitatem &* [y] *quicunque Chriſtianus addiſcat; ut ſaltem ſanæ fidei rectam intelligentiam habeat, & ſciat Pater Noſter, & Credo in Deum: quia per illud Deum exoramus, per aliud fidem declaramus.* (Seu *fidem in Deum rectâ declaramus*; uti habet Hiſtoria Jornallenſis.) Verba autem Saxonica in exemplari Saxonico ſunt hujuſmodi.
33 And ealle cristene men ƿe læraþ sƿiþe georne ƿæt hig inƿeardne æfre God lufian and rihtne cristendon geornlic healdan and god cundan lareoƿan geornlice hyran. y Godes lara ⁊ laga smeagan oft ⁊ gelome him sylfum to hearfe. And ƿe læraþ ꝥ ælc cristen man geleornige ꝥ he huru cunne rihtne geleafan. and ariht understandan. and Pater noster ⁊ credan geleornian. for ðam mid oþrum sceal ælc cristen mann hine to Gode gebiddan. ⁊ þam oþrum gesƿutelan rihtne geleafan.

In Ἀρχαιονομία à Gulielmo Lambardo editâ Londini 1568. 4°. extat
34 Conſultum; quod Canutus, Anglorum, Dacorum, & Norvegienſium Rex, *ex ſapientum conſilio, ad Dei immortalis gloriam, Regiæ majeſtatis ornamentum, & Reipublicæ utilitatem, natalitiis Domini noſtri Jeſu Chriſti diebus* Vintoniæ ſancivit. Hìc verò 22. ſanctio ita incipit [z]. ⁊ ƿe læraþ ꝥ ælc cristen man geleornige ꝥ he huru cunne rihtne geleafan ariht understanden. ⁊ Pater Noster. ⁊ Credo geleornian. for ðam mid-ðam oþrum sceal ælc cristen man hine to god gebiddan. ⁊ mid ðam oþrum gesƿutelian rihtne geleafan. Lambardus ita vertit [a]. *Hortamur inſuper, ut Chriſtianus quiſque ita quidem diſcat, ſinceram ut ſaltem probe calleat fidem; atque Orationem Dominicam, & Apoſtolorum Symbolum perdiſcat. Horum enim altero Chriſtianâ fide tincti divinum implorant numen; altero puram honeſtamque de numine Dei profitentur opinionem.* Cæte-

[u] *Serviant ſanctæ*: Hiſt. Jornal. [x] *Semper*, ibid. & in aliis Codd. MSS. [y] *Et omnis Chriſt.* Hiſt. Jornal. [z] Fol. 101. b. [a] Fol. 102. a.

32 Vid. Concil. Angl. Tom. I. p. 565.
33 Vid. Concil. Angl. Tom. I. p. 549.
34 Vide p. 105. ad calcem Bedæ Saxonici.

rùm Oratio Dominica, Symbolum Apoſtolicum, & Decalogus, prout in antiquis linguâ Saxonicâ exaratis libris adhuc videri poſſunt, Saxonicè evulgata ſunt, additâ verſione interlineari Anglicâ, ad calcem Saxonicæ Homiliæ de Sacramento Euchariſtiæ, Londini à Joanne Daio excuſæ in 8°.

1049. Anonymus Anglus.

Pſalterium, cum aliis Canticis Veteris & Novi Teſtamenti, oratione Dominicâ, Symbolo Apoſtolico, & Athanaſiano. Latinè cum verſione Angloſaxonicâ interlineatâ extat in Bibliothecâ D. Roberti Cottoni. Liber ſcriptus eſt anno 1049. Habetur enim computatio annorum ad finem libri: & in Kalendario ad 15. Kal. April. aſcribitur, *Sol in Ariete*, ad 12. Kal. *Æquinoctium.*

1070. Theophylactus Bulgariæ Archiepiſcopus.

Vixit enim circa id tempus, teſte Baronio.

In Luc. XVI. 35 *Nunc nihil tam utile eſt, ut Scripturarum diligens ſcrutatio, &c. Illis enim, qui ſcrutantur divinas Scripturas, nihil poteſt illudere. Illæ enim ſunt lucerna & lumen; quo lucente fur deprehenditur & manifeſtatur.*

In Epheſ. VI. 36 *Si vis obedientes habere filios tuos; inſtitue eos divino verbo. Neque dicas Religioſorum tantùm eſſe legere Scripturas. Cujuſlibet enim Chriſtiani eſt, maximè eorum qui in mundo verſantur; quantò majore auxilio ipſi indigent, ceu in tempeſtate agentes: proinde pro te eſt, quòd liberi tui audiant Scripturam: diſcent enim inde patrem & matrem venerari.*

In 1 Corinth. XIV. Chryſoſtomi verba uſurpat (de quibus ſupra) Si linguâ ignotâ oraveris; quomodo indoctus, *i. e.* 37 *Laicus, reſpondebit, aut ullum profectum à precibus accipiet? &c.* Et mox. 38 *Neceſſe eſt ut mente intelligamus quæ oramus. Item & de Pſalmis intelligendum.*

35 Νῦν δὲ οὐδὲν οὕτως ὠφελεῖ, ὡς ἡ τῶν γραφῶν ἀκριβὴς ἔρευνα. —— τῶν δὲ γραφῶν ὑμῶν ἐρευνωμένων, οὐδὲν ἰσχύσει τοιοῦτον σοφίσασθαι, αὗται γάρ εἰσι λύχνος καὶ φῶς, &c.

36 —— ἔκτρεφε αὐτοὺς τοῖς θείοις λόγοις· καὶ μὴ εἴπῃς, ὅτι μοναζόντων δεῖ τὸ ἀναγινώσκειν τὰς γραφάς· παντὸς γὰρ χριστιανοῦ τοῦτό ἐστι, καὶ μάλιστα τῶν κοσμικῶν, &c. ὥστε ὑπὲρ σοῦ γίνεται τὸ ἀκούειν αὐτοὺς τῆς γραφῆς, &c.

37 Τουτέστιν, ὁ λαϊκός.

38 Χρὴ τῇ διανοίᾳ συνιέναι τὰ τῆς εὐχῆς, ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ ψάλλειν.

1074. Ola-

1074. Olavus Rex, Scripturæ ſtudioſis. Hoveden. ſol. 261. b,

1075. Oecumenius: vixit enim ille poſt Theophylactum.

In 1 Corinth. XIV. Qui loquitur linguâ, ſeipſum ædificat.] [39] *De his loquitur, qui noverunt quidem ea, quæ loquuntur, ſed aliis interpretari non nórunt.* Nam ſi orem linguâ] *Nam ſi loquar (inquit) linguâ, & non etiam interpreter,* Spiritus quidem meus, *h. e. animus ipſe quoad ſeipſum utilitatem percipit,* at mens mea ſine fructu invenietur, *ex hoc quòd aliis non afferat utilitatem. Mentis enim fructus eſt per varias ac omnigenas cogitationes utilitatem proximi excogitare.* Deinde ſubjungit ex Photio: Spiritus meus orat] *h. e. donum ſpirituale, nempe ipſum loqui linguis. Verba* Orem & Orat *accepit pro eo quod eſt linguis loqui aliquid quod honeſtum ſit & ſtudioſum. Nam & precatio genus quoddam eſt ſermonis.* Et poſtea ex Theodoreto: Pſallam ſpiritu] [40] *Spiritum vocat ſpirituale donum, mentem verò manifeſtationem ac interpretationem eorum quæ dicuntur. Dicit autem quòd expediat eum, qui aliâ linguâ loquitur, ſive in pſalmodiâ, ſive in oratione, ſive in doctrinâ; aut ipſum interpretari & intelligere quid dicat ad utilitatem auditorum; aut alium hoc facere convenit, qui poſſit eoperationem doctrinæ ſuſcipere.* Alioqui ſi benedixeris ſpiritu] *Nam ſi tu ſolus (inquit) ſcis quid benedicis aut quid precaris, & anima tua hoc dicit ſpiritu; reliqui verò ignorant, eò quòd tu non noveris interpretari, ſive non noveris vim eorum quæ dicuntur; qui agit idiotam, non poterit dicere Amen ad tuam orationem: non enim novit quid dicas, neque ſcit quando oporteat te audire Amen. Idiotam autem dicit eum, qui in ordine laico ſive plebeio conſtitutus eſt, &c.*

39 Περὶ τῶν εἰδότων μὲν αὐτῶν ἃ λαλοῦσιν, οὐκ εἰδότων δὲ ἑτέροις ἑρμηνεῦσαι, διαλέγεται. —— ἐὰν γὰρ, φησι, λαλῶ γλώσσῃ, οὐ μὴν καὶ διερμηνεύω, τὸ μὲν πνεῦμά μου ἤγουν ἡ ψυχὴ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν ὠφελεῖται, ἄκαρπος δὲ μου ὁ νοῦς εὑρεθήσεται, παρὰ τὸ μὴ καὶ ἄλλους ὠφελεῖν, &c. —— τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται. ἀντὶ τοῦ τὸ χάρισμά μου τὸ πνευματικὸν, αὐτὸ τὸ λαλεῖν γλώσσαις, &c.

40 Πνεῦμα τὸ πνευματικὸν χάρισμα καλεῖ, νοῦν δὲ τὴν σαφήνειαν καὶ ἑρμηνείαν τῶν λεγομένων. λέγει δὲ ὅτι προσήκει τὸν ἑτέρᾳ γλώσσῃ διαλεγόμενον, εἴτε ἐπὶ ψαλμῳδίας, εἴτε ἐπὶ προσευχῆς, εἴτε ἐπὶ διδασκαλίας ἢ αὐτὸν ἑρμηνεύειν καὶ νοεῖν τί λέγει εἰς ὠφέλειαν τῶν ἀκουόντων, ἢ ἑτέρῳ τοῦτο ποιεῖν, &c. —— Ἐὰν γὰρ μόνος σὺ ἐπίστασαι, φησί, τί διαλέγεις, ἢ γοῦν τί εὔχεται. &c. —— ἰδιώτην λέγει τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον.

1070. Wil-

1070. Willeramus, Fuldenſis Monachus.

Willerami Paraphraſin Germanicam in ipſum Canticum Canticorum nuper in lucem produxit Paulus Merula (teſte Goldaſto part. 1. Script. Parænet. pag. 348. collat. cum Bonav. Vulcan. Tract. de antiqu. liter.) [b] Willeramum ſub Henrico III. anno 1070. claruiſſe author eſt Trithemius [c]. Porrò à Goldaſto ibid. pag. 488. Gloſſator Willerami citatur; qui & ipſe citat Rudolphum Monachum Germanum in Vitâ Chriſti.

1080. Euthymius Zygabenus.

Præfat. in Pſalmos. *Hic liber* (Pſalmorum) *commune eſt quoddam medicinæ promptuarium, & paſſionum omnium certiſſimum remedium; illiuſque verba omnibus congruunt atque aptantur hominibus. Nulla eſt igitur inter homines actio, nulla ratio, nulla cogitatio; cujus medicinam hic invenire non poſſis. Cumulus enim & acervus quidam rerum eſt, omni plenus vitæ converſatione, omni contemplatione; ac veluti penu quoddam doctrinæ publicum, unicuique apta & convenientia diſtribuit; nam & antiqua purgat vulnera, & nuper illatis celerem liberationem præſtat. Inſuper quod integrum eſt, ſanum ſincerumque conſervat; multitudinem verò ipſam prorſus allicit, ac ſuadet ſuavi quadam cum delectatione & honeſtâ voluptate; adeò ut per blandam & lenem illam vocem, utilitatem & commodum latenter etiam reportemus, juxta prudentum medicorum præcepta, qui in auſterioribus pharmacis poculum inungi jubent melle: ita & nos apparenter quidem dulce & ſuave melos canimus; reipſa verò animas erudimus, & divinorum eloquiorum memoriam indelebilem conſervamus. Pſalmus, ſermo & converſatio eſt cum Deo, Angelorum allectio, alacer animæ ordo ac ſtatus, diurni laboris quies, nocturni timoris propulſatio, juvenum & nuper introductorum regula, proficientium adjumentum, perfectorum ſolidatio: clypeus inſuperabilis, ornamentum decentiſſimum, regibus, privatis, principibus, populis, militibus & belli ignaris, ſapientibus & rudibus, monachis & civibus, ſacerdotibus & plebibus, habitatoribus continentis atque inſulanis, agricolis, nautis, artificibus & artium ignaris, viris, mulieribus, ſenibus, adoleſcentibus; omni denique naturæ, ætati, fortunæ, & propoſito, & communiter, & privatim, & ſemper, tam domi quàm in foro, in Eccleſiis, in agris, in ſolitudinibus, in itineribus, & omnibus in locis: & eſt deni-*

[b] Ad calcem Jornandis, p. 57, 58. [c] Catal. p. 154, 267.

que

que ſicuti aeris, ſpiratio, aut lucis effuſio, aut uſus ignis, aut quodcunque aliud eorum, quæ valde communia ſunt & utilia.

Ibid. *Cantorum quatuor erant principes, quatuor choris præfecti* (à Davide) *ob totidem mundi climata, ad quæ pſalmorum voces perventuræ erant. Unuſquiſque autem chorus ex duobus & ſeptuaginta Cantoribus conſtabat, ut quidam retulerunt ſe apud Hebræos legiſſe, juxta proportionem ac numerum linguarum, quæ in Babylonicæ turris ædificatione confuſæ, ſeu potiùs diviſæ erant. Futurum enim erat, ut omnis lingua hujuſmodi pſalmos decantaret.*

1080. Uratiſlaus Boemorum Dux.

Hic totius gentis ſuæ nomine à Gregorio VII. poſtulavit; ut ſecundùm Sclavonicam linguam apud ipſos divinum celebrari annueret officium. Cui Gregorius reſcribens 41 (ut eſt in 7 libro Regiſtri Epiſtolarum ejus MS. citat. à Jac. Ledeſma [d], Turriano [e], & Baronio [f]) *Scias* (inquit) *nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet, non immeritò ſacram Scripturam omnipotenti Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam; ne ſi ad liquidum cunctis pateret, fortè vileſceret & pateret deſpectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excuſationem juvat, quòd quidam religioſi viri hoc, quod ſimpliciter populus quærit, patienter tulerunt, ſeu incorrecta dimiſerunt: cùm primitiva Eccleſia multa diſſimulaverit; quæ à ſanctis Paſtoribus poſtmodum, firmatâ Chriſtianitate, & religione creſcente, ſubtili examinatione correcta ſunt.* Rem totam hiſce verbis enarrat Olaus Magnus [g] *Gregorius VII. Vladiſlao Bohemorum Duci ſcripſit, ac prohibuit; ne (ut optavit) ſcriptura ſacra verteretur in linguam vulgarem: quoniam tam ſecreta majeſtas eſt in eâ, ut difficulter tranſlatæ ſenſus ſecretorum Dei poterit in eâ poſtmodum deprehendi; immò nunquam devotior fieret populus, quando ſciens facilitatem in contemptum verteret, quod in reverentiâ conſueverat admirari; & jam in cerviſiariâ tabernâ irriſoriè decantatur.* Obſervetur hic diſcrimen temporum & Pontificum Romanorum. Ante 200. annos Johannes Papa nihil obſtare intellexit, quo minùs officia divina vel lectiones ſacræ in

[d] De Scripturis quavis linguâ non legend. l. 1. c. 15. [e] Contra Magdeburg. lib. 1. pro defenſ. Canonum Apoſt. cap. 24. [f] Annal. ad an. 1080. ſect. 1. [g] Hiſt. lib. 16. cap. 39.

41 Concil. Labb. Tom. X. pag. 234.

Slavonicâ

Slavonicâ linguâ haberentur: *quoniam qui ſecit tres linguas principales, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam.* Jam verò Hildebrandus, monſtrum illud hominis, hoc nullo modo admitti poſſe ſtatuit. Scilicet hoc tempore ad ἀκμὴν perductus eſt Antichriſtus; tantâque ignorantiâ ſepultus eſt mundus; ut verâ ratione Deum interpellandi neglectâ βαττολογία illa [h] à Chriſto condemnata recepta ſit; Salutatione Angelicâ, Oratione Dominicâ, & Symbolo Apoſtolico ad calculos certo numero repetitis. Nam circa hæc tempora (circa an. 1090. ſub Urbano Papâ) refert Polydorus à [i] Petro Eremitâ, cive Ambianenſi, *modum orandi inventum eſſe per rotulos ligneos; quos vulgus modò Preculas, modò Paternoſtros appellat. Ii numero 55. ita ordine diſtinguuntur, ut poſt denos ſinguli majuſculi affigantur filo (ſunt enim perforati) & quot hi ſunt, toties Dominicam precem, quot illi, toties Angelicam ſalutationem, ter numerum ineundo recitent, terque ſymbolum inſerant. Et id D. Mariæ Virginis Pſalterium nuncupant.* Hæc Polydorus. Sed quod ibidem de calculis iſtis addit, *hypocritis eſſe præcipuum fucoſæ bonitatis inſtrumentum*, deleri jubent Cenſores. Verùm de ignorantiâ verbi Dei à Pſeudomonachis hoc tempore introductâ, vid. Waltrami Apologiam de unitate Eccleſiæ tom. 1. Script. German. à Marquardo Frehero edit. pag. 228. 40, 50.

1090. Ivo Carnotenſis Epiſcopus.

In Sermone habito in Synodo, De excellentiâ ſacrorum ordinum. *Hic quidem, qui ad hunc gradum* [Lectorum] *provehitur, literarum ſcientiâ debet eſſe inſtructus; ut & ſenſum verborum intelligat, vim accentuum ſciat, diſtinctè legat; ne confuſione pronuntiationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid ſit indicativè legendum, quid ſub interrogatione; ubi ſit in oratione ſubdiſtinctio, media diſtinctio; quia & hæc malè ſervata intellectum perturbant, & Grammaticorum typhum ad riſum provocant. Auribus enim & cordi conſulere debet Lector.*

1090. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus.

42 In 1 Corinth. XIV. Et ideo] *i. e. ut Eccleſia ædificetur.* [qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur] *i. e. oret ut accipiat donum inter-*

[h] Matth. VI. 7. [i] De Inventor. rerum l. 5. c. 9. Vid. Poſſevin. tom. 3. Apparat. in Petro Monacho p. 61. & Calviſ. Chronolog. an. 1095. p. 642.

42 Spuria ſunt iſta in Epiſtolas S. Pauli Commentaria, aut Anſelmo Laudunenſi, aut Herveo Dolenſi, aut Gulielmo Pariſienſi aſcribenda.

pretandi,

pretandi, ut proficiat cæteris ſtudium ejus. Oret non labiis tantùm, ſed affectu cordis; ut exaudiri mereatur. [Nam ſi] *Etiam ego, qui tantus ſum* [orem linguâ] *i. e. voce ſolâ* [ſpiritus meus] *i. e. flatus oris mei* [orat] *dum loquor in oratione*; [ſed mens mea eſt ſine fructu] *i. e. non capit fructum ex ipsâ oratione. Hoc ſæpe nobis accidit, dum Pſalmum vel orationem labiis proferimus; & mente, quod os profert, non cogitamus. Et quandoquidem mens, quæ intus pio affectu non orat, quod os loquendo foris precatur, fructum orationis non habet.*

Ibidem. Si benedixeris ſpiritu] *i. e. ſi benedictionem dederis ignotâ linguâ, ut nec tu ſenſum dictorum tuorum intelligas, nec aliis exponas; quis loco idiotæ reſpondet Amen in fine ſermonis? Nec ſapiens hoc facere novit, nedum idiota. Imperitus enim & abſque literis, audiens quod non intelligit, neſcit finem orationis, & non reſpondet Amen, i. e. Verum: ut confirmetur benedictio. Per hoc enim completur confirmatio precis, qui reſpondent Amen; ut omnia dicta veritatis teſtimonio in audientium mentibus confirmentur. Non poterit idiota reſpondere benedictioni tuæ quam non intelligit.* Nam tu quidem bene gratias agis] *Deo in illâ benedictione: & bonum eſt quod loqueris.* Sed alter non ædificatur] *ex verbis tuis, quæ non intelligit. Ideo cùm ad Eccleſiam propter ædificationem conveniatis; ea debent in Eccleſiâ dici quæ intelligantur ab hominibus* [omnibus] *& præſtent ædificationem audientibus. Propterea qui loquitur ignotâ linguâ, debet in Eccleſiâ tacere; ut hi loquantur qui proſint audientibus.*

In Epheſ. VI. *Si vis habere filios eruditos, inſtitue eos in verbo divino; nec dicas Religioſorum eſſe tantùm divina eloquia legere. Cujuſlibet enim Chriſtiani hoc munus eſt, & maximè eorum, qui verſantur in mundo; qui majore auxilio opus habent, utpote ii qui tempeſtate agitantur.*

1094. Radulphus Flaviacenſis. 43

Trithemius illum inter Scriptores Sæculi decimi ineuntis collocat; ſed annum non notat, quo vixit: rectiùs verò Boſtonus Burienſis in ſuo Catalogo eum circa an. 1094. floruiſſe affirmat.

In Leviticum lib. 17. cap. 5. *Quid ad hæc dicitis vos, qui labiis Deum honoratis, cor autem veſtrum longè ab ipſo eſt? Vos aerem iſtum verbis impletis, corde vacui: cantica omnia divina ſine ſenſu percurritis. Et*

43 Illum medio Sæculo ſequenti floruiſſe evicit Labbæus, Differt. de Script. Eccleſ. Tom. 2. p. 799.

cùm multus labor in ore veſtro ſit, anima tamen veſtra fraudatur bonis : Culmus ſtans, *dicit Oſee* [k] non eſt in eis germen, non facit farinam. *Veſtra quippe farina nec ſpiritalem affectum germinat, nec ſacræ meditationis farinam creat. Meditatio tamen ſola eſt, quæ mentem mutat, ſpiritui vires præſtat. Ex ſimilâ namque (ut dictum eſt) panis coquitur, quia exercitatione interiori robur mentis acquiritur.* [l] Beatus enim vir, qui in juſtitiâ meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei. [m] Cibabit illum Dominus pane vitæ & intellectûs. *Sicut ergo de vite amputantur palmites, qui infructuoſi videntur, ut fructuoſis ſpacioſitas amplior relinquatur : paucorum namque fœcunditas ſterili multitudini longè antefertur : ſic juxta Apoſtolicam ſententiam longè utilius* [n] *eſſet pauca ædificatione proferre, quàm reverendi ſancti Spiritûs oracula ſine fructu mentis imò cum Dei contemptu brevi temporis ſpatio confusè tranſcurrere. Nunquid enim vobis excidit, quod ait idem Apoſtolus* [o], volo in Eccleſiâ quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in linguâ. *Linguam autem dicit linguam peregrinam ; quæ ſi audiatur, non intelligitur. Inde enim eſt quòd ibidem præmittitur :* [p] Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis ; quomodo ſcietis id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. *Ac deinde :* Si ergo, *inquit*, neſciero virtutem vocis ; ero ei, cui loquor, barbarus ; & qui loquitur mecum, barbarus. *Videtis quia in verbis noſtris intelligentiam noſtram requirit ; quæ autem ſine intellectu proferuntur, ea parvipendit : unde & B. Auguſtinus in Pſal. XVIII.* Pſallentes, *inquit*, intelligere debemus, quæ proferimus ; ut humano more, non quaſi avium voce, cantemus. Nam & meruli & pſittaci & corvi & picæ & hujuſmodi volucres ſæpe ab hominibus docentur ſonare quæ neſciunt. Scienter autem cantare naturæ hominis divinâ voluntate conceſſum eſt. *Quod & ipſe Pſalmiſta commendat dicens :* [q] Pſallam & intelligam. *Vos quàm multa dicatis, attenditis ; nec qualiter dicatis, perpenditis : quaſi non meliùs homini ſit, qui unum panem in manibus habet, & illo veſcitur, quàm aſino, qui centum forſitan portat, & nullo reficitur. Reſpexiſtis ad majus, & ecce factum eſt minus : prophetica exprobratio eſt iſta.* [r] Intuliſtis, *inquit*, in domum, & dixiſtis, Ecce de labore ; & exſufflavi iſtud, dicit Dominus exercituum. *Quod enim pretium ponendum exiſtimatis ſtipulæ, quæ ſpicam non habet? Quomodo placituram Deo putatis Pſalmodiam, in quâ vox quidem orantis pertendit ſpeciem, mens autem ſine fructu eſt?*

[k] Hoſe. VIII. [l] Eccl. XIV. [m] Eccl. XV. [n] 1 Cor. XIV. [o] Ibid. [p] Ibid. [q] Pſal. C. [r] Hagge. I.

Secus

Secus vos ſenſu veſtro agimini, & neque rationi acquieſcere vultis, neque ſanctorum patrum authoritati. Quid enim? Nonne qui pſallendi formam nobis tradiderunt, hoc commonuerunt nos, ut ſerviamus Domino cum timore, ut pſallamus ſapienter, & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ? Sub Hæreticorum perſecutione à patre noſtro beatiſſimo Ambroſio Mediolanis pſalmodia legitur inſtituta ad relevandum tribulationis illius pondus; ne ſc. populus Chriſtianus mœroris tædio contabeſceret. Hanc enim pſallendi utilitatem etiam Jacobus Apoſtolus nobis oſtendit dicens: [f] Triſtatur aliquis veſtrûm? Oret æquo animo, & pſallat. *Veſtra verò pſalmodia non ſolùm mæſtos non relevat, ſed etiam alacribus nimietate ſuâ faſtidium importat. O quantis bonis animas veſtras fraudatis, quantâ privatis dulcedine; dum ſapienter pſallere contemnitis, nec reperire poteſtis quòd canitis?* quia dulcia, *inquit,* [t] faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. *Inde quippe faucibus ejus dulcia erant divina eloquia; quia voci mens concordabat: & quod ſonabat in faucibus, hoc cum magnâ voluptate interiùs ruminabat. Hoc enim idem alibi teſtatur dicens:* [u] Quomodo dilexi legem tuam, Domine? totâ die meditatio mea eſt. Et meditatus ſum, *inquit,* [x] nocte cum corde meo; & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. *Hoc enim cordis nutrimentum eſt; ſic à vitiis purgatur conſcientia; ſic divinus ignis in nobis ſuccenditur; quia Dei ſapientia non verbis ſine ſenſu ſonantibus, ſed eruditis ſe teſtatur* [y] *intereſſe cogitationibus. Sic denique juxta Apoſtoli ſententiam* [z], *homo noſter interior renovatur de die in diem, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit nos.*

1100. Anſelmus Laudunenſis.

Gloſsâ interlineari in 1 Corinth. XIV. Quomodo tu qui linguâ loqueris, ſupples locum idiotæ? *ſcilicet, ut Eccleſiæ miniſter, illum ædificans? quoniam quod dicas, neſcit: & quomodo idiota ipſe reſpondebit Amen, ſuper tuam benedictionem? Siquidem, nec ſi multùm intentus ſit, te intelligit.*

1120. Rupertus Abbas Tuitienſis.

Lib. 1. de glorific. Trinitatis, & de proceſſione Spiritus Sancti c. 2. *Sancta Scriptura rectè dicitur ager; quia profectò res publica eſt, res in*

[f] Jac. V. [t] Pſal. CXVIII. [u] Ibid. [x] Pſal. LXXVI. [y] Prov. VIII. [z] 2 Cor. IV.

aperto poſita ; & cunctis hominibus, immò populis omnibus legere vel audire cupientibus propoſita eſt.

De Operibus Spiritus Sancti lib. 4. cap. 9. *Dicuntur in Pſalmo* [a] *Scripturæ populorum ; quia non ut Platonis literæ, verbis grandiſonæ, ſenſibus pauperculæ, paucis intelligibiles ſunt, vel in angulis ſuſurrant ; ſed cunctis populis propoſitæ ſunt, & palàm omni mundo loquuntur de ſalute omnium gentium, quæ in unâ gente conditæ ſunt, in quâ & priùs abſconditæ fuerunt.*

In Joan. cap. 5. *Proinde rectè dicimus ignorationem Scripturarum ignorationem Chriſti eſſe. Quia videlicet abſque Scripturis Novi pariter ac Veteris Teſtamenti impoſſibile eſt hominis animam ſtare, ut nullo circumferatur vento doctrinæ.*

De divinis Officiis lib. 1. cap. 11. *Prædictas lectiones ideo oratione prævenimus ; quia rogare debemus dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem, & ut aperiat cor noſtrum in lege ſuâ & in præceptis ſuis ; ne ſemen verbi Dei, quod audituri ſimus, aut volucres comedant, aut ſpinæ ſuffocent, aut duritia petræ fuſtratâ radice ſupplantet.*

Lib. 3. cap. 8. *Sciendum quoque, quòd cùm ſabbato* (jejunii ſc.) *ſex tantùm legendæ ſint, duodecim in titulis quæſtiones eâ de causâ prænotantur ; quia cùm Romana Eccleſia de Latinis & Græcis eſſet permixta, ſingulæ lectiones in utrâque linguâ recitabantur. Nam in unâ linguâ recitatæ ab utriuſque linguæ populis intelligi non poterant.*

Lib. 10. cap. 17. *Quomodo gentium magiſtri fierent* (Apoſtoli) *niſi per ſcientiam linguarum copiam habuiſſent conferendi cum eis ſermonem ? Quomodo, inquam, ſaltem reſpondiſſemus Amen ſuper benedictionem illorum ; cùm quid dicerent, neſciremus ?*

1120. Drogo Huſtienſis Epiſcopus.

De Sacramento Dominicæ Paſſionis. *Non excidat tibi lex de ore cordis tui ; volve, revolve, verſa & reverſa ; & tunc intelliges quid ſapiat Manna. Sic faciebat ille qui dicebat :* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine ? ſuper mel & favum ori meo.

a Pſal. LXXXVI.

1130. Hugo

1130. Hugo Victorinus.

In Regulam D. Auguſtini cap. 3. *Pſallentium in Eccleſiâ mens concordare debet cum voce; ut impleatur illud Apoſtoli*, [b] pſallam ſpiritu, pſallam & mente. *Orandi perſeverantia ita ſolùm meretur eſſe fructiſera; ſi quod ore precamur, hoc mente meditemur. Sæpe namque oramus, & alibi mentem intendimus; nec ipſum, quod dicimus, recolimus. Sed illam Deus non exaudit orationem, cui qui orat non intendit: quod inſtinctu diaboli ſæpe fieri ſolet. Sciens enim utilitatem orandi, & nobis invidens gratiam impetrandi, immittit orantibus cogitationum tumultus; ut mentem ab oratione dividat, & fructum orationis tollat. Contra cujus malitiam debemus habere mentis conſtantiam; ut quantò plus cogitationum turba nos impugnat; tantò robuſtiùs mens noſtra in ſui ſtatûs rectitudine fixa permaneat. Multùm enim juvat ad orationis puritatem, ſi in omni loco & tempore nos ab artibus illicitis temperemus; ſi ſemper ab otioſis ſermonibus auditum pariter caſtigemus & linguam; ſi in lege Dei ambulare, & teſtimonia ejus aſſueſcamus toto corde ſcrutari.*

De modo orandi cap. 4. *Sed in illâ, quæ ad Deum fit, oratione narratio neceſſaria non eſt, niſi fortè homo ad hoc narret, ut ipſe ſuam petitionem meliùs intelligat; ut & per narrationem ſuam admonitus, quid petat, conſideret; & per conſiderationem petitionis ſuæ excitatus devotiùs oret, &c. Sola ergo cordis devotio quantum ad Deum ſufficere poterat; niſi ad hoc etiam in voce formaretur oratio; ut mentem orantis ad majorem devotionem accendat. Nam, ſicut diximus, ſi petitioni inſerta narratio eſt; non Deus docetur, ſed orans admonetur conſiderare quid petat, ut devotiùs oret. Si verò ſola ſupplicatio eſt; quia devotionem intus in corde eſſe ſignificat, ad majorem devotionem animum inflammat.*

Ibid. cap. 5. *Unuſquiſque ergo cùm in oratione vel pſalmos vel alias quaſcunque Scripturas decantat; diligenter conſideret, cui affectui ſerviant; & ad illum affectum toto niſu cor ſuum excitet; ad quem, id quod loquitur, magis pertinere videt: quia ſi verborum, quæ loquitur, affectum habuerit, per affectum ipſum meliùs verborum virtutem cognoſcet, & intelligentiam capiet, & per verborum intelligentiam in majorem devotionem affectum accendet.*

De Sacramentis fidei lib. 2. part. 3. cap. 7. de Lectoribus agens; Iſidorum ſequitur lib. 2. de Offic. cap. 11. & iiſdem utitur verbis, quæ infra in Petro Lombardo Anno 1150. proponentur.

[b] 1 Cor. XIV.

1140. Richardus Victorinus.

In Apocalypſin lib. 2. cap. 3. *Sacra Scriptura lex ignea eſt. Lex, quia nos refrænando ligat. Ignea, quia ad amorem creatoris ardenter inflammat. Intus ſcriptus eſt liber iſte per allegoriam, foris per hiſtoriam: intùs per ſpiritualem intelligentiam, foris ad ſimplicium & minorum eruditionem: Intus ut ſecretum ſapientiæ immundis occultetur, foras ut veritas mundis reveletur.*

Lib. 7. cap. 8. *Sciendum eſt, quòd Sacræ Scripturæ verba & ſecundùm aliquid ſunt ſignanda, & ſecundùm aliquid non ſunt ſignanda. Sunt quippe ſignanda, quia ſunt inimicis occultanda; non ſunt ſignanda, quia ſunt amicis revelanda. Utrumque autem ſanctus Johannes, & quod prohibitum, & quod præceptum ſibi fuit, cavit & obſervavit: qui & quædam per obſcura figurarum velamina malis ſtuduit occultare, & quædam vel abſque figuris ſcribendo, vel per ſemetipſum figuras exponendo, & ſic ſub aliis velaminibus latentia myſteria fore quærenda ſubtiliter inſinuando, bonis curavit revelare. Sed quamvis Sacræ Scripturæ myſteria obſcuritatibus figurarum ſignentur, ut bonos exerceant, malos lateant; nequaquam tamen ipſi mali de ignorantiâ ſuâ habent excuſationem: quia & manifeſtiora ſacræ paginæ verba poſſunt intelligere; & ſi vellent vitia deſerere & virtutes exercere, poſſunt ad occultiora quoque cognoſcenda adjuvante gratiâ Dei pervenire.*

1140. Bernardus Clarævallenſis Abbas.

In Meditationib. cap. 6. *Cùm ad orandum ſive ad pſallendum Eccleſiam intraveris; fluctuantium cogitationum tumultus exteriùs relinque, curamque exteriorum penitus obliviſcere; ut ſoli Deo poſſis vacare. Fieri enim non poteſt, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi; audi illum loquentem tibi, ut ipſe te exaudiat loquentem ſibi. Ita fiet, ſi divinis laudibus ſolvendis debitâ reverentiâ & ſollicitudine aſſiſtas, ſuper ſingula verba divinæ Scripturæ diligenter intendas;* [Habetur etiam hoc inter Opera Hugonis Victorini lib. 1. de Animâ cap. 7.]

De interiori domo, cap. 48. *Oratio cordis eſt, non labiorum, Neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit.* [Habetur etiam inter Opera ejuſdem lib. 3. de Animâ cap. 29.

In

In Cantica, Serm. 7. *Laudem ergo cum cœli cantoribus in commune dicentes, utpote cives ſanctorum & domeſtici Dei, pſallite ſapienter. Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit. Tantùm illum terere non negligat fidelis & prudens anima quibuſdam dentibus intelligentiæ ſuæ; ne ſi fortè integrum glutiat & non manſum, fruſtretur palatum ſapore deſiderabili & dulciore ſuper mel & favum. Offeramus cum Apoſtolis in cæleſti convivio & in Dominicâ menſâ favum mellis. Devotio in cerâ, mel in literâ eſt. Alioquin* [c] *litera occidit, ſi abſque ſpiritûs condimento glutiatur. Si autem cum Apoſtolo* [d] pſallas ſpiritu, pſallas & mente; *cognoſces & tu de illius veritate ſermonis, quem dixit Jeſus:* [e] Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

Ibid. Serm. 47. *Unde vos moneo dilectiſſimi, purè ſemper ac ſtrenuè divinis intereſſe laudibus. Strenuè quidem, ut ſicut reverenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis, &c. Purè verò, ut nil aliud, dum pſallitis, quàm quod pſallitis, cogitetis. Nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas & otioſas: vitandæ ſunt & illæ illâ duntaxat horâ & illo loco; quas Officiales fratres pro communi neceſſitate quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò recipere tunc conſuluerim; quæ fortè paulò ante in clauſtro ſedentes in codicibus legeratis; qualia & nunc me vivâ voce differente ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia reportatis. Salubria ſunt; ſed minimè illa ſalubriter inter pſallendum revolvitis. Spiritus enim ſanctus illâ horâ gratum non recipit quicquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes obtuleris.*

De modo bene vivendi ad Sororem, 44 Serm. 49. *Oratio cordis eſt, non labiorum. Melius eſt cum ſilentio cordis orare, quàm ſolis verbis ſine intentione mentis.*

Ibid. Serm. 50. *Soror chariſſima, ſi vis cum Deo ſemper eſſe; ſemper ora, & ſemper lege. Valde nobis eſt neceſſaria lectio divina. Nam per lectionem diſcimus, quid facere, quid cavere, quò tendere debeamus. Unde dicitur:* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. *Per lectionem ſenſus & intellectus augentur. Lectio nos ad orationem inſtruit, & ad operationem. Lectio nos informat ad activam & contemplativam vitam: ideo dicitur in Pſalmis:* Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. *Lectio & oratio ſunt arma, quibus Diabolus expugnatur: hæc ſunt inſtrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. Per ora-*

[c] 2 Cor. III. [d] 1 Cor. XIV. [e] Joan. VI.

44 Spurii vulgò cenſentur iſti Sermones.

tionem

tionem & lectionem vitia deſtruuntur, & virtutes in animâ nutriuntur. Ancilla Dei ſemper debet orare & legere. Unde legitur in Pſalmis : Tunc non confundar, cùm perſpexero in mandatis tuis. *Igitur dilecta mihi ſoror in Chriſto, inſiſte orationi frequenter : perſevera in meditatione Scripturarum ; in lege Dei eſto aſſidua ; habeto ſtudium in divinis legibus ; uſus legendi ſit tibi frequens, lectio ſit tibi quotidiana legis meditatio. Lectio demit errorem vitæ, ſubtrahit hominem à vanitate mundi. Per lectionem ſenſus & intellectus creſcunt. Lectio enim docet, quid facias ; diſcernit quid caveas ; oſtendit quò tendas : multùm proficis cùm legis : tamen ſi facis ea quæ legis. Soror venerabilis, adaperiat Deus cor tuum in lege ſuâ, & in præceptis ſuis.*

[45] Lib. de ſcalis Paradiſi (qui Bernardo tribuitur, & Tomo 9. Operum Auguſtini habetur) cap. 11. *Lectio ſine meditatione arida eſt ; meditatio ſine lectione erronea eſt : oratio ſine meditatione tepida eſt.* Cap. 2. *Lectio quaſi ſolidum cibum ori apponit, &c.*

1150. Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum.

Sentent. lib. 4. Diſtinct. 24 (ſecutus Iſidorum lib. 2. de Officiis cap. 11. & Hugonem Victorinum de Sacramentis lib. 2. part. 3. cap. 7.) de Lectoris officio verba faciens. *Qui ad hunc gradum provehitur, literarum ſcientiâ debet eſſe inſtructus ; ut ſenſum verborum intelligat, vim accentuum ſciat, diſtinctè legat ; ne confuſione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat, quid indicativè, quid interrogativè ſit legendum ; ubi ſit in oratione facienda diſtinctio. Hæc enim malè ſervata intellectum turbant, & alios ad riſum provocant. Auribus & cordi conſulere debet vox lectoris.*

1160. Petrus Bleſenſis.

In Job. cap. 2. *Unus eſt Rex, & illius vera eſt lex ;* [f] *lex immaculata, convertens animas, & ſapientiam præſtans parvulis. Ipſa parvulis & magnis & mediocribus ſe conformat ; condeſcendit neceſſitatibus pauperum, anxietatibus oppreſſorum, turbationibus triſtium, culpis delinquentium. Suaviſſima eſt perfectis, compatiens imperfectis, mediocribus mitis, tolerabilis*

[f] Pſal. XVIII.

45 Guigoni Carthuſiano, qui anno 1137. obiit, deberi docet Labbæus.

bilis delicatis, fortioribus ſufficiens, moderata infirmis, humilibus blanda, pœnitentibus miſericors, ſevera perverſis, bonis optima. Lex iſta inſtruit & informat ad vitam.

1160. Rothrodus Rothomagenſis Archiepiſcopus.

In Epiſtolâ ad Henricum II. Anglorum Regem: quâ ſuadet Henricum filium, regni hæredem, literis eſſe inſtituendum [Eſt autem inter Petri Bleſenſis Epiſtolas à Joanne Buſæo editas num. 47.] *Rex, cui omne judicium in populo datum eſt, quomodo judicabit populum in lege Domini, ſi legem Domini non cognovit? De Rege ſcriptum eſt in hunc modum* [g]. Poſtquam ſederit Rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis in volumine. *In quo manifeſtiſſimè liquet, quòd de Rege ſcientia literarum exigitur; ut ſit* [h] in lege Domini voluntas ejus, & meditetur in eâ die ac nocte.

1170. Hadrianus IV. Papa.

Pontifex iſte, cùm natione Anglus fuerit, Orationem Dominicam rythmis Anglicis expreſſam Româ mittendam curavit; ut populus eam edoceretur. [Habes eam apud M. N. *in Remainder of a greater Work*, pag. 17. maximè verò in Joannis Stowi Chronico Anglico, in Henrico II.]

1170. Petrus Waldus, cum Pauperibus de Lugduno.

Suaſit omnibus Petrus, ut Biblia legerent, atque ex ipſo fonte libentiùs haurirent aquam ſalutarem, quàm ex hominum impuris lacunis. Soli enim Bibliæ Scripturæ tot divinis teſtimoniis ornatæ atque confirmatæ conſcientias tutò inniti poſſe. Et ut cuivis eſſet poteſtas cognoſcendi fundamenta ſalutis noſtræ; Biblicos libros in vernaculam Galliæ linguam transfundit, ac poteſtatem deſcribendi cuilibet præbet. Multi igitur magno ſtudio ſacros libros evolvunt, & ſcrutantur rerum ampliſſimarum fundamenta. Eratque horum communis ſententia: Sacrarum Scripturarum lectionem & cognitionem omnibus hominibus, tum laicis tum ſacratis viris, liberam & neceſſariam eſſe; immò potiùs Prophetarum & Apoſtolorum monumenta legenda eſſe, quàm hominum commenta. Ita ex antiquo Manuſcripto libro

[g] Deut. XVII. 18. [h] Pſal. I.

referunt Magdeburgenſes Hiſtorici [i]. Unde in libro [k] à Pontificio quodam Doctore Germano ante annos 300. de Waldenſium doctrinâ & moribus exarato ita legimus. *Secta Pauperum de Lugduno orta eſt hoc modo. Cùm cives majores eſſent in Lugduno pariter; contigit quendam mori ex eis ſubitò coram eis. Unde quidam de majoribus inter eos tantùm fuit territus, quòd ſtatim magnum theſaurum pauperibus erogavit: & ex hoc maxima multitudo pauperum confluxit ad eum; quos habere voluntariam paupertatem inſtituit, & eſſe imitatores Chriſti & Apoſtolorum. Cùm enim eſſet aliquantulùm literatus, Novi Teſtamenti textum docuit eos vulgariter. Pro quâ temeritate cùm fuit ab Epiſcopo reprehenſus;* (erat tunc Joannes Bellomais Archiepiſcopus Lugdunenſis, ut ex Reynerio intelligitur) *contempſit, & incœpit inſtare doctrinæ ſuæ, dicens diſcipulis ſuis: Quòd clerus pro eo quòd malæ vitæ eſſet, invideret ſanctæ vitæ ipſorum & perfectæ doctrinæ. Cùm autem propter hoc ſententiam excommunicationis tuliſſet in eos, pertinaciter contempſerunt; & ſic uſque hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipſorum.* Similiter Jo. Trithemius in Monaſterii Hirſaugienſis Chronico [l], de eodem cive Lugdunenſi (P. Waldo) refert; quòd *tranſlatis ex Latino quibuſdam S. Scripturæ libris in Sermonem Gallicanum, officium ſibimet Apoſtolorum aſſumpſit; & tam per ſe quàm per ſuos in errore complices, Scripturas malè intellectas ubique prædicavit. Rectores & Prælatos Eccleſiarum unà cum eorum conſtitutionibus contemnebant, Ordines ſacros nihili pendentes: qui dum ut reſipiſcerent, admonerentur, reſpondere ſolebant, Deo plùs obediendum eſſe quàm hominibus.* Nota hìc ex teſtimonio Pontificii Doctoris (veteris ſc. Scriptoris Germanici) & Trithemii, ipſum Petrum Waldum ſacras literas in vulgarem Gallicam linguam tranſtuliſſe. *Fuit enim homo doctus* (inquit Illyricus [m]) *ut ex vetuſtis membranis cognoſco: & non curavit ſibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur:* quales ſunt Jo. Laziardus, & Raph. Volaterranus [n] de Valdone ita ſcribens: *Is enim idiota, ſacrorum voluminum deguſtationem ex aliis deprehenderat.* De eodem Wernerus in Faſciculo Temporum [o], (& poſt eum Nuſſienſis Monachus in Magno Chronico Belgico, à Piſtorio edito [p]) *Scribi fecit aliquos libros Bibliorum in vulgari, cum nonnullis Sanctorum auctoritatibus: quas minùs ſanè intelligens, ſuo inflatus ſenſu, Apoſtolorum officium uſurpavit, prædicando ubique, & ſuos ad prædicandum mittendo, &c.* Similiter Bernardus Lutzemburgh [q], (& poſt eum Gabriel Prateolus)

[i] Centur. 12. cap. 8. [k] Inter rerum Bohemic. Scriptores à Frehero editos, p. 222. [l] Ad An. 1160. [m] Catal. Teſtium Verit. [n] Anthropolog. lib. 20. [o] Ætat. 6. [p] Pag. 199. [q] Catal. Hæretic. in hær. Paup. de Lugduno.

Utique

Utique cùm idiota eſſet, quoſdam vulgares libros cum quibuſdam ſanctorum dictis ſibi conſcribi fecit; quos non ſanè intelligens, ſuo inflatus Spiritu, prædicando Apoſtolorum officium ſibi uſurpavit, &c. Haud diſſimilia refert Robertus Gaguinus [r] Ordinis S. Trinitatis generalis Miniſter. *Hic cum literarum ignarus eſſet* (inquit) *obtinuit ab eruditis libellos aliquot Gallos ſibi conſcribi; ubi nonnullæ doctorum ſententiæ inſertæ eſſent. Quod poſtquam adeptus eſt, eaſque ſuo ſenſu homo idiota interpretatus eſt, docendi officium apud ſui ſimiles uſurpans: multis ſe atque diſcipulos erroribus implicavit.* Pari modo Thuanus [s]: *Prophetarum atque Apoſtolorum ſcripta populari linguà vertenda curaverat; antiquorum etiam Patrum aliquot teſtimoniis adjunctis: quibus in animum defixis, ingenio ſuo & ſenſu fretus, prædicationis munus ſibi ſumpſerat; perque plateas ac vicos Evangelium plebi interpretabatur.* Nec abludit Jo. Maſſonus [t]: *Abjectiſſimam paupertatem eſt profeſſus; ac totum ſe Evangelicæ lectioni devovit. Et quia literarum ignarus erat, Prophetarum Apoſtolorumque ſcripta Gallicè vertenda curavit, populoque nova avidè appetenti in vicis & plateis perversè interpretabatur, & ſic plurimorum animos ſubvertit.* Addam denique Andreæ Favini [u] verba: Un Lyonnois nommè Valdon, tres-riche & opulent en biens [lequel] attirant chez luy un tas de gens ramaſſéz, ſouffreteux & miſerables, les nouriſſoit de ſes biens, leur expliquant la Bible en langue vulgaire ſelon ſa ſantaſie. *Lugdunenſis quidam, cui Waldus nomen erat, vir prædives & opulentus valdè, collecto ſibi cœtu hominum infimæ ſortis, paupertate & miſerià obrutorum, illos proprio ſumptu ſuſtentavit, & S. Scripturam linguà vernaculà pro arbitrio illis explicavit.* Vide paria narrantes Nauclerum generat. 39. Philippum Bergomatem ſupplem. Chronic lib. 12. An. 1158. Severtium de Archiepiſc. Lugdunenſ. & Gretſerum defenſ. Bellarm. de Scriptur. Vernac.

1179. Chriſtiani Arabes.

Arabicè ſacra celebrant, etiam qui Conſtantinopolitano Patriarchæ parent: à quibus exemplar Evangeliorum Arabicorum anno mundi 6687. deſcriptum penès ſe habere teſtatur Joſephus Scaliger. [x] De Syriaco Teſtamento circa hoc tempus exſcripto vide Guidonem Fabricium præfat. in Teſtam. Syriacum, in Bibl. Reg. Anno ſc. 1189.

[r] De geſtis Francor. lib. 6. Pariſ. 1514. [s] Hiſtor. lib. 5. ad an. 1550. [t] Præfat. in Opus Alani contra Valdenſes. [u] Hiſtor. Navarr. p. 289. [x] De Emendat. Temp. p. 474. Edit. Ann. 1598.

1180. Stephanus Eduenſis Epiſcopus. [46]

De Sacramento Altaris, cap. 2. *Lectores debent Scripturas Canonicas legere, & quæ legerint diſtinctè pronunciare, pronuntiata pie & fideliter intelligere. Qui enim diſtinctè legunt & pronuntiant, Auditoribus intelligentiam parant: qui verò confusè, ſenſus eorum perturbant.*

1183. Andronicus Comnenus, Orientis Imperator.

[47] *Pauli Epiſtolas ſupra modum amavit, & melle inde promanante ſubinde eſt refectus; & literas ſuas elegantiſſimas inde ad perſuadendum efficacius inſtruxit.* Nicetas Choniates de Imperio Andronici Comneni lib. 2. circa finem.

1190. Joannes Beleth, Pariſienſis Theologus.

In principio lib. de divinis Officiis. [84] *In primitivâ Eccleſiâ prohibitum erat, ne quis loqueretur, niſi eſſet qui interpretaretur. Quid enim, obſecro, prodeſſet loqui, ſi non intelligeretur? Certè nihil. Hinc illa laudabilis inolevit conſuetudo* [y] *in quibuſdam Eccleſiæ partibus; ut pronunciato ſecundùm literam Evangelio, ſtatim vulgari illud populo exponeretur. Quid verò de noſtris temporibus dicemus, ſi vix (ac ne vix quidem) inveniatur quis, qui quæ legerit aut audierit intelligat; quiſque ſatis animadvertat quæ viderit aut egerit? Unde profectò illud verè dicere poſſumus, quod olim Propheta conqueſtus eſt:* Perit ſacerdos, quaſi è populo unus.

1194. Theodorus Balſamon, Antiochenus Patriarcha.

Ad Interrogat. 5. Marci Patriarchæ Alexandrini [An Orthodoxi Syri, & ex Armeniis, necnon ex aliis regionibus aliqui fideles propriâ linguâ extra periculum ſacra celebrent; an verò cogantur prorſus cum Græcâ Scripturâ ſacerdotio fungi?] ſic reſpondit. *Magnus Apoſtolus*

y Vid. an. 880.

46 Rectiùs forſan Anno 1120. ponendus.

47 Ἐκλείπων δ' οὖν τὴν ψυχὴν εἰς τὰς Παύλου ἐπιστολὰς, καὶ συνεχῶς ἐκ τούτων ἀποστάζοντος ἐνεφορεῖτο μέλιτος, &c.

48 Vulgatis Belethi exemplaribus uſus eſt Uſſerius. Mirum, quantùm ab iis diſcrepent Codices Manuſcripti. Locum itaque ex Codice MS. Bibliothecæ Lambethanæ repræſentabo. *In Primitivâ Eccleſiâ prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, niſi eſſet qui interpretaretur. Quid enim prodeſſet loqui, niſi intelligeretur? Inde etiam inolevit mos vel uſus laudabilis in Eccleſiâ in quibuſdam partibus; ut pronuntiato literaliter Evangelio, ſtatim in vulgari populo exponeretur. Quid in temporibus noſtris eſt agendum; ubi nullus vel rarus invenitur legens vel audiens, qui intelligat; videns vel agens vel audiens, qui animadvertat? Jam videtur eſſe completum, quod à Prophetâ dicitur:* Et erit ſacerdos, quaſi unus ex populo. *Videtur ergo potius eſſe tacendum quam pſallendum, potius eſſe ſilendum quam tripudiandum;* [addunt impreſſi Codices] *ſi in hanc temporum infelicitatem incidimus.*

Paulus

Paulus ad Romanos ſcribens, inquit, An Judæorum tantùm Deus? num & Gentium? certè & Gentium. 48 *Qui igitur rectè in omnibus de fide ſentiunt, etſi ſint Græcæ linguæ omnino expertes, propriâ dialecto ſacra conficient, exemplaria conſuetarum ſacrarum precum habentes non evariantia, utpote* 49 *deſumpta ex contaciis Græcanicis literis eleganter deſcriptis.* Balſamonis Reſponſum confer cum Lateranenſis Concilii Conſtitutione circa idem tempus factâ. Vide & Gretſerum Defenſ. Bellarm. col. 881.

1199. Metenſes, & Innocentius III.

[z] Piis illis, qui P. Waldo adhæſerunt, Pontificiorum violentiâ Lugduno expulſis, & in varias Galliarum partes ſecedere coactis: duo qui in Monte Peſſulano conſederant, inde etiam ejecti, ad civitatem Metenſem pervenerunt. Ubi adjuncto ſibi viro quodam literato, cùm Bertramo Epiſcopo, in feſtivitate quadam populo in Eccleſiâ prædicanti, publicè reſtitiſſent, multitudini populi circa ſe congregatæ doctrinam ſuam propoſuerunt. Indeque factum eſt, ut tam in urbe Metenſi, quàm in diœceſi, laicorum & mulierum multitudo non modica tracta quodammodo deſiderio Scripturarum, Evangelia, Epiſtolas Pauli, Pſalterium, moralia Job, & plures alios libros ſibi fecerit in Gallicum ſermonem converti: tranſlationi hujuſmodi adeò libenter intendens; ut *ſecretis conventionibus talia inter ſe laici & mulieres eructare præſumant*, (ſunt enim iſta verba querelæ [a] Metenſis Epiſcopi ad Papam Innocentium) & *ſibi invicem prædicare.* Eorum inſuper aſpernabantur conſortium, qui ſe talibus non immiſcerent; & à ſe reputabant alienos, qui aures & animos talibus non apponerent. Et cùm eos aliqui parochialium ſacerdotum ſuper his corripere voluiſſent; ipſi eis in faciem reſtiterunt; conantes rationes inducere de Scripturis, quòd non ab his deberent penitus inhiberi. Res iſta ubi ex Bertrami literis ad Innocentium III. eſſet perlata: reſcripſit ille ad univerſos tam in urbe Meten. quàm in ejus Diœceſi conſtitutos, judicium ſuum hàc de re ita proponens: *Licèt deſi-*

[z] Ex Cæſario Heiſterbachen. lib. 5. cap. 20. [a] Ex Regiſtro Innocentii III. unde deſumpta eſt additio illa ad librum 5. Decretalium tit. 7. cap. 12. in Corpore Juris Canonici, Gregorii XIII. juſſu edito Pariſ. 1587. f. pag. 686.

48 Οἱ γοῦν ὀρθοδοξοῦντες ἐν πᾶσιν, κἂν ὦσι τῆς ἑλληνίδος φωνῆς πάντως ἀμέτοχοι, μετὰ τῆς ἰδίας διαλέκτου ἱερουργήσουσιν, ἀντίγραφα ἔχοντες τῶν συνήθων ἁγίων εὐχῶν ἀπαράλλακτα, ὡς μεταγραφέντα ἐκ κοντακίων καλλιγραφηθέντων διὰ γραμμάτων ἑλληνικῶν.

49 Rectius, *translata. Contacium eſt* ſ. *opus ſeu volumen chartarum.* Τόμος γὰρ τὸ κοντάκιον. Marcus Epheſ. expoſit. Eccleſ. ἀκολουθίας. c. 17. p. 390.

derium

derium intelligendi divinas Scripturas, & ſecundùm eas ſtudium adhortandi, reprehendendum non ſit, ſed potiùs commendandum: in eo tamen apparent quidam Laici meritò arguendi, quòd occulta conventicula celebrant, officium prædicationis Chriſti ſibi uſurpant, ſacerdotum ſimplicitatem eludunt, & eorum conſortium aſpernantur qui talibus non inhærent. Hæc ille, quemadmodum in libro 5. Decretalium tit. 7. de Hæreticis, cap. 12. videre licet. Ubi illud animadvertatur, *deſiderium intelligendi divinas Scripturas, & ſecundùm eas ſtudium adhortandi,* ex Innocentii ſententiâ reprehendendum non fuiſſe, ſed potiùs commendandum. Unde etiam Innocentius à Jo. Franciſco Pico Mirandulano [b] in eorum numero ponitur, qui aſſiduè monent *huic divinorum ſtudio incumbendum omnibus, cujuſcunque gradùs & ordinis extiterint.* At verò cùm conſideraret illud, vix tutum fore, ut doctrina Pontificia à Laicis ad Sacræ Scripturæ canonem examinaretur; tacitè eoſdem ab illâ inquiſitione conatur avertere; cùm in iiſdem literis [c] commemorat *rectè fuiſſe olim in lege Divinâ ſtatutum, ut beſtia, quæ montem tetigerit, lapidetur; ne videlicet ſimplex aliquis & indoctus præſumat ad ſubtilitatem ſacræ Scripturæ pertingere.* Quod terriculamentum ſi ad Laicos à Scripturæ ſacræ meditatione arcendos valeat; valebit etiam ad Sacerdotes ab eodem ſtudio deterrendos. Quicquid enim tetigerit montem, ſive jumentum ſive homo fuerit, lapidibus erat obruendum, aut jaculis conficiendum: denuntiatumque [d] eſt interdictum, ne aut ſacrorum adminiſtri aut populus perrumperent terminum aſcendendo ad Jehovam in montem. Sed quid hiſce literis apud Metenſes effecerit Innocentius, audiamus. Nonnulli mandatis Papalibus obedire prorſus recuſabant: quibuſdam eorum clanculò, quibuſdam verò publicè dicentibus obediendum eſſe ſoli Deo: & prædictæ tranſlationi uſque adeò inſiſtebant; ut ſe nec Epiſcopo, nec Metropolitano ſuo, nec Papæ ipſi aſſererent parituros, ſi eam decreviſſent abolendam. Hæc omnia ubi per literas ſuas Innocentio ſignificâſſet Bertramus; irritatus ille, ad Abbatem Ciſtercienſem & collegas ejus ſcribit [e]; ut ad civitatem Metenſem pariter accedentes, cum Metenſi Epiſcopo *convocarent coram ſe talia ſapientes, & adhærentes tranſlationi prædictæ; & (ſi fieri poterit) quæ in eis reprehenſibilia fuerint, authoritate freti Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo corrigerent. Cùm enim in hoc* (inquit)

[b] De ſtudio divin. & human. philoſophiæ, l. 2. c. 1. [c] Pag. 686. edit. Pariſ. ut ſupra. [d] Exod. XIX. 13, 24 [e] Ex Innocentii III. literis citatis à Jacobo Ledeſmâ in lib. de divinis Scripturis quâvis linguâ non legendis, cap. 15. & Turriano contra Magdeburg. lib. 1. pro Canon Apoſt. cap. 24. Habentur hæ literæ ad calcem Directorii Inquiſitorum edit. Romæ 1585. ex Regiſtro Innocentii lib. 2. fol. 409.

quit) *univerſalis Eccleſiæ vertatur negotium*, *& agatur cauſa fidei Chriſtianæ; ad exequendum Apoſtolicæ ſedis mandatum, cum ſummâ diligentiâ & cautelâ, vos ſtudioſos & promptos eſſe volumus & mandamus.* Hactenus Innocentius: qui tamen pios illos viros omni ſuo conatu opprimere non valuit. Cùm enim in Cæſarii Heiſterbachenſis Dialogis [f] legimus Hæreſes Waldoſianas (ita enim de Chriſti doctrinâ ſenſit Antichriſtianus Monachus) ſuo tempore nondum fuiſſe in civitate Metenſi prorſus extinctas; apparet eos temporibus Honorii, qui Innocentio in Papatu ſucceſſit, adhuc remanſiſſe. Illis enim temporibus [g] ſcripſiſſe Cæſarium, ex proximè ſequentis Capitis initio intelligimus. Extant in Regeſto Innocentii III. lib. 2. tres de hâc materiâ ſcriptæ Epiſtolæ. I. ad Metenſes; cujus initium: *Cùm ex injuncto* (pag. 468, 469. edit. Colon. Anno 1606. item pag. 799, 800. ibid. ponuntur fragmenta ejuſdem Epiſtolæ, ut extant in 5. libro Decretalium Collectionis Gregorianæ: integra verò Epiſtola extat in 3ª. antiquâ Collectione Decretal. edit. Pariſ. Anno 1609. pag. 404, 405.) II. Ad Epiſcopum Metenſem, eodem tempore ſcripta (ſc. IV. Idus Julii, Pontificatus Anno 2.) cujus initium: *Sicut Eccleſiarum* (pag. 471. edit. Colon.) III. Ad Ciſtercienſium Morimundenſium & de Chriſtâ Abbat. ſcripta eodem anno, V. Id. Decembr. cujus initium: *Ea eſt in fovendis.* (pag 537, 538. edit. Colon.) & in Bullario Fr. Pegnæ, p. 2, 3.) De rei eventu ita ſcribit, qui in Magno Chronico Belgico [h], à Jo. Piſtorio edito, citatur, Albericus Monachus Trium Fontium (in Chronico, quod ad Annum 1240. perduxit, ut eſt ibid [i] *Anno* 1200. ineunte ſc. *in urbem Metenſem* (*pullulante ſectâ, quæ dicitur Waldenſium*) *directi ſunt ad prædicandum nonnulli Abbates; qui quoſdam libros de Latino in Romanum* (i. e. Gallicum, vid. Claud. Fauchet. [k] de orig. lingu. Francic. cap. 4.) *verſos combuſſerunt*, *& prædictam ſectam extirpaverunt.* Hoc tempore etiam (anno ſc. 1200.) apud Merindolienſes propagatum eſt à Waldenſibus Evangelium; ubi ad noſtra uſque tempora conſervatum eſt.

1229. Concilium Toloſanum.

Hoc Concilium contra Waldenſes hoc anno (ut docet Fr. Pegna Præf. in form. procedendi contra Hæreticos, & in Director. Inquiſit. p. 621.) habitum cap. 13. penitus interdicit, *ne laici libros ſacros habeant in vul-*

[f] Lib. 5. cap. 20. [g] Anno 1222. ut patet ex lib. 10. cap 48. [h] P. p. 159. [i] P. 223, 32. [k] Apud Verderium in Biblioth. p. 119, 120.

gari

gari tranſlatos (eodem Pegnâ referente, in Litter. Apoſtolic. pro Offic. Inquiſit. not. marginal. in Bullam 3. Innoc. III. quem etiam pag. 187. a. conſule de authoritate hujus Concilii) Vid. & Gulielmi Cateli Gallicam Hiſtoriam Comitum Toloſan. lib. 2. pag. 342. & Perini Hiſtor. Albigenſ. lib. 2. cap. 7. pag. 124. edit. Anglican.

1229. Ludovicus IX. Francorum Rex, cui *Sancti* nomen tributum eſt.

Sacrorum Bibliorum lectione mirè delectabatur: ut de eo ſcribit Paulus Æmylius lib. 7. de rebus geſtis Francorum.

1230. Gulielmus Alvernus, Pariſienſis Epiſcopus.

De Sacramento Ordinis cap. 3. de Lectoribus agens. *Duo* (inquit) *dederunt cauſam huic Ordini; viz. ſanctitas ipſa verborum, & ædificatio populi ſeu eruditio. Cùm enim populo non ſit ædificatio ſeu eruditio ſalutaris, niſi per verba vitæ; hæc autem recitare ſive annuntiare propter eorum venerandam ſanctitatem non decet niſi ſanctos (ſicut legitur in Pſalmis:* Peccatori autem dixit Deus, quare, &c.) *coegit ipſa religioſitas Eccleſiæ, ut ſanctificaretur ad hoc miniſter.*

1250. Conradus IV. Imp. & Rudolphus ab Emſ.

[1] Vetus Inſtrumentum rogatu & juſſu Conradi regis, filii Frederici II. Cæſaris Auguſti, verſibus Germanicis redditum eſt à Rodolpho quodam oriundo ex familiâ, quæ nomen habet ab eminente arce in Rhetiâ, quam vulgus nominat Hohen Emſ. quod ſe legiſſe teſtatur Theod. Bibliander de ratione communi omnium linguarum pag. 49. & Melch. Haiminsfeldius Goldaſtus tomo 1. rerum Alamannicarum Scriptorum pag. 393. Ibidem pag. 198. elegantiſſimam hanc Veteris Teſtamenti paraphraſin in Bibliothecâ Schobingerorum S. Galli haberi notat. Eſt enim ea Paraphraſis Poetica Anonymi, quam ſe habere ſcribit Bartholomæus Schobingerus in Additionibus ad Vadiani farraginem Antiquitat. Alaman. tom. 3. p. 145. ubi notat Goldaſtum habere Chriſtophori ab Helmſdorff Compendium Bibliorum Germanicâ linguâ ante annos 300. ſcriptum: qui idem eſt ille Chunrat von Helmſdorff, cujus

[1] Vid. Illyrici præfat. in Otfridi librum Evangeliorum.

collatio

collatio Novi Teſtamenti cum veteri Hiſtoriâ ab ipſo Goldaſto parte 1. Script. Paranetic. pag. 370. citatur.

1252. Waldenſes.

De his Raynerius, qui hoc tempore Pontificiæ fidei Inquiſitor extitit, in Catalogo errorum Waldenſium (*Pariſ.* Anno 1548. à Claudio Couſſardo edito, ex libro membranaceo ante 296. annos per fratrem Reynerium conſcripto) ita ſcribit: *Dociles inter alios complices & facundos docent verba Evangelii, dictaque Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum in vulgari linguâ corde formare; ut ſciant & alios informare, & fideles allicere, ac demum ſuam ſectam pulchris Sanctorum verbis polire; quò ſalubria putentur, quæ perſuadent.* Atque hinc eſt, quòd alius ejuſdem farinæ Doctor (ſi modò alius, nam Illyricus eundem eſſe putat, perperam tamen) de Waldenſium Doctrinâ & moribus circa hæc tempora ſcribens; [m] tertiam cauſam illius *hæreſis* (ut appellat) aſſignat hanc: quòd *Novum Teſtamentum & Vetus vulgariter tranſtulerunt, & ſic docent & diſcunt.* Et addit ſe vidiſſe & audiviſſe ruſticum idiotam; qui Job recitavit de verbo ad verbum; & plures alios, qui Novum Teſtamentum totum ſciverunt perfectè. Idem etiam Author inter Waldenſium dogmata recenſet: *Quòd oratio Latina laicis non proſit: quòd Sacra Scriptura eundem effectum habeat in vulgari, quem habet in Latino; unde conficiunt in vulgari, & dant Sacramenta. Textum verò Novi & Veteris Teſtamenti magnam partem vulgariter ſciunt memoriter.* Hæc ille de *ſectâ* (ut vocat) *Leoniſtarum* ſive Lugdunenſium; quam *ita generalem* eſſe aſſerit; ut *nulla ferè eſſet terra, in quâ ea non ſerpat.* Superfuerunt autem iſti in Galliis etiam ad noſtra uſque tempora; curâruntque Biblia ſuâ dialecto eleganter imprimi. Horum enim ſumptibus Neocomi anno 1535. prodierunt in magno fol. & magnis characteribus excuſa Biblia Gallica ex Hebraicis & Græcis archetypis per Petrum Robertum Olivetanum tranſlata. [Geſnerus in Partitionibus Theologicis, fol. 15. Beza in Iconibus, Genebrardus Chron. lib. 4. An. 1535.]

Alexander IV. cùm videret quantum periculum Romanæ Eccleſiæ immineret, quamdiu laicis eſſet integrum in ejus fidem inquirere; ut huic malo tempeſtivè occurreretur, decretum hujuſmodi edidit; quod in 6. Decretalium lib. 5. tit. 2. de Hæreticis, cap. 2. videre licet. *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè vel privatim de*

[m] Inter Scriptores rerum Bohemic. à Marq. Frehero edit. pag. 222.

ſide Catholicâ diſputare. Qui verò contra ſecerit, excommunicationis laqueo innodetur. At quænam iſta eſt tyrannis, prohibere homines ne de fide inquirant; quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiam ad laicos & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos? ut ipſe Nicolaus Pontifex [n] ad Michaelem Imp. quondam ſcripſit. Sed prævaluit conatus Antichriſti. Vid. an. 1170. ad fin. & Criſpinum in Actis Martyrum, fol. 83, 104, 112. *Laicus* (inquit Martinus ab Aſpilcueta Navarrus in Enchrid. de X. præceptis, cap. 11.) *diſputans de ſide, peccat mortaliter.*

1280. Alfonſus Rex Caſtellæ

Sacros Bibliorum libros in maternam linguam vertendos curavit. Ex eo tempore in regiis diplomatibus ac publicis tabulis Latina lingua, cujus antea uſus erat, deſiit uſurpari. Unde pudenda literarum ignoratio in noſtram gentem, atque utrumque ordinem invaſit [inquit Jo. Mariana Jeſuita de rebus Hiſpan. lib. 13. cap. 7.

1280. Jacobus de Voragine, Genuenſis Archiepiſcopus,

Utriuſque Teſtamenti divina volumina primus omnium in Italicam linguam ſummâ ſide ac diligentiâ tranſtulit; ut habet Sixtus Senenſis [o]. Sed monet hîc Poſſevinus [p] Jeſuita, *ſanè & cautè* in his tranſlationibus *incedendum* eſſe; quandoquidem *validiſſimæ rationes ſint, quæ Eccleſiam moverint, cur non paſſim ſive hæ ſive aliæ editiones vulgares tractentur ab omnibus.* Ubi vides, ſapientiorem evaſiſſe nunc Romanam Eccleſiam, quàm ante annos 300. fuerat. In Catalogo librorum prohibitorum Romæ Anno 1559. ex decreto Romanæ Inquiſitionis edito, primùm in Italiâ vetitum eſſe, ne verſio divinarum in Linguam Vernaculam literarum eſſet in uſu, obſervat in Annotationibus ad illum Catalogum Vergerius.

[n] Tom. 3. Concil. p. 915. ed. Venet. & apud Gratianum Diſt. 96. cap. 4. Ubinam. [o] Biblioth. Sanct. lib. 4. [p] Biblioth. Select. lib. 2. cap. 12.

1290. Nicolaus Cabaſilas. 50

In Expoſitione Liturgiæ, cap. 1. [51] *Sacrarum Scripturarum lectiones Dei benignitatem & humanitatem annuntiant; & rurſus juſtitiam & judicium & ejus metum in animas noſtras immittunt, & dilectionem in eum accendunt, & ita ad ejus mandata ſervanda multam promptitudinem & animi alacritatem afferunt.*

1290. Anglicanus Interpres.

Longè ante Wiclevi tranſlationem (100 annis, ut conjicit Thomas Jameſius) prodiit univerſorum Bibliorum Anglicana Tranſlatio: cujus tria in Oxonienſis Academiæ Bibliothecis MSS. extant exemplaria; unum in Bodleianâ (publicâ) alterum in Ædis Chriſti, tertium in Reginalis Collegii Bibliothecâ. [T. Jameſius lib. vernaculo de Corruptione Patrum part. 2. loc. 24.]

1300. Nicolaus Lyranus

In 1 Corinth. XIV. *Si populus intelligat orationem ſeu benedictionem ſacerdotis; meliùs reducitur in Deum, & devotiùs reſpondet Amen. Ideo dicit* [Paulus] Si benedixeris, [*tu Sacerdos vel Epiſcope*] Spiritu: *i. e. abſque hoc quòd populus intelligat; quid proficit populus ſimplex & non intelligens? quaſi dicat; nihil aut modicum; quia neſcit ſe conformare tibi, qui es miniſter Eccleſiæ, reſpondendo Amen. Propter quod in Primitivâ Eccleſiâ benedictiones & cætera communia* [p] *fiebant in vulgari.* Ibid. *Latinas horas Canonicas non intellectas alteri recenſens, Barbarus erit.*

1301. Armeni.

Acta Apoſtolorum ſcripta Anno 1301. *Et Epiſtolæ Catholicæ* in linguâ Armenicâ MSS. habentur in Bibliothecâ Cardinalis Aſcanii Columnæ [In Catalogis MSS. ad calcem Apparatûs Poſſevin. p. 133.]

[p] Fort. *omnia.*

50 Veriùs, anno 1350.

51 Αἱ μὲν τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀναγνώσεις τὴν τοῦ Θεοῦ καταγγέλλουσαι χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν, καὶ αὖθις τὸ δίκαιον καὶ τὴν κρίσιν, τόν τ' αὐτοῦ φόβον εἰς τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐνιᾶσι, καὶ τὴν περὶ αὐτὸν ἀγάπην ἀνάπτουσι, &c.

1330. Ludolphus Carthuſianus

In Pſalm. 64. *Sacra Scriptura eſt cibus noſter, ac panis vitæ & intellectûs; quo quotidie reficimur, ne deficiamus in hujus peregrinationis deſerto. Unde ſcriptum eſt*: [q] Non in ſolo pane vivit homo; ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.

1340. Brigitta Suecica

Sacra Biblia, quæ Gothico idiomate ſibi ſcribenda curârat, legebat: ut eſt in Vitâ ejus (apud Surium tom. 4. Julii XXIII.)

1358. Richardus Armachanus Archiepiſcopus

Novum Chriſti Teſtamentum in Hybernico Sermone (à ſe fortaſſis tranſlatum) anno uno aut altero ante ſuam mortem, in quodam Eccleſiæ ſuæ muro occultavit: in cujus fine, quaſi prophetizans, hæc ſcripſit : Cùm hic liber inventus fuerit; veritas toti mundo manifeſtabitur, vel Chriſtus orbi mox apparebit. *Et repertus eſt iſte liber circa annum à nato Servatore* 1530. *in reparatione ejuſdem Eccleſiæ.* (Jo. Balæus, Oſſorienſis quondam in Hiberniâ Epiſcopus, in Scriptorum Britan. Centur. 14. pag. 246.) Joannes etiam Foxus [r] Richardum noſtrum cenſet Authorem Tranſlationis Bibliorum in linguam Hibernicam; quorum vetuſta exemplaria à ſe conſpecta eſſe Angli quidam probatæ fidei homines eidem confirmarunt. Hujuſmodi Bibliorum fragmenta in Hiberniâ paſſim extant. Sed nec illud omittendum eſt, quod Armachanus in Defenſorio Curatorum Fratribus objicit; tantam per eos librorum penuriam eſſe factam; ut cùm ex Hiberniâ quatuor ex Presbyteris ſuis Oxonium ipſe miſiſſet; reſcripſerunt ſe neque Biblia, neque alium ullum Theologicum librum ſtudiis ſuis accommodum invenire potuiſſe. Quod etiam poſtea Galfridus Chaucer iis objecit, his verbis [ſ]: **Freer, what charitye is this, to gather up the books of holy write, and put them in treaſorye, and ſo empriſon them from Secular Preeſtes and Curatts, and by this councell lett them to preach the Goſpell freely to the People?** *Quænam verò, Fratercule, charitas iſthæc eſt, Sacræ Scripturæ libros undique colligere, eoſque clanculum recondere, atque*

[q] Matth. IV. [r] Act. & Monument. pag. 381. Londini 1596. [ſ] In Jack. Upland, ap. Fox, p. 240.

ita

ita à Secularibus Sacerdotibus & Curatis incarceratos ſubtrahere, & ejuſmodi artificio illos impedire, quò minùs Evangelium populo liberè prædicent ?

1360. Joannes Cantacuzenus, Conſtantinopolitanus Imp.

Apologiâ 4. *Nos omnes indigemus Scripturarum auxilio propter infirmitatem noſtram.*

1360. Anglus quidam doctus.

Præfationem docti in primis viri in ſacrum Vetuſque Teſtamentum, Anglicè antè annos trecentos conſcriptum citat Jo. Caius lib. 1. de Antiqu. Cantab. Academ. pag. 150. ubi Aluredum tradit Author tranſtuliſſe Pſalmos, & Bedam univerſam ferè Bibliam in linguam Britannicam convertiſſe.

1360. Johannes Treviſa,

Ad petitionem Domini ſui Thomæ de Barkeley, *in Anglicanum idioma tranſtulit totum Bibliorum opus*, utrumque ſc. Teſtamentum; præfatione præfixâ, cujus initium : *Ego Johannes Treviſa ſacerdos*, &c. ut habet Balæus Centur. 7. cap. 18. ubi etiam notat eum Polychronicon continuâſſe ab anno à Chriſti Incarnatione 1342. uſque ad annum ejuſdem 1397. *in quo* (inquit) *ipſemet Treviſa claruit ſub Richardo II. Anglorum Rege.* Verùm ipſe in fine Tranſlationis Polychronici, tempus, quo ſcripſit, his verbis proponit: *Verſio iſta finita eſt die Jovis* (lege potiùs die Martis) *die* 18. *Aprilis, Anno Domini* 1357. *Anno autem* 35. *ætatis Patroni mei Thomæ Domini de Barkeley, qui me verſionem iſtam adornare fecit, atque Anno* 31 *Regni Regis Edwardi poſt conqueſtum Angliæ III.* Diem Martis pro die Jovis ideo legendum cenſui, quòd ſe Treviſa verſionem feriâ quintâ Paſchalis Hebdomadis finiviſſe ibidem aſſerat. Anno autem 1357. dies 18. Aprilis in feriam 3. Paſchalem incidit. Anno quidem 1397. dies 18. Aprilis eſt feria 5. ſed incidit is in annum 20 Richardi II. In MS. Codice, qui penès M. Forſterum Collegii D. Johannis Cantab. habetur, ſic lego: *die Jovis, Aprilis octavo, Anno* 1387. *decimo Richardi II.* in Codice MS. Cottoniano *die Jovis, Aprilis decimo octavo, Anno* 1387. *duodecimo Richardi II.*

1370. Ca.

1370. Carolus V. cognomento Sapiens, Francorum Rex,

Biblia ſacra Gallico idiomate, tum Lutetiæ Pariſiorum, tum in Galliâ Belgicâ, Normanniâ, & aliis Regni partibus evulgavit; ut quiſque nativâ linguâ ſuâ ſacris literis frueretur. Veteres illæ interpretationes etiamnum extant, cum inſcriptione, De mandato Regis Caroli V. *non modò nomine, ſed reipsâ principis ſapientiſſimi.* Hæc Carolus Molinæus in libro (Anno 1561. ſcripto) de Monarchiâ Francorum, ſect. 133. (tomo 3. Operum ejus edit. Lutetiæ An. 1612. par. 2. col. 612. Latin.) In Gallico ſic eſt (ibid. col. 574.) *Auſſi feit tranſlater toute la Bible en François, non ſeulement en Paris, mais auſſi en Picardie, Normandie, & autres provinces du Royaume; à ce que chácun euſt la ſaincte eſcripture en ſon language maternel. Les vieilles tranſlations ſe treuvent encores intitulées,* du mandement du dit Charles le quint, *qui eſtoit non ſeulement de nom, mais auſſi de conſeil & effect Sage.* Hæc Molinæus. Similiter Antonius Molinæus in Bibliothecâ Gallicâ, tit. *Bibles* (pag. 137.) *Or quant à la tranſlation de la S. Bible en la langue Françoiſe, le Roy Charles V. dit le Sage, la feit tranſlater au langage vulgaire de ſon tems. J'en ay une eſcripte en parchemin, qui eſt en language Picard.* 52 Vid. Pleſſei Myſterium Iniquitatis, edit. in 8°. pag. 1071. ubi hujus Tranſlationis authorem Nicolaum Oremum facit. Ut ad Carolum autem redeam: Juſſit *ſacros Bibliorum libros diligenter & verè in linguam Gallicam transferri, rei eccleſiaſticæ literarumque ſacrarum perquam ſtudioſus*; ut habet Jo. Tilius, [s] & Anglo-Remenſes. [t] Sed cùm hoc ab illo factum innuunt iſti; ut Waldenſibus occurreretur, & aliis, qui pro libidine eoſdem vertebant: Fr. Hotomannus illum tyrannidi Pontificum infenſum Tranſlationem hanc procurâſſe aſſirmat: ad quam etiam reprimendam, ab eruditis librum, qui inſcribitur *Somnium Viridarii*, eundem componi curaviſſe teſtatur Carolus Molinæus [u]. Porro Tranſlationem hanc multis etiam nunc locis in Galliâ videre licet, cum hâc inſcriptione: DE MANDATO ET JUSSU REGIS CAROLI QUINTI: eamq; in Regiâ Bibliothecâ Fontaneblæi Anno 1563. iterumque Anno 1567.

[s] Chronic. Reg. Francor. [t] Præfat in Nov. Teſtam. Sect. 4. [u] In Senatuſconſ. Franciæ contra abuſus Paparum, pag 125. & ad Styl. Parl. part. 4. pag 235.

52 *Quantum autem ad tranſlationem S. Scripturæ in linguam Gallicam, Carolus Rex, Sapiens dictus, eam in linguam vulgarem ſui temporis converti fecit. Habeo exemplar, quod membranaceum, linguâ Picardiæ familiari exaratum.*

ſe vi-

ſe vidiſſe meminit Fr. Hotomannus [x]. Similiter Genebrardus [y] hujus editionis primum exemplar oſtendi dicit in Bibliothecâ Regiâ, nempe ab Anno 1374. Claud. Eſpenſæus Tract. ad Confeſſ. Regium. *Quòd principem literæ deceant:* Carolus (inquit) Rex V. *ſacra Biblia in linguam Francicam Gallicam converti curavit.* De eâdem tranſlatione vide Mat. Beroaldum Chronic. lib. 4. pag. 265. Porrò inventa etiam tum ſunt Miſſalia, Breviaria & Pſalteria in veterem Francicum ſermonem converſa: ut notant Genevenſes in Præfat. ad Biblia Gallica poſtremò à ſe edita.

1380. Joannes Wicleſus

Reprehendit hic [z] Papam & ſuos complices, ut Scribas & Phariſæos *claudentes regnum cœlorum, qui nec ipſi intrarent, nec alios intrare permitterent.* Eandem querelam etiam alius vir pius apud Anglos circa hæc tempora uſurpavit in libello [a], quem *Agricolæ precationem & querimoniam inſcripſit* (à Joanne Oldcaſtell diſperſum putat Balæus, eidemque tribuit pag. 557.) ita loquens: 53 **Thilk that have the key of conning, have y lockt the trewth of thy teaching under many wardes, and y hid it from thy children. But Lorde, ſith thy teaching is y come from heaven above; our hope is, that with thy grace, it ſhall breaken theſe wardes, and ſhowe him to thy peple, to kele both the hunger and the thurſt of the ſoul. And then ſhall no ſhepeard ner no falſe hirid man begile thy peple no more. For by thy law I write, as thou highteſt** (promiſed) **ſometime, that from the leſt to the moſt all they ſhullen knowen thy will, and weten** (know) **how they ſhullen pleaſt thee evermore in certayne.** Iſta erat miſeranda horum temporum facies; *quas tenebras ut diſpelleret magnus ille Wiclevus* (inquit Balæus) *Biblia tota in Anglicum ſer-*

[x] Franco-Gall. cap. 2. [y] Chron. lib. 4. ad An. 1535. [z] Apud Tho. Waldenum in Faſciculo Zizaniorum, (quem MS. apud me habeo) & Orth. Gratium in Faſciculo rerum Expetend. fol. 137. a. [a] A Gulielmo Tindall edit. eſt in Fox, p. 369, 370.

53 *Qui clavem ſcientiæ habent, doctrinæ tuæ veritatem multis ſeris obſeratam clauſerunt; eamque à filiis tuis occultârunt. Cùm vero, Domine, doctrina tua cœlitus advenerit; ſperamus illam tandem aliquando ſeras iſtas gratiâ tuâ effracturam, ſeipſamque populo tuo oſtenſuram, ad profligandam animæ famem & ſitim. Et tunc nullus Paſtor, neque fallax conductitius populum tuum amplius decipiet. Ex authoritate enim legis tuæ ſcribo; uti olim promiſiſti, quòd omnes à minimo uſque ad maximum voluntatem tuam ſciverint, ſcient quomodo tibi in æternum ſine errore placere poſſint.*

monem

monem tranſtulit. [Vid. infra An. 1407, 1416.] Extant etiamnum varia veterum Bibliorum Anglicorum exemplaria, quæ tranſlatione differunt: unde manifeſtum eſt, præter Wiclevum, alios etiam idem opus perfeciſſe. Ex his 2. exemplaria Evangeliorum, 3. Novi Teſtamenti, 5. utriuſque Teſtamenti commemorat Tho. Jameſius [b]. Verſionis quinetiam Wicleviana meminit M. N. *in his Remainder of a greater Work*, p. 17. atque idem Jameſius Tractatu vernaculo de Corruptione Patrum. Certè Wiclephum Biblia in Anglicanum ſermonem tranſtuliſſe teſtatur etiam Huſſus [c] in quadam ſuâ Replicâ. *Tranſtulit* (inquit Balæus [d]) *in Anglicum ſermonem Biblia tota, adhibitis præfationibus atque argumentis cuique libro ſuis. Vertit & libros duodecim Clementis Lanthonienſis Eccleſiæ Presbyteri de Concordiâ Evangeliſtarum.* Hæc Balæus. In Operis poſterioris præfatione Scripturarum Vernacularum prohibitionem Antichriſtianam eſſe confirmat Author. Hoc pluribus in Oſtiolo ſuo urget Wiclevus; quod conſule. Ejus Tranſlationem Novi Teſtamenti MS. apud D. Robertum Cottonum Equitem Auratum vidimus.

Ejuſdem *Speculi Sæcularium Dominorum* (quod habetur MS. in Bibliothecâ Regiâ Weſtmonaſterienſi) cap. 1. ita incipit. *Cùm veritas fidei eò plus rutilat, quò plùs planè cognoſcitur: & ſatrapæ* (Epiſcopi) *damnant fidelem ſententiam ex invidiâ perſonæ in auribus ſæcularium Dominorum: ut veritas ſit nota planiùs atque diffuſiùs, neceſſitantur fideles ſententiam, quam promunt, enucleare tam in Latinâ linguâ quàm in vulgari. Dictum eſt à Proſpeculo ſæcularium Dominorum in lingua vulgari, quomodo ſe debent regulare in toto conformiter legi Chriſti. Nec ſunt audiendi Hæretici, qui fingunt, quòd ſeculares non debent legem Dei cognoſcere; ſed ſufficit eis notitia, quam ſacerdotes & prælati eis dixerint vivâ voce. Nam Scriptura eſt fides Eccleſiæ; & quanto eſt nota planiùs in ſenſu orthodoxo, de tanto eſt melior. Ideo ſicut ſeculares debent fidem cognoſcere; ſic in quacunque linguâ plùs nota fuerit, eſt docenda. Similiter cùm veritas fidei ſit clarior & rectior in Scripturâ, quàm ſacerdotes ſciunt exprimere: cùm multi etiam Prælati (ſi fas eſt dicere) ſunt Scripturæ nimis ignari; & alii celant puncta Scripturæ, quæ ſc. ſonant in humilitatem & paupertatem Cleri; & multi tales defectus ſunt in vocibus Sacerdotum; utile videtur eſſe, fideles ſenſum fidei taliter reſerare. Similiter juxta fidem, quam docuit Apoſtolus Hebr.* XI. Sancti per fidem vicerunt regna; *& maximè ex ſtimulo fidei ad patriam properârunt. Quare igitur non debet fons fidei notificari populo per media, per quæ homo poteſt ſcire clariùs? Qui igitur*

[b] Eclog. Oxonio-Cantab. l. 2. p. 60. [c] Inter Opera ejus Tom. I. fol. 108. b. [d] Cent. 6. cap. 1.

hoc

hæc impedit, vel contra illud remurmurat, procurat quòd populus maneat damnabilis & infidelis. Non igitur capiendæ ſunt ut fides leges [quas] *Prælati ſabricant; nec credendum eſt ſuis vivis vocibus, niſi de quanto fundatæ ſuerint ex Scripturâ: cùm ſecundùm crebram doctrinam Auguſtini* lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ, in fine Epiſtolæ 2. ad Voluſianum. *Omnis veritas eſt Scriptura. Hoc igitur bonum faceret iſta Scripturæ enucleatio; quòd redderet ſacerdotes & prælatos in verbis quæ reſerant inſuſpectos. Prælati autem, ut Papæ, & Fratres, & alii medii, poſſunt in iſto deficere. Similiter Chriſtus & ſui Apoſtoli converterunt gentem plurimam per detectionem Scripturæ in linguâ, quæ fuit populo magis nota. Ad hoc enim Spiritus Sanctus dedit eis omnium linguarum notitiam. Quare igitur non debent moderni Chriſti diſcipuli de eodem pane fragmenta colligere, & clariùs quo ſciverunt populo detegere, ſicut illi? Non enim eſt fictio niſi infidelis, volentis Spiritui Sancto reſiſtere. In duplici igitur linguâ, cujus Spiritus Sanctus dedit notitiam, eſt fides Chriſti populo reſeranda. Similiter cùm ex fide, quam docet Apoſtolus,* 2 Cor. V. Oportet omnes Chriſtianos ſtare ante tribunal Chriſti, *& ſibi pro omnibus bonis, quæ illi dederat, reſpondere: neceſſe eſt cunctos fideles bona illa & uſus illorum cognoſcere, ut reſponſio tunc pateſcat; cùm reſponſio per prælatum vel attornatum tunc non valebit: ſed oportet quòd tunc quilibet in propriâ perſonâ reſpondebit. Cùm igitur Deus dederit tam Clericis quàm Laicis notitiam fidei ad hunc finem, ut clariùs doceant, & fideliter operentur per eam: clarum eſt quòd Deus in die judicii requiret certum computum de uſu iſtorum bonorum, quomodo dabantur fideliter ad uſuram, &c.*

1390. Anna Regina Angliæ, & Thomas Arundel Eboracenſis Archiep.

Soror hæc Wenceſlai Regis Bohemiæ, & Richardi II. Anglorum Regis conjux, anno 1394. (ut habet Polydorus Virgilius) mortem obiit. In cujus funere Weſtmonaſterii de laudibus ejus concionem habuit Thomas Arundel, tum temporis Eboracenſis Archiepiſcopus, & Regni Cancellarius; in quâ *non alio nomine eam magis laudavit, quàm quòd quamvis advena eſſet & peregrina (nempe Bohemica) tamen quatuor Evangelia in linguam Anglicam verſa & Doctorum Commentariis declarata aſſiduè meditaretur.* [Ex fragmento libri cujuſdam Wigornienſis Eccleſiæ citat. à Matth. Parkero in Cantuarienſium Archiepiſcoporum hiſtoriâ pag. 310. & Jo. Fox. Act. & Monument. p. 467.] Hinc Jo. Wiclefus *in libello de Triplici vinculo Amoris* (citante Jo. Huſſo in Replicâ contra Jo. Stokes.)

Ex eodem (inquit) *patet eorum ſtultitia qui volunt damnare ſcripta tanquam hæretica, propter hoc quòd ſcribunt in Anglico, & acuta tangunt peccata, quæ conturbant illam provinciam. Nam poſſibile eſt quòd nobilis Regina Angliæ, ſoror Cæſaris, habeat Evangelium in linguâ triplici exaratum: ſc. in linguâ Bohemicâ, Teutonicâ, & Latinâ; & hæreticare eam propterea foret Luciferina ſtultitia. Et ſicut Teutonici volunt in iſto rationabiliter defendere linguam propriam; ſic & Anglici debent de ratione defendere linguam ſuam.*

1390. Joannes Gandavenſis, Dux Lancaſtriæ.

Parlamento Richardi II. Regis Angliæ temporibus habito, libellus exhibitus eſt de tollendis Bibliis in linguam Anglicanam tranſlatis: qui à Nobilibus & inferioris Domûs Congregatione prorſus rejectus eſt. Et acriter reſpondit Johannes Dux Lancaſtriæ in hanc ſententiam: Nolumus fæx eſſe omnium hominum; quandoquidem aliæ nationes legem Dei (*quæ noſtræ fidei lex eſt*) *ſuâ linguâ exaratam habent: idque magno interpoſito jurejurando,* (*ut habet Hiſtoria*) *adverſùs eos aſſeruit, quicunque tandem eſſent, qui libellum iſtum primi porrexerunt. Addiderunt alii: Si Evangelium in linguâ Anglicanâ admiſſum hominibus errandi anſam ſit præbiturum; ſcitote inter Latinos plures inveniri Hæreticos, quàm ex aliâ quacunque linguâ. Decreta namque 66. Hæreticos Latinos recenſent.* [Hiſtoriam hanc tranſtulit Jo. Foxus in Præfationem à ſe præfixam Evangeliorum Saxonicorum editioni Anno 1571.]

1400. Radulphus de Rivo, Tungrenſis Decanus.

De Canonum obſervantiâ propoſit. 9. *Cavendum eſt ne maledictionem incurramus Prophetæ, dicentis:* [c] Maledictus omnis, qui opus Dei facit negligenter. *Dignum quippe eſt, ut mens noſtra concordet cum voce, quando ad divinum opus aſſiſtimus; & cum diligentiâ à præſentibus univerſis quiſque ſe retrahat, & divinis inhæreat; ut cœleſtia ei dona revelentur.*

1401, 1407, 1409. Richardus Hampole, & alii.

Anno 1401. Gulielmus Butler Franciſcanus ſcripſit Determinationis nomine libellum contra Tranſlationem (Wiclevianam, uti nos docet

[c] Jerem. XVII.

Jameſius

Jameſius lib. de Corruptione Patrum part. 2. loc. 24.) Scripturæ in linguam vulgarem [f]: poſtquam eſſet in Angliâ (ut teſtis eſt Purvæus) generale mandatum ut combureretur. Extat adhuc libellus iſte Oxonii in Mertonenſis Collegii Bibliothecâ vol. 143. Ex eo ſequens fragmentum deſumptum eſt. *Nec debent Prælati hoc admittere, quòd ſinguli ad libitum eorum legant Scripturam in Latinum tranſlatam; quia (ſicut experientia ſatis docet) hæc fuit multis modis occaſio incidendi in hæreſes & errores. Non eſt ergo politicum, ut quicunque ubicunque quandocunque voluerit, ſe det ferventi ſtudio Scripturarum.* [g] Eodem ferè tempore Scillius quidam Fraterculus, coram Londinenſi Epiſcopo ad Crucem Paulinam contra eaſdem Tranſlationes concionem habuit; cui alii ſe oppoſuerunt, verba illa Pauli ad Elymam Magum, Act. XIII. de Fratre Scillio uſurpantes: *O plene omni dolo & omni fallaciâ, quare Epiſcopum à verâ fide avertere conaris?* Objiciebatur etiam ei cùm aliorum Doctorum authoritas, tum Richardi Hampul Eremitæ, qui Pſalterium in linguam Anglicanam tranſtulit, & in verſum illum Davidis [*Ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque*] judicium ſuum de neceſſitate Scripturarum Vernacularum propoſuit. Tandem verò Anno 1407. (ſic, opinor, Fox loco citato; at Mat. Parkerus [h] ad Annum 1406. refert. Linvodus [i] verò ad An. 1408.) in Concilio Oxonii habito Thomas Arundel Archiepiſcopus Cantuarienſis (quem ante annos 13. piæ Reginæ in Scripturâ Vernaculâ perlegendâ diligentiam prædicâſſe audivimus) pro authoritate ſuâ controverſiam diremit: ſeptimam ibi Conſtitutionem in hæc verba ſanciens: 54 *Periculoſa res eſt (teſtante B. Hieronymo) textum ſacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre: eò quòd in ipſis tranſlationibus non de facili idem ſenſus in omnibus retinetur; prout idem Beatus Hieronymus, etſi inſpiratus fuiſſet, ſe in hoc ſæpiùs fatetur erràſſe. Statuimus igitur & ordinamus, ut nemo deinceps textum aliquem ſacræ Scripturæ auctoritate ſua in linguam Anglicanam vel aliam transferat, per viam libri vel libelli aut Tractatus, nec legatur aliquis hujuſmodi liber, libellus aut Tractatus, jam noviter tempore Johannis Wickliff, ſive citra, compoſitus, aut in poſterum componendus, in parte vel in toto, publicè vel occultè, ſub pœnâ majoris excommunicationis; quouſque per loci Diœceſanum, ſeu (ſi res exegerit) per Concilium provinciale, ipſa tranſla-*

[f] Jo. Lelandus in Opere de Viris Illuſtribus, & eum ſecutus Baleus Cent. 7. cap. 39. [g] Ex Foxi Præfatione in Evangel. Saxon. [h] Hiſt. Archiep. Cantuar. p. 310. in margine. [i] Conſtitut. 2. de Clericis peregrinis.

54 Concil. Labb. Tom. XI. pag. 2095.

tio fuerit approbata. Qui verò contra hoc fecerit, ut fautor hæreſis & erroris ſimiliter puniatur. Ex eo, quod in hâc conſtitutione dicitur [*Noviter compoſitus*] colligit Guilhelmus Lindwodus [k], quòd *libros, libellos, vel tractatus in Anglicis vel alio idiomate priùs tranſlatos de textu Scripturæ legere non eſt prohibitum.* Unde intelligimus ante Wiclevi tempora Scripturas in linguam vernaculam tranſlatas extitiſſe; neque etiam earum lectionem prohibitam eſſe (vid. Dialog. Tho. Mori lib. 3. cap. 16. cum reſponſ. Tindalli) quod quantopere à ſubſequentium temporum moribus alienum fuit, ex hujus Hiſtoriæ ſerie pòſt apparebit. Et de Conſtitutione quidem Tho. Arundelii ſatis: de cujus vitæ exitu ita ſcribit Thomas Gaſcoign [l] in Dictionario ſuo Theologico MS. Anno 14[illegible]. *Tho. Arundel Cant. Archiepiſcopus ſic linguâ percuſſus erat; ut nec deglutire, nec loqui per aliquot dies ante mortem ſuam potuerit, divitis epulonis exemplo, & ſic* 55 *tantùm obiit. Atque tunc multi fieri putabant; quia verbum alligâſſet, ne ſuo tempore prædicaretur.* Hiſce etiam temporibus Alexander V. Scripturas in ſermonem vulgarem tranſlatas damnâſſe dicitur: [m] de quo prophetiam edidiſſe fertur Jacobus de Theramo [n]; *quòd Anno Domini* 1409. *ſurget unus, qui Evangelium & Epiſtolas & fidem Chriſti perſequetur.* Nota hìc tempus ingredientis erroris, idque cum contradictione.

1410. Anglus Anonymus.

[o] In Bibliothecâ Collegii S. Benedicti Cantabrig. habetur Tranſcriptum Determinationis cujuſdam Doctoris in S. Theologiâ, contra eos qui dicunt nefas eſſe habere S. Scripturam aut alios libros in linguâ Anglicanâ. Tractatus iſte à Joanne Foxo evulgatus eſt in primâ Actorum & Monument. editione pag. 452. titulo *Brevis antiqui Tractatûs demonſtrantis S. Scripturam in linguâ Anglicanâ habendam eſſe.* Initium ejus Latinè verſum ſubjiciam. *Contra illos, qui dicunt S. Scripturam Anglicè vertendam non eſſe, ejuſmodi argumenta proferam, &c. Sanctus etiam Paulus in primâ ad Corinthios Epiſtola cap.* 14. *dicit:* Vellem vos omnes peregrinis loqui linguis, ſed magis ut vaticinemini: *Dicit etiam:* Orabo ſpiritu, orabo & mente; *i. e. cum affectu & intellectu. Idque multò ſatiùs eſt quàm devotionem in verbis tantùm non in intellectu habere. Iſtud*

[k] Provincial. lib. 5. titulo de Magiſtris, edit. An. 1429. [l] Citat. à Fox in Act. & Monument. p. 541. & Matth. Parker Hiſt. Arch. Cantuar. p. 311. [m] Baleus Centur. 7. cap. 39. [n] Jo. Huſſ. in Concilio Conſtantienſi, Tom. IV. Concil. edit. Venet. p. 320. [o] Vid. Jameſii Eclogam Oxon. Cantab. par. 1. p. 82. b

55 *Tandem* legendum videtur.

quinetiam

quinetiam textus demonſtrat, iſtiuſmodi verba ſubjiciens : Quomodo ille dicet Amen ſuper benedictionem tuam, qui quid dicis non intelligit ? *His addi poteſt Doctoris Lyrani ſententia: Si populus intelligat orationem ſeu benedictionem Sacerdotis; meliùs reducitur in Deum, & devotiùs reſpondet Amen. S. Scriptura itaque in Hiſpanicam, Gallicam, & Germanicam linguam converſa eſt; atquæ aliæ gentes Bibliam in vernaculâ linguâ legunt, &c.*

Huic affine docet lacerum quoddam Bibliothecæ Wigornienſis fragmentum 55 circa idem tempus ſcriptum: quod Latinè pariter converſum repræſentabo. *Auditum eſt à Germano quodam fide digno, olim Belgam, cui nomen erat Jacobus Merland, integram Bibliam Belgicè vertiſſe. Propterea Interpres magno à quibuſdam odio habitus ſeſe coram Papâ judicandum ſiſtere juſſus eſt : liberque examini ſubmiſſus; qui tandem magnopere approbatus, illi in manus remiſſus eſt ad inimicorum confuſionem. Quin & Venerabilis Beda Spiritu Dei inductus, Bibliam, ſaltem majorem ejus partem, in linguam Anglicanam tranſtulit : cujus verſionis exemplaria adhuc in multis Angliæ Monaſteriis ſuperſunt. Porrò Ceſtrenſis libro 5. cap. 24. Evangelium Johannis Anglicè ab eodem Bedâ converſum eſſe prodit : quod quidem Evangelium Johannis, aliaque Evangelia multis in locis adhuc aſſervantur, in vetuſtam Anglicæ linguæ dialectum converſa, quam vix ullus hodie Anglus perlegere poteſt, &c. Præterea penès civem quendam Londinatem, nomine Wering, Biblium erat in Septentrionalem Angliæ dialectum redditum; quod à multis inſpectum eſt, & ducentorum annorum ætatem præ ſe tulit, &c. Adhæc magnus ille Theologus Lincolnienſis in Sermone, cui initium eſt* [Scriptum eſt de Levitis] *hæc habet :* Si quis Sacerdos ſe prædicare non poſſe dicat; unum præſto eſt remedium, ut Beneficium ſuum abdicet; alterum (ſi fortè iſtud nolit) ut ſingulis ſeptimanis nudum Evangeliorum Dominicalium textum perdiſcat; cumque plebi ſuæ enarret, &c. *Itidem vir genere nobilis Richardus Hampole Pſalterium Anglicè convertit, & prolixâ ſatis gloſſâ illuſtravit, &c. Frater autem Scillius, qui coram Epiſcopo Londinenſi centeniſque aliis auditoribus dixit, Hieronymum agnoviſſe ſe S. Scripturam vertendo erráſſe, ſimilis eſt Elymæ, qui Epiſcopum ſeu Judicem à fide avertere conatus eſt, &c. Multis etiam conſtat, tempore Richardi Regis (cujus animæ propitius ſit Deus) libellum Parlamento oblatum eſſe duorum Archiepiſcoporum totiuſque Cleri aſſenſu, ad abrogandam Bibliæ aliorumque librorum Evangelicorum verſionem An-*

55 Anglicè tantum Fragmentum iſtud (pariter ac ſuperius) dedit Uſſerius, adeoque quæ inibi reperies aliorum fragmenta, non ſunt authentica, ſed ex verſione meâ.

glicam.

glicam. Denique Thomas Arundel, qui ſedi Cantuarienſi nunc præeſt, in Eccleſiâ Weſtmonaſterienſi, frequenti auditorum turba præſente, in exequiis Annæ Reginæ concionatus eſt, &c.

1410. Johannes Huſs, & Bohemi.

De Johanne Huſſo ita ſcribit Jo. Cochlæus: *Inſtituit pellifices, ſartores, ſutores, & id genus alios Mechanicos; qui crebris concionibus operam dantes, & ſacras literas in vernaculam linguam tranſlatas ſervidè legentes, cum Sacerdotibus coram plebe diſputarent. Et non ſolùm viri, ſed & Beguttæ aliæque mulieres, eò audaciæ & inverecundiæ proruperunt; ut de ſacris literis diſſerere, & Presbyteris certamina movere præſumerent.*

1416. Radulphus Munginus.

[p] In Synodo Londini habitâ ſub Henrico Chicheſley, Cantuarienſi Archiepiſcopo, Radulpho inter alia objectum eſt, quòd Evangelia Johannis Wickleffi in civitate Londinenſi ſparſiſſet; unde ad perpetuos carceres ab Archiepiſcopo damnatus eſt. Ibidem ad Palinodiam adactus eſt J. Gallus Presbyter Londinenſis, quòd librum Anglicum qui *Novæ Legis* inſcriptus erat, habuiſſet. [Ex Regiſtro Henrici Chicheſley.]

1420. Johannes Purvey.

[q] Ex libello ejus ſententias ſequentes ut hæreticas & erroneas collegit adverſarius ejus Richardus Lavinham Carmelita (quas MSS. habeo) *Chriſtianus populus habet grandem cauſam refutandi leges & ſtatuta mundialium Clericorum, qualia vocat leges Papales & Epiſcopales factas propter cupiditatem & voluptatem: ſine quibus Eccleſia poſſit currere ſecurè versùs cœlum per jugum ſuave mandatorum Domini; ſicut fecit per mille annos, antequam dictæ leges mitterentur Univerſitatibus; & retraxerunt homines à ſacrà Scripturà propter cupiditatem beneficiorum & bonorum ſæcularium.* Item. *Simplices homines recipiunt reverenter ſententias doctorum, & alias leges, in quantum fundantur ſuper Scripturam ſacram expreſsè vel bonam rationem. Cùm autem leges Paparum & ſuorum inſcitorum Clericorum ſint contrariæ ſibi ipſis, abſque fundamento Scripturæ vel rationis; debent ſimplices homines permittere eas ire dormitum.*

[p] Fox, pag 590. [q] Fox, pag 593.

Circa

Circa hoc tempus claruit Lupus de Oliveto; quem vide in Regulâ Monachorum, cap. de contemplat. orat. & lectione, tom. 9. Operum Hieronymi, edit. Victorii, rem fusè perſequentem. Pauca quædam deſcribam. *Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. —Orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio. —Crebriùs lege, & diſce quamplurima; & tenente te codicem ſomnus obrepat, &c. Quotidie de Scripturis ſanctis aliquid dicatur. —Sæpe in manibus tuis divina ſit lectio, & crebræ orationes. —De Scripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerum. Illud penſum Domino tuo redde. —Scientia pietatis eſt, noſſe legere Scripturas, Prophetas intelligere, in Evangelio credere, Apoſtolos non ignorare. Nec putemus in verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu: Non in ſuperficie, ſed in medullâ: Non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis. Si quid autem ignoras, ſi quid de Scripturis dubites, interroga eum; quem vita commendat, excuſat ætas, fama non reprobat, &c. Quæ enim poteſt eſſe vita ſine ſcientiâ Scripturarum, per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur? Qui cibi, quæ mella ſunt dulciora, quàm Dei noſſe prudentiam?*

1425. Valentini in Hiſpaniâ.

Fuit 130. *abhinc annis plùs minùs verſa S. Scriptura in Valentinam linguam:* ait Frid. Furius Valentinus in *Bononiâ* ſuâ, quam Anno 1555. edidit.

1429. Norwicenſes.

Guilhelmus Wrightus coram Norwicenſi Epiſcopo jurejurando interpoſito confirmavit, quòd I. Richardus Fletcher de Beckles Anglicè habuit librum Novæ Legis, qui priùs Hugonis Pii fuerat. II. Nicolaus Belwardus Novum Teſtamentum habit, quod Londini pretio 4. marcarum & 40. denariorum (quo pretio noſtris temporibus 40. ejuſmodi libri coemi poſſunt) ſibi comparavit; eundemque Wrightum & uxorem ejus per anni ſpatium docuit, & Novo Teſtamento diligenter ſtuduit. III. Hugo Pius Teſtamento legavit Aliciæ ancillæ W. Whiti Novum Teſtamentum (quem librum Novæ Legis tum appellabant) quod in cuſtodiâ extitit Oſwaldi Godfrey Colceſtrenſis. [Ex Regiſtro Norwicenſi [r].]

[r] Fox, p. 611.

1429. Alex-

1419. Alexander Carpentarius.

In Deſtructorio Vitiorum, part. 4. cap. 40. *Quod conſiderans B. Auguſtinus in Epiſtolâ ad Julianum Comitem ita ſcribit*; Grandis (*inquit*) conſuſio eſt animabus laicorum, qui dicunt, Quid pertinet ad me libros Scripturarum legendo audire vel diſcere; vel etiam frequenter ad Sacerdotes & ad Eccleſiam Sanctorum recurrere? Cùm Clericus ſiam, ea quæ oportet Clericus facere, faciam. Sed quare non intelligit, quia panem & vinum atque alia hujuſmodi terræ bona, & regni felicitatem æqualiter vult participare, & æquali labore jugum Chriſti ferre non vult. *Et ſequitur:* Similiter enim mandata Dei ſervantibus Laicis cœleſte palatium patet, veluti & Clericis. *Item Auguſtinus ſuper Johan. Homil.* 51. Cùm auditis (*inquit*) fratres, Dominum dicentem: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*; nolite tantummodo bonos Epiſcopos & Clericos cogitare: ſed etiam vos laici pro modo veſtro miniſtrate Chriſto bene vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen & doctrinam ejus quibus potueritis prædicando: ut unuſquiſque etiam paterfamilias hoc nomine agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere, pro Chriſto & pro vitâ æternâ ſuos omnes moneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam & exerceat diſciplinam: & ita in domo ſuâ Eccleſiaſticum & quodammodo Epiſcopale impleat officium miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum ipſo. *Item idem ſuper Pſalm.* L. Quomodo (*inquit*) ad nos pertinet loqui vobis in Eccleſiâ; ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſubditi ſunt. *Item idem in Epiſtolâ ad Julianum Comitem:* Quæſo (*inquit*) mi frater; quæſo omnibus tibi ſubjectis, & bonæ voluntatis, in domo tuâ à majore uſque ad minorem, amorem & dulcedinem regni cœleſtis, amaritudinem etiam & timorem gehennæ annuncies; & de eorum ſalute ſollicitus atque vigil exiſtas; quòd pro omnibus tibi ſubjectis, qui in domo tuâ ſunt, rationem Deo reddes. Annuncia, præcipe, impera, ſuade eis; ut caveant à ſuperbiâ, à detractione, ab ebrietate; à fornicatione, à luxuriâ, ab irâ, & à perjurio, à cupiditate, quæ eſt radix omnium malorum. *Hæc ille: unde dicit Apoſtolus* 1 *Timoth. V.* Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet; fidem negat, & eſt infideli deterior. *Unde, ſicut narrat Euſebius in de Eccleſiaſticis Hiſtoriis libro* 2. *cap.* 15. Marcus
56 Evangeliſta Romæ ſcripſit Evangelium Chriſti: & ad preces & re-

56 Eadem habet Beda Prolog. in Comment. in Marc.

gationes

gationes populi illius tradidit; qui exorabat, ut ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam Scripturæ traderet; quò domi foriſque in hujuſcemodi verbi meditationibus permanerent. Quo audito Petrus gaviſus eſt de fide illorum, per hoc devotionem eorum conſiderans; factumque confirmat, & in perpetuum legendam Scripturam eis tradidit. *Hæc ibi. Item laici adulti, ut patet ex ſupradictis, tenentur ſub pœnâ mortis æternæ ſcire Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, & præcepta Decalogi; & omnia hæc continentur in Evangelio. Erubeſcant igitur infideles Hæretici, & Chriſtianæ fidei inimici; qui dicunt, quòd Laici non tenentur ſcire, addiſcere, aut cognoſcere, vel ſe intromittere de Evangelio Chriſti. Nam idem eſt ſic dicere & aſſerere, quòd Laici non debent Chriſtum cognoſcere, ſed ſemper manere ut Judæi & Pagani ſine veritatis notitiâ. Unde Apoſtolus 2 Corinth. IV.* Si opertum eſt Evangelium; in his qui pereunt eſt opertum; in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti. Item *Hieronym. & ponitur in ca. diſt.* 39. *Si juxta.* Si juxta (*inquit*) Apoſtolum Paulum Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia eſt; ignoratio ergo Scripturarum eſt ignoratio Chriſti. *Sed quàm periculoſa ſit iſta ignoratio, oſtendit beatus Bernardus; & ponitur 6°. Florum, cap. 26. ubi ſic ſcribit:* Omnis (*inquit*) peccati conſummationem parit deſperatio: deſperatio de Dei ignorantiâ venit. Si enim nos Dei ignorantia tenet; quomodo ſperabimus in eum quem ignoramus? Scimus autem deſperatis partem vel ſocietatem non eſſe in ſorte ſanctorum, &c. *Item Gregorius, & ponitur in ca. diſt.* 38. *Qui ea.* Qui ea (*inquit*) quæ Dei ſunt, ſapiunt, ſapiuntur à Domino: & qui ea quæ Dei ſunt, neſciunt, neſciuntur à Domino: Paulo teſtante, qui ait: *Si quis ignorat, ignorabitur:* & quicunque ſtultus eſt in culpâ, ſapiens erit in pœnâ. *Hæc ibi. Laici igitur informandi ſunt per Sacerdotes, quòd libenter Scripturam ſacram audiant, & humiliter addiſcant; & cum omni humilitate, timore, & reverentiâ, de veritate quam addidicerunt & clarè intelligunt, loquantur; & non pompent de illis, quæ ſciunt; nec alios ignorantes deſpiciant; nec arroganter putent ſe ſcire quæ fortè neſciunt nec intelligunt.*

1438. Bohemi, Thaboritæ.

Ex petitionibus [f], quas regni Bohemiæ Oratores hoc tempore Baſileenſi Synodo propoſuerunt, ſeptima his verbis concipitur. *Quatenus*

[f] In Orth. Gratii Faſciculo rerum Expetend. fol. 160. b.

veſtræ paternitates dignentur permittere ad minus Evangelia, Epiſtolas & Symbolum in vulgari in Miſſis & Eccleſiis coram populo ad excitandam devotionem libertari, legi & decantari. Nam in noſtro linguagio Sclavico ex indulto Eccleſiæ olim ab antiquo in vulgari ſuo exercetur, etiam in noſtro regno. Unde & ad noſtra uſque tempora Bohemorum Sacerdotes in ſacrificiis Epiſtolam & Evangelium linguâ domeſticâ canunt; & huic conſuetudini pertinaciſſimè adhærent; aſſerentes ſe illud literis Concilii Baſileenſis (quas vocant *Pactionis*) confirmatum & approbatum habere: quemadmodum teſtatur Johannes Slechta Bohemus in literis ad Eraſmum Roterodamum Anno 1519. datis [t]. Huc etiam pertinet ſententia illa Æneæ Sylvii [u] (qui Concilio Baſileenſi interfuit) *Pudeat Italiæ Sacerdotes; quos ne ſemel quidem Novam Legem conſtat legiſſe: apud Thaboritas vix mulierculam invenias, quæ de Novo Teſtamento & Veteri reſpondere neſciat.* Iſti verò nec quicquam ſurente Antichriſto ad noſtra tempora duraverunt, fideique ſuæ confeſſionem [x] nobiſcum ediderunt, in cujus primo capite ita legimus. *Unuſquiſque divina ſanctorum Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta maximi facere, eiſque in omnibus fidem prorſus habere, religioséque aſſentiri, diligenter ea legere, ſalutarem doctrinam ex his aſſumere, & ſecundùm hæc ſe inſtituere & dirigere debet; & imprimis ii, qui ſanctæ Eccleſiæ Dei præpoſiti ſunt. Quibus de cauſis in noſtris Eccleſiis & conventibus hæc ſacra Scriptura auditoribus communi & vernaculâ linguâ, quam univerſi intelligunt, recitatur, &c.* Illud verò quod de Italiæ ſacerdotibus narrat Sylvius nequaquam mirum videri debet: cùm de Sorboniſtis ſui temporis referat Robertus Stephanus, [y] interrogatos à ſe quo loco Novi Teſtamenti aliquid eſſet ſcriptum, reſpondiſſe, ſe illud apud Hieronymum, aut in Decretis legiſſe; quid verò Novum Teſtamentum eſſet, ignorare. Item alium ejuſdem Sorbonæ Theologum ſubinde dicere ſolitum: *Miror quòd iſti juvenes allegant nobis Novum Teſtamentum; per diem, ego habebam pluſquam quinquaginta annos, quòd neſciebam, quid eſſet Novum Teſtamentum.* Vide Hyperium de Scripturæ Lectione quotidianâ, lib. 1. pag. 123. & Eſpenſæum in Epiſt. ad Tit. pag. 105.

[t] Lib. 14. Epiſtolarum Eraſmi. [u] Comment. de dictis & factis Alfonſi R. lib. 2. [x] In Harmoniâ Confeſſ. ſect. 1. [y] Reſponſ. ad Theologorum Pariſ. cenſuras, edit. Genevæ Anno 1552.

1440. Hen.

1440. Henricus VI. Rex Angliæ.

De eo Joannes Blackman Carthuſianus in Collectario manſuetudinum & bonorum morum Regis Henrici VI. *Aut in orationibus, aut in Scripturarum vel Chronicarum lectionibus, aſſiduè erat occupatus; ex quibus non pauca eloquia hauſerat ad ipſius aliorumque conſolationem ſpiritualem. —— Nonnullis etiam ſolebat Clericis deſtinare epiſtolas exhortatorias, cœleſtibus plenas ſacramentis & ſaluberrimis admonitionibus, in ſtuporem multorum. — Cæteros dies* (ſc. minùs ſolemnes) *aut in regni negotiis cum Conſilio ſuo tractandis, prout rei expoſcerat neceſſitas, vel in ſcriptis aut Chronicis legendis, non minùs diligenter expendit. Unde & de eo teſtatus eſt mihi quidam honorandus quondam ſibi Camerarius fideliſſimus, Dominus Richardus Tunſtall, verbis & ſcriptis ſuis teſtimonium de eo dedit dicens; In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte. In hujus etiam rei teſtimonium ipſe Dominus Rex graviter conqueſtus eſt mihi in camerâ ſuâ apud Eltham, quando ſolus cum eo ibidem eſſem in ſanctis ſuis libris cum eo laborans, ejus ſalubribus monitis & profundiſſimæ devotionis ſuſpiriis intendens: dato pro tunc interim ſono ſuper oſtio regio à quodam potentiſſimo Regni Duce; Rex ait: Sic inquietant me, ut vix raptim per dies & noctes valeam ſine ſtrepitu aliquorum ſacrorum dogmatum lectione refici. Simile etiam quoddam huic ſemel contigit, me præſente, apud Wyndeſor.*

1440. Johannes II. Legionis & Caſtellæ Rex.

Scripturis ſacris delectabiliter vacabat; adeò ut plerunque nocumento foret, quòd plus quàm Regi expediret, lectioni operam daret. (Rodericus Sancius Hiſt. Hiſpan. par. 4. cap. 34.) *Audio, Biblia Caſtilianâ linguâ juſſu Regis Johannis II. olim reddita, adhuc extare* (Conradus Geſnerus in Partitionib. Theologic. lib. ult. Pandect. tit. 2. fol. 15 a.)

1450. Reginaldus Peacock, Ciceſtrenſis Epiſcopus.

Vid. Stow.

1450. Alphonſus V. cognomento Magnanimus, Aragoniæ, Siciliæ, & Neapolis Rex.

[z] *Gloriatum aſſiduè Regem ſcimus, quòd Biblia quater & decies cum gloſſis & commentariis perlegiſſet: proinde illa memoriâ ita tenere, ut non ſolùm res ſed & verba etiam ipſa pluribus locis ſine ſcripto redderet.* Hæc Antonius Panormita lib. 2. de dictis & factis Alphonſi; in quem Jacobus Spiegelius, *Mirum eſt* (inquit) *tantopere delectatum occupatiſſimum Regem toties repetitâ lectione ſacrorum voluminum.* Genebrardus lib. 4. Chronographiæ ſuæ Anno Chriſti 1261. annotat, Alphonſum X. cognomento *Sapientem*, quaterdecies univerſa Biblia cum ſuis gloſſis inter tot negotia legiſſe. Sed quod de Alphonſo Aragonum Rege eſt dictum, perperam ille tranſtulit ad Alphonſum Caſtellæ & Legionis Regem, qui Aſtronomicas tabulas ad An. 1252. edidit. Porro nec id omittendum eſt, quod in ultimo libro Pandectarum Geſneri [a], legimus, per Alphonſum Aragonum Regem proverbia Solomonis Hiſpanicè eſſe reddita; necnon Joannem Aragonum Regem (quem Alphonſi V. fratrem & in regno Anno 1458. ſucceſſorem intelligo, quem ut Chriſtianæ religionis præcipuum aſſertorem prædicat Fr. Taraph & L. Marineus Siculus) inter divinæ Scripturæ Tranſlatores numerari à Sixto Senenſi [b], & Antonio Poſſevino [c].

1460. Dionyſius Carthuſianus

In 1 Corinth. XIV. Si tu benedixeris ſpiritu] *i. e. non verbis, quæ ab aliis intelligantur, ſed tantùm linguâ.*

1470. Dalmatæ.

Paulus II. concedit illis, *ut divinas preces ſuâ celebrent linguâ.* (Victorius in Indice in 6. poſterior. tomos Hieronymi, verb. Illyricum.)

[z] Vid. Eſpenſæum (apud Morton. par. 2. p. 63.) [a] De Theol. tit. 2. ſect. 6. pag. 26. [b] Biblioth. Sanct. lib. 4. [c] Biblioth. Select. lib. 2. cap. ult.

1478. Lu-

1478. Ludovicus XI. Francorum Rex.

Quemadmodum [d] jus unum per totam Galliam linguâ vulgari comprehenſum conſtituere propoſuerat, ſi vita ſupereſſet; ita illud effeciſſe videtur, ut jus divinum linguâ Vernaculâ expoſitum ad communem omnium uſum ederetur. Johannes enim Lambertus in reſponſione ad 26. Articulum Epiſcoporum Angliæ, quam Anno 1532. edidit, aſſerit 54. ad minimum annos Biblia in ſuâ linguâ habuiſſe Gallos, cum Regis Francorum atque etiam Imperatoris privilegio; quæ quidem Ludovici Regis rogatu tranſlata fuerint, quantum ex privilegio meminit, quod in libri frontiſpicio cernebatur.

1483. Carolus VIII. Francorum Rex, & Johannes de Rely.

Genevenſes, in Præfat. ad ſuam Bibliorum verſionem Gallicam, notant, Carolum ejus nominis Octavum curâſſe, ut Novum Teſtamentum in linguam Gallicam transferretur. Similiter Antonius Verderius in Bibliothecâ Gallicâ, tit. *Bibles*, pag. 137. Par apres & du regne de Charles VIII. Jean de Rely Chanoine de Noſtre Dame de Paris en feit une tranſlation en meilleur langage, toutesfois encores rude. 57 De Johanne de Rely vide eundem pag. 751.

1485. Richardus Hilminus

Ad Johannem Coventrienſem & Lichfeldienſem in Angliâ Epiſcopum delatus eſt; quòd Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum in linguâ Anglicanâ habuerit; itemque alium librum, qui Epiſtolas & Evangelia Anglicè continebat, viderit & habuerit; aſſerens ſe ſecundùm illa victurum, indeque ſalutem expectare [Ex Regiſtro Diœceſeos [e].]

[d] Jo. Tilius in Chron. Reg. Franc. [e] Fox, pag. 714.

57 *Poſtea etiam regnante Carolo VIII. Joannes de Rely, Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis Canonicus, meliori ſtylo, rudiuſculo tamen adhuc, verſionem adornavit.*

1496. Jo.

1496. Jo. Franciſcus Picus Mirandula

De ſtudio divinæ & humanæ Philoſophiæ, lib. 2. cap. 1. *Ad hanc notitiam divinorum capeſſendam veteres Theologi omnes exhortantur. Huic juniores, Innocentius, Joannes Gerſon, aliique nonnulli aſſiduè monent incumbendum: & non modò his qui ex officio ad id negotii ſunt obnoxii, ut ſacerdotes & clerici; ſed omnibus cujuſcunque gradûs & ordinis extiterint. Et jure quidem; quoniam nullus ab hoc officio immunis eſt, quòd ſc. pro ſuâ ingenii viriumque facultate & ſibi & aliis non debeat eſſe adjumento.*

Exam. Vanit. Gent. lib. 2. cap. 37. *In iis itaque divinarum literarum teſtamentis quærenda eſt veritas, quæſitu proculdubio facilis, &c. Nullus ſexus excluditur; & anus decrepita & puer ejus rei tam capaces, quam eſt ſatis ad fælicitatem.*

1500. Georgius Florus Baldinus

In Compendio de Oratione & precib. *Quomodo ſe à Deo exaudiri poſtulat; qui ſeipſum non audit, & quid loquatur ignorat? Nunquam enim orare dicitur, qui flexis genibus orat; ſi vagatione diſtrahatur. Nihil igitur aliud cogitare debet animus orantis, quàm quod precatur.*

1506. Johannes Trithemius, Spanheimenſis Abbas

In Epiſt. familiar. lib. 2. epiſt. 28. hanc cujuſdam ſententiam citat:

Nil homini melius, quàm ſi divina legendo:
Figat ibi mentem, quò ſibi vita venit.

Lib. 2. Epiſt. 1. ad Jacobum Trithemium fratrem ſuum, ita de divinâ ſcripturâ ſcribit. *Mirabilis iſte fluvius eſt, in quo ſimplex & ſine literaturâ Chriſtianus, pedibus (ut ita dixerim) ſiccis ad ſalutem ſecurus tranſire poterit; & magnus ſubtiliterque literatus & natare poteſt ſobriè ſapiendo, & ſi nimium ſcrutatus fuerit, ſubmergi. Habet enim in publico, unde parvulos nutriat; & ſervat in occulto, unde mentes ſublimium in admirationem ducat.*

Idem etiam ſtudium Scripturarum à multis ſui temporis Sacerdotibus & Clauſtralibus omnium penè Regularum contemptum queritur. Atque

Atque inde de Sacerdote quodam Curienſi [f] fertur; quòd circa hæc tempora prophetico quodam ſpiritu crebrò ſacrificulis dictitare ſolitus ſit; *Vos jam Paulum ſub ſcamnum abjeciſtis; veniet aliquando tempus, cùm ipſe inde prorepens, viciſſim vos ſub ſcamnum protrudet.*

1512. Jacobus Faber Stapulenſis

In 1 Corinth. XIV. *Maxima pars hominum, cùm nunc orat, neſcio ſi ſpiritu, tamen mente non orat: nam in linguâ orat, quam non intelligit. Attamen maximè Paulus probat, ut fideles pariter ſpiritu orent & mente; & qui ſic, ut paſſim ſolent, orant, parum ſe oratione ædificant, & alios nequaquam ſuo ſermone ædificare valent.*

1515. Valentini in Hiſpaniâ.

Quadraginta aut circiter abhinc annis (inquit Frid. Furius in *Bononiâ* Anno 1555. edito) *ſacra Scriptura Valentinis literis impreſſa fuit: quam populo interdixit Inquiſitorum, quos vocant, Societas & Ordo hoc nomine: quòd Judæi aliquot, qui de* 120. *millibus ex Hiſpaniâ exactorum ſupererant, dicerent, ſe intelligere ipſos ritus, cæremonias & ſacrificandi genus ab ipſis Bibliis deſumere. Itaque ita vetitum eſt eam legi; ut iis qui originem nullam à Judæis haberent, legi liceret, aliis non item. Idem in universâ Hiſpaniâ cautum eſt: habebant enim ferè reliquæ Hiſpaniæ nationes etiam Biblia, in ſuam quæque linguam verſa.* Hactenus Frid. Furius Valentinus. At alii ex Pontificiis multi reperiuntur; qui Ferdinandi & Elizabethæ Hiſpaniæ Regis ac Reginæ, edictum magnopere laudant, quo ſub graviſſimis pœnis prohibuerunt: *Ne quis ſacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab aliis tranſlatas quoquo pacto retineret.* (Alphonſus de Caſtro de Hæreſib. lib. 1. cap. 13. Claud. Couſford in Confutat. error. Valdenſ. cap. 23. Hardingus artic. 15. ſect. 13. & Jac. Ledeſima cap. 18.) Sed quantopere ab antiquo Juſtiniani Imp. decreto (quod ſupra in Hebræorum ſententiis produximus) diſtet, conſideret æquus Lector. Sed & his temporibus Michael Adam Judæus converſus Biblia vertit in linguam Germanicam, & in uſum

[f] Illyricus in Catal. Teſt. Verit. ex relatione Nicolai Medleri.

Hebræorum

Hebræorum characteribus Hebraicis expreſſit (Sixtus Senenſis lib. 4. Biblioth. & Eiſengrenius in Catalogo Teſt. Verit.) Liber Precationum Anniverſariarum ſecundùm uſum Hebræorum in Germaniâ, Germanicè, ſed literis Hebraicis, habetur in Bibliothecâ Bodleianâ.

1515. Eraſmus Roterodamus

In enarratione I. Pſalmi (tomo 5. Operum, pag. 153.) *Legant & idiotæ legem Domini quacunque linguâ, legant & Scythæ; meditentur in eâ pro ſuâ virili: ſcrutentur pro ſuo quiſque captu; de hâc inter ſe confabulentur, de hâc colloquantur, &c. At nunc ſunt, qui ſummopere cavendum putant, ne quid vulgus attingat de ſacris literis in popularem verſis linguam: clamant eos nihil intelligere, prolabi in hæreſes. Quaſi verò ea ſit doctrina Chriſti, ut non niſi à paucis Theologis poſſit intelligi. Immò ut ipſo Chriſto nihil fuit communius, ita doctrinâ illius nihil popularius. Legat arator; erit quo paſcatur: legat eruditiſſimus; erit quod diſcat, &c. Verùm enimvero vereor, ne iſti qui velint populum nihil attingere, non tam periculo commoveantur illorum quàm ſui reſpectu; videlicet ut ab ipſis ſolis velut ab oraculis petantur omnia. Quid hâc de re ſcriptum eſt? Hoc ſcriptum eſt. Quem habet ſenſum, quod ſcriptum eſt? Sic intellige, ſic ſenti, ſic loquere. Atqui iſthuc eſt bubalum eſſe non hominem. Fortaſſis movet & hoc nonnullos, quoniam animadvertunt divinas Scripturas parum quadrare ad vitam ſuam: malunt eas antiquari, aut certè neſciri, ne quid hinc jaciatur in os. Et ad humanas traditiunculas populum avocant; quas ipſi ad ſuam commoditatem probè commenti ſunt.* Hæc ante exortum Lutheri Eraſmus. Et quidem Lovanienſes Theologi in expurgatione [g] Operum ejus à Belgicis Cenſoribus comprobatâ locum hunc intactum reliquerunt. Sed Hiſpani Cenſores, oculatiores paulò, in Indice [h] librorum expurgatorum Gaſparis Quirogæ Cardinalis & Toletani Archiepiſcopi juſſu edito, eum integrum delendum cenſuerunt.

Idem in Præfatione ad Lectorem, Paraphraſi in Matthæum præfixâ. *Cur indecorum videtur, ſi quiſquam ſonet Evangelium eâ linguâ, quâ natus eſt, & quam intelligit: Gallus Gallicâ, Britannus Britannicâ, Germanus Germanicâ, Indus Indicâ? Mihi magis indecorum vel ridiculum potiùs*

[g] In Indice expurgat. excuſ. Antverp. 1571. [h] Excuſ. Madriti 1584.

videtur;

videtur; quòd idiotæ & mulierculæ, pſittaci exemplo, pſalmos ſuos & precationem Dominicam Latinè murmurant; quùm ipſæ, quod ſonant, non intelligunt. Ego cum D. Hieronymo ſentiens, citius gratuler gloriæ crucis, magnificumque cumprimis ac triumphale dixerim; ſi linguis omnibus ab omni hominum genere celebretur. Si ſtivam tenens arator aliquid ſuâ linguâ decantat è Pſalmis myſticis. Si textor aſſidens telæ, nonnihil ex Evangelio modulans, ſ[c]letur laborem. Hinc nauclerus affixus clavo cantillet aliquid. Denique ad colum ſedenti matronæ ſodalis aut cognata hinc recitet aliquid. Nec hunc locum attingunt Lovanienſes; ſed Inquiſitores Hiſpani totam Præfationem deleri jubent.

Hanc ſententiam etiam tuetur Eraſmus adversùs Nicolaum Ecmondanum [in epiſtolâ ad Nicolaum Everardum, quæ habetur lib. 21. Epiſtolarum ejuſdem.] adversùs Natalem Beddam [tomo 9. Operum, pag. 377, 378, 455, 456.] adversùs Petrum Sutorem [ibid. pag. 628, 629, 630, 652.] adversùs Theologos Pariſienſes [ibid. pag. 703, &c. 729. &c.] adversùs Albertum Pium [ibid. pag. 914, 945.]

Idem Annotat. in 1 Corinth. XIV. *Hàc in re mirum eſt, quomodo mutata eſt Eccleſiæ conſuetudo. In templis enim multi clarâ voce ſonant eas preces, etiamſi nihil intelligant.*

1523. Adrianus VI. Trajectenſis, Pontifex Romanus.

Equidem uti neminem [ad Scripturarum ſtudium] *arctari intendo; ita multò minùs omnes excuſare poſſim; cùm certum ſit unumquemque ad tantam divinæ legis arctari notitiam, quanta poſſit actus ſuos pro qualitate perſonæ citra peccatum mortale dirigere. Et de Paſtoribus quidem, quos Dominus in Eccleſiam ſuam vocavit ad ſtatum oculi, quorum eſt aliorum conſcientiis & ſaluti conſulere, non video quî ſine damnabili culpâ, omiſſâ divinæ legis notitiâ, aliis intendant. Sed ita etiam unicuique laico peccatum, niſi invicem ſibi in his quæ ad communem vitæ uſum pertinent, operam fideliter dederint. Viderint ergo etiam laici; ne apud diſtrictum judicem cenſeantur oculos à propoſito ſeu ſtatuto declinare in terram; dum pro temporalium facultatum & honorum quæſtu, divinis neglectis, humanis legibus ardentiùs invigilant, ſtudiaque divina quàm humana remiſſiùs attendunt; plùs corporis quàm animæ pabulo, profanis quàm Sacris Scripturis plùs intendant. Non, inquam, video, quomodo Deum ſalutaris ejuſdem Scripturæ inſpiratorem ſuper omnia diligant.* Citatur ab Eſpenſæo comment. in Tit. cap. 2. p. 254, 255.

1530. Beatus Rhenanus

Libro 2. Rerum Germanicarum. *Perpetua laus Francorum veterum eſt, qui ſacros libros in ſuam, h. e. Germanicam linguam vertendos curârint: quod nuper à Theologis quibuſdam improbatum ſcimus.* Hæc ille: *Novatrice aurâ afflatus*; ut veteratoriâ aurâ afflatus pronunçiat Gretſerus in Appendice ſecundâ ad librum 2. Bellarmini de Verbo Dei col. 1065. (vid. & col. 840.)

1526. Johannes Aventinus

Annalium Boiorum lib. 4. de ſui temporis Sacerdotibus & Monachis ita ſcribit. *Inter ſe mendacii ſilentium velut orgia quædam ſanciunt; quibus cæteris veluti pueris ac infantibus more ſuo fabulis inludant. Quamobrem vel pro concione indignantur, iraſcuntur, inſaniunt; ſi quis prophanus ſacras literas, mandata Chriſti comitum, ejus doctrinam legerit. Timent talpæ, ne eorum cæcitas deprehendatur, & avaritia tenebræque luce appareant.*

CAPUT

CAPUT VI.

Contraria Eccleſiæ Pontificiæ praxis & ſententia, & ſæva Orthodoxorum S. Scripturam legentium perſecutio, ſæculo poſtremo.

1506. Amerſhamenſes in Angliâ.

EX his 30. quòd contra ſuperſtitionem & idololatriam loquerentur, & ſacras Scripturas audire & legere deſiderarent; ſub Henrico Smithæo Lincolnienſi Epiſcopo, ſtigmata ferro candente dextris maxillis inuſta pertulerunt; quemadmodum ex relatione illorum, qui tum adſuerunt, prodit Joannes Foxus [a].

1511. Londinenſes.

Thomas Auſtius cum Joannâ uxore, Thomas Graunt, Joannes Garterus, Chriſtophorus Ravius cum ſorore Dionyſiâ, Thomas Vincentius, Ludovicus Johannes cum Joannâ uxore, ad Ricardum Fitz James Londinenſem Epiſcopum delati ſunt; cùm aliis de cauſis, tum quòd libros quoſdam fidei Romanæ Eccleſiæ repugnantes legerint: inter quos fuerunt IV. Evangeliſtæ, liber X. mandatorum Dei omnipotentis, Apocalypſis S. Johannis, Pauli & Jacobi Epiſtolæ [b]. Eodem anno ab eodem Epiſcopo condemnatus & combuſtus in Foro fabrili fuit die XVIII. Octobr. Jacobus Brewſter; cui inter alia objectum eſt, quòd libellum quendam Scripturæ, antiquâ manu exaratum & præ vetuſtate ferè detritum, habuerit. [Ex Regiſtro Rich. Fitz James [c].]

[a] Pag. 710. [b] Fox, pag. 735. [c] Fox, pag. 748.

1514. Richardus Hunnus.

Huic coram Londinenſi Epiſcopo objectum eſt, quòd libros lege prohibitos & damnatos ſecum retinuerit: nempe Apocalypſin, Epiſtolas & Evangelia in linguâ Anglicanâ, &c. Poſt mortem etiam ejus ex Prologo ipſius in Biblia ſua Anglicana articuli iſti excerpti ſunt, & Epiſcopi Londinenſis Richardi Fitz James juſſu ad Crucem Paulinam pro concione populo publicè recitati; 1. *Quòd pauperes & idiotæ veritatem ſanctarum Scripturarum magis habeant; quàm mille Prælati, Monachi, aut Clerici Scholaſtici.* 2. *Defendit tranſlationem S. Scripturæ in linguam Anglicanam; quod matris noſtræ ſanctæ Eccleſiæ legibus eſt prohibitum.* [Ex Regiſtro Londinenſi Richardi Fitz James [d]] Obſervetur hìc Romanæ Eccleſiæ ſententia.

1518, 1520. Londinenſes.

Richardus Butler, Johannes Samme, Gulielmus King, Robertus Durdant, & Henricus Woolman, ad tribunal Richardi Fitz James Londinenſis Epiſcopi accuſati ſunt; quòd libros quoſdam hæreticos Anglicanâ linguâ ſcriptos perlegiſſent: inter quos etiam Evangelium Jeſu Chriſti à quatuor Evangeliſtis conſcriptum, horrendâ blaſphemiâ numerârunt Pontificii. Sic enim Epiſcopi Cancellarius & Vicarius generalis, Thomas Benet Legum Doctor, Richardo Butler articulum 8. objecit in hanc ſententiam. *Item objicimus tibi* (inquit) *quòd cùm aliàs ſæpe, tum abhinc circiter triennium, nocte quâdam in ædibus Roberti Durdant de Iver Court prope Stanes, erroneè & damnabiliter legiſti in magno libro hæreſeos ejuſdem Roberti Durdant, totâ illâ nocte, capitula quædam Evangeliſtarum in linguâ Anglicanâ, continentia in ſe diverſas erroneas & damnabiles opiniones & concluſiones hæreticas, in præſentia dicti Roberti Durdant, Johannis Butler, Roberti Carder, Jenkini Butler, Wilhelmi King, & diverſorum aliorum; qui hæreſeos ſuſpecti habebantur; & tum præſentes prædictas tuas erroneas lecturas & opiniones audiebant.* [Ex Regiſtro Rich. Fitz. James [e].] Vid. infra in Anno 1521.

[d] Fox, pag 737. [e] Fox, pag. 735.

Anno

Anno 1520. alii etiam, numero 35. objurare coacti ſunt, cùm aliis de cauſis, tum etiam quòd libros Scripturæ in linguâ Anglicanâ habuerint; inter quos ſpeciatim nominantur iſti: *Liber IV. Evangeliſtarum*; *Liber Epiſtolarum Pauli & Petri*; *Epiſtola S. Jacobi*; *Liber Apocalypſeos*, *& de Antichriſto*, *&c.* [Ex eodem Regiſtro [f].]

1520. Johannes Hacker, & Alicia Doly.

Coram Doctore Londono Aliciæ ab ancillâ ſuâ Elizabethâ Wighthill objectum eſt, de Hackero (qui Londini in Colmani plateâ aquator fuit) illam aliquando dixiſſe; quòd Evangeliorum & omnium aliorum, quæ ad divina officia pertinebant, peritiſſimus fuerit; eademque ſimul & orationem Dominicam Anglicè declarare non minùs expeditè potuerit atque Sacerdotum quivis. Objectum eſt etiam, librum quendam eandem habuiſſe duodecim Fidei articulos continentem; & alium quem maximi æſtimabat, & in conclavi vel arculâ cum aliis ſemper aſſervabat. [Ex Regiſtro Lincoln. [g]]

1521. Lincolnienſes & Londinenſes.

[h] Hoc anno in Diœceſi Lincolnienſi mota eſt perſecutio à Joanne Longland Epiſcopo; ex cujus Regiſtro quorundam nomina proponentur; qui ob ſtudium legis divinæ ab Antichriſti ſatellite vexati ſunt; ut ex unius anni hiſtoriâ conjectura fiat, quantopere in Chriſti ſervos ante noſtra tempora graſſata ſit Pontificiorum tyrannis; utcunque homines impudentes clamitent, ante exortum Lutherum nulla Eccleſiæ noſtræ extitiſſe veſtigia. Certè, ſi in uno Orbis angulo, ſub denſiſſimis Papatûs tenebris, tot reperti ſunt, qui humanis commentis faceſſere juſſis, ex divinorum oraculorum fontibus (quantumvis frementibus Epiſcopis) purioris religionis dogmata haurire ſategerunt; quot extitiſſe credimus, non dico in Angliâ, ſed in univerſo terrarum orbe, qui non flexerunt genua Baali? Sed ecce ſpecimen religionis Papiſticæ!

[f] Fox, pag. 745. [g] Fox, pag. 897. [h] Fox, pag. 751, &c.

Robertus

Robertus & Richardus Bartlet fratres, ſeipſos accuſare coacti ſunt; quòd Robertus quidem legerit, Richardus ab eo didicerit, Epiſtolam Jacobi hoc modo incipientem: **James the ſerbant of God to the twelbe kindes**, &c. *Jacobus Dei ſervus, duodecim tribubus*, &c.

Agnes iſtorum ſoror, uxor Johannis Wellis, à fratribus ſuis detecta eſt; à Roberto quidem quòd Epiſtolam Jacobi ab ipſo, à Richardo verò quòd eandem à Thurſtano Littlepage Anglicè didiciſſet. Indeque ex articulis Agneti propoſitis decimus in Regiſtro notatus eſt hujuſmodi: *Utrùm Thurſtanus Littlepage eam unquam docuerit Epiſtolam S. Jacobi, vel Epiſtolas S. Pauli Anglicè, & utrùm eandem S. Jacobi Epiſtolam Thurſtano, præſente fratre ſuo Ricardo Bartlet, aliquoties repetiverit?* Item 11us & 15us. *Utrùm fratres, Richardus & Robertus, Epiſtolam S. Jacobi eam unquam docuerint; & ſi docuerint, quoties, & quo in loco?*

Thomas Chaſe à Jacobo Mordeno delatus, quòd bis auditus fuiſſet Epiſtolam S. Jacobi recitare, ita incipientem: 1 **James the ſerbant of God, and of our Lord Jeſus Chriſt, to the twelbe kindes**, &c. Item hæc verba (Luc. I. 5.) 2 **It was by the dayes of Herod King of Jews, that there was a Preiſt, Zacharye by name, and he came of the ſort of Abias, and his wife of the daughters of Aaron. Both they were juſt before God, going in all the commandments**, &c.

Agnes Aſhforde de Cheiham ab eodem delata, quòd ipſum ſequentia verba docuiſſet (ex Matthæi cap. 5.) 3 **Yee be the ſalt of the earth: if it be putrified, and baniſhed away, it is nothing worth. A Citie ſet upon an hill may not be hid. Tend ye not a candle, and put it under a buſhell; but ſet it on a candleſtick, that it may give light to all in the houſe. So**

1 *Jacobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus.*

2 *Fuit in diebus Herodis, Regis Judææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, &c.*

3 *Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Neque accendite lucernam, & ponite eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus; ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem, qui in cælis eſt. Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

ſhine your light before men, as they may ſee your works, and glorifie the father that is in heaven. No tittle nor letter of the law ſhall paſs over, till all things be done. Item quod hanc lectionem eundem docuerit (ex Matth. V. 1.) 4 Jeſus ſeeing his people: as he went up to a hill, was ſet; and his diſciples came to him: he opened his mouth, and taught them, ſaying: Bleſſed be the poore men in ſpirite; for the kingdome of heaven is theirs. Bleſſed be mild men: for they ſhall welde the earth. Quinquies ad Agneten acceſſit Mordenus ut priorem, bis ut alteram, diſceret lectionem: & utramque ipſa Agnes recitare juſſa eſt coram ſex Epiſcopis; qui ſeverè eidem interdixerunt, ne ullos omnino in poſterum, ac liberos ſuos præſertim, lectiones iſtas edoceret. [Ex Regiſtr. Longland, fol. 11.]

Henricus Miller & Joannes Phips, à Thomâ Holmes detecti, ut Scripturarum periti.

Joannes Butler faber lignarius, Richardus Butler, Wilhelmus King de Uxbridge, quòd in ædibus Durdanti de Ivencourt totâ nocte Scripturæ codicem legiſſent. Item Durdantus ſenex, quòd inter prandendum (puero, qui aſtiterat, abſcedere juſſo) liberis ſuis eorumque uxoribus loca quædam ex Epiſtolis Paulinis & Evangeliis recitâſſet. Item Jo. Butler à proprio fratre accuſatus eſt; quod librum quendam Scripturæ ipſi legiſſet, & ut eidem auſcultaret, perſuaſiſſet.

Durdantus prope Stanes, Durdantus ſenex, Iſabella T. Hardingi uxor, Hartop de Windſor, Joanna Barret uxor Joannis Barret Londinenſis, Henricus Miller, Stilmanus ſartor, accuſati omnes, quòd ad nuptias filiæ Durdanti convenientes in horreo, Epiſtolam quandam D. Pauli audiviſſent: cujus lectionem cùm reliqui, tum præcipuè Durdantus, approbârint & commendârint.

Johannes Barret aurifaber Londinenſis; quòd domi ſuæ, uxore & ancillâ præſentibus, Epiſtolam S. Jacobi (quam cum aliis multis tenebat memoriter) recitâſſet. Item Joanna uxor, quòd Joanni Scrivener Evangelium ſecundum Matthæum & Marcum mutuò commodâſſet, quem librum ipſe Epiſcopo Smitho tradidit. Item

4 *Videns autem Jeſus turbas ſuas, aſcendit ad montem; & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus; & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites; quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

Johannes Newman, quòd adfuiſſet, cùm in ædibus Johannis Barret legerentur Scripturæ.

Wilius quidam delatus, quòd Johannem & Wilhelmum Wood Evangelium Matthæi poſt Magnam abjurationem docuiſſet: quos etiam pater Robertus ſenex (Buckinghamiæ poſtea combuſtus) D. Pauli Epiſtolas docuerat.

Johannes Tracher de Cheſham, quòd Aliciam Browne (quæ eum detexit) hanc Chriſti ſententiam ex Evangelio docuiſſet: *Beati qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt illud.* Item quòd eandem octo Beatitudines linguâ Anglicanâ docuit.

Thomas Geffrey ſartor Ipſwichenſis, quòd legiſſet & docuiſſet Johannem Butler (qui eum detegere juramento coactus eſt) Acta Apoſtolorum: quódque Scripturæ librum (quem accuſatus Epiſcopo Londinenſi tradidit) in linguâ Anglicanâ habuiſſet.

Radulphus Carpenter, quòd libros quoſdam Apocalypſeos in Anglicanâ linguâ habuiſſet, &c.

Johannes Butler tres fratres ſuos, unâ cum matre Richardi Aſhforde, detexit; quòd Cheſhami in ædibus Aſhfordi duabus horis librum Actorum Apoſtolicorum Anglicè legiſſent.

Johannes Mordenus, cum fratre Richardo Aſhford, accuſatus; quòd domi ſuæ librum Evangelia & alia nonnulla capitula Anglicè tranſlata continentem habuiſſet; in quo libro ipſe ter vel quater, ſemel verò Aſhfordus frater legerit.

Geldenerus ſenior, cum duabus filiabus: quòd R. Benet Epiſtolam D. Jacobi Anglicè legentem audiviſſent.

A Johanne Groſar quæſitum eſt, num Evangeliorum librum linguâ Vernaculâ habuiſſet; qui confeſſus eſt ſe ejuſmodi librum à Tho. Tykill ſacerdote miſſatico accepiſſe, eundemque Thomæ Spenſero (qui cum uxore librum illum legere ſolebat) & poſtea Joanni Knight commodatum eſſe, qui librum Vicario de Rikemanſworth demum tradiderit.

Johannes Hill juramento coactus eſt detegere Joannem Gun de Chelſham, quòd ipſum ante abjurationem ſuam in Epiſtolâ D. Jacobi inſtituiſſet.

Robertus Pope juramento coactus eſt detegere, 1. Thomam Africum & uxorem ejus; quòd cum ipſo poſt magnam abjurationem in oppido Amerſhamenſi factam, in Evangelio S. Matthæi contuliſſent. 2. Thomam Scrivener; quòd ab eo librum Epiſtolarum in

linguâ

linguâ Vernaculâ habuiſſet. 3. Benedictum Warde de Bekenſfeilde, quòd ab eo librum X. Mandatorum accepiſſet, quódque Evangelia Matthæi & Marci habuiſſet. 4. Tho. Man cum uxore, quòd cum ipſo ſæpiùs in libris Scripturæ contuliſſent. 5. Richardum Colyns, quòd librum Lucæ & alium Pauli, necnon Gloſſam Apocalypſeos habuiſſet. 6. Thomam Colyns Richardi patrem, quòd librum Pauli & minorum Epiſtolarum habuiſſet. 7. Edwardum Pope ſuum ipſius patrem, quòd Evangelium Matthæi lectum audiviſſet, & de eodem cum filio ſuo (Roberto hoc) contuliſſet. 8. Wilhelmum Halydaie de Eaſtenred, quòd Acta Apoſtolorum Anglicè verſa ab ipſo (quùm Rogerus Dodde caperetur) ad eum allata cuſtodiviſſet. 9. Thomam Philippe & Laurentium Tayler, quòd in ædibus Richardi Colyns ex libro Anglicano Epiſtolam ad Romanos & primum caput Evangelii ſecundum Lucam legiſſent. 10. Uxores Johannis Harrys & Richardi Colyns, quòd in ædibus Johannis Harriſi de Apocalypſi & Actis Apoſtolorum eſſent collocutæ: ipſum quoque Johannem, quod de ſeptem macilentis & ſeptem pinguibus vaccis [i] loqui eſſet auditus.

Robertus Colins juramento coactus eſt detegere, 1. Richardum Colins, quòd legiſſet ipſi X. Mandata, deinde Epiſtolam Jacobi, & aliam quandam minorem Petri docuiſſet, & demum Evangelium D. Joannis Anglicè ipſi per ſe legendum tradidiſſet. Eidemque objectum eſt, quòd cùm alios libros Anglicanos, tum Evangelium Johannis, Epiſtolas D. Pauli, Jacobi & Petri, expoſitionem Apocalypſeos, librum Solomonis, &c. habuiſſet. 2. Johannem Harris, quòd cum ipſo de primo capite Evangelii Johannis, & alio Matthæi, in quo de octo Beatitudinibus agebatur, contuliſſet. 3. Ro. & W. Lyvord, Bruges & uxorem Johannam, Harris & uxorem, Richardum Colins; quòd in Brugeſii ædibus librum expoſitionem Apocalypſeos continentem ſimul legiſſent, & de apertione libri ſeptem ſigillis obſignati, &c. communicâſſent. 4. Stacyum laterarium Londinenſem, quòd librum Apocalypſeos habuiſſet. 5. Tho. Philips & Laurentium Wharſar, quòd Epiſtolam D. Petri Anglicè in ædibus Roberti Colins legiſſent.

---

i Geneſ. XLI.

Johannes Colins de Burforde ſequentes Epiſcopo detulit: 1. Rob. Colins de Aſthall, quòd legiſſet ipſi in ſpiſſo quodam Scripturæ Vernaculæ volumine. 2. Johannem Edmunds, quòd legiſſet ipſi X. mandata, docuiſſetque Johannem Baptiſtam dixiſſe, venturum poſt ſe alium, cujus non eſſet dignus qui ſolveret corrigiam calceamentorum. 3. Johannem Hacker Londinenſem, quòd Burfordam librum, in quo de X. plagis Pharaonis agebatur, ſecum attuliſſet.

Rogerus Dods de Burforde juramento coactus eſt detegere, 1. Johannem Drury Vicarium Windriſhenſem in Comitatu Wigornienſi, quòd Alphabetum ipſum docuiſſet; ut Apocalypſin intelligeret, ex quâ omnem mundi falſitatem omnemque veritatem illum percepturum aſſerebat. 2. Henricum Miller, quòd oſtendiſſet illi Hiſtoriam mulieris in Apocalypſi [k] beſtiæ coccineæ inſidentis. 3. Johannem Fippe de Hichenden, quòd Anglicè Evangelium quoddam ipſi legiſſet. 4. Johannem Lediſdall de Hungerforde, quòd Burfordiæ in ædibus Roberti Burges, unà cum Colins, Lyvordo, Thomâ Hall & aliis Biblia legiſſet. 5. Rob. & Jo. Collins cum uxoribus, quòd Biblia à Stacio 20. ſolidis emiſſent. 6. Joh. Hacker, Joh. Brabant, cum uxore, filiis & nuribus, & Reginaldum Brabant de Stanlake, quòd Stanlaki in ædibus Jo. Brabant librum quendam Scripturæ Anglicè legiſſent.

Johannes Edmunds de Burferdo detexit, 1. Aliciam uxorem Richardi Colins, quæ cùm multum Scripturarum teneret memoriter, ad conventus Burfordiæ factos accerſi ſolebat, ut X. Mandatorum declarationem cum Epiſtolis Petri & Jacobi recitaret. 2. Johannam Richardi Colins & Aliciæ filiam, quòd cum patre & matre X. mandata, VII. peccata mortalia, VII. Opera miſericordiæ, V. ſenſus corporales & ſpirituales, VIII. beatitudines, & V. Capita Epiſtolæ D. Jacobi didiciſſet. 3. Agnetem Edmunds, ſuam ipſius filiam, quòd domum Richardi Colins eam ipſe adduxiſſet, ut in lege Domini ibidem inſtitueretur: ubi etiam X. mandata, V. ſenſus, & VII. peccata mortalia didicerat.

Johannes Brabant Johannem Hacker nominavit, quòd ſacram Scripturam in ædibus paternis legiſſet; Patrem item ſuum Johannem Brabant ac matrem, quòd adfuiſſent, quùm Hackerus iſta legerit. Ubi notanda examinationis forma ab Epiſcopo Johanni

k Apoc. XVII.

Brabant

Brabant propoſita ; An ſc. unquam audivit Johannem Hacker legentem ſacram Scripturam contra determinationem Eccleſiæ. [Ex Regiſtro Jo. Longland, Lincoln. fol. 85.]

Johanna Steventon detexit Aliciam Colins, quòd Alicia docuiſſet eam X. Mandata, & primum Caput Evangelii ſecundùm Johannem ; Item Johannem Harris, quòd docuiſſet eam primum capitulum Petri.

Johannes Hacker detexit, 1. Th. Vincentium Londinenſem, quòd dediſſet Hackero librum S. Matthæi Anglicè ſcriptum. 2. Richardum Colins, quòd accepiſſet ab Hackero librum Anglicum de X. Mandatis. 3. Wilhelmum Gunne, quòd accepiſſet ab eodem, librum X. Plagarum, quibus afflictus eſt Pharao. 4. Johannem Heron, quòd Evangeliorum expoſitionem vernaculam pulchrè deſcriptam haberet. [Ex Regiſtro Longlandi Lincolnienſis.]

1523. Johannes Higges.

[m] Huic inter alios articulos ſub Cuthberto Tunſtallo Londinenſi Epiſcopo objectum eſt ; quod librum IV. Evangeliſtarum in linguâ Anglicanâ haberet, frequenterque legeret. Verùm ceſſo hìc in rebus Anglicanis ulteriùs progredi ; tùm quòd propiùs noſtra tempora attingant, tum quòd eas in Actis & Monumentis Eccleſ. Hiſt. Angl. diligenter perſecutus ſit Jo. Foxus. Illud tantùm monendum, Scripturarum in linguam Anglicanam Verſiones, quarum hìc & in ſuperioribus frequens facta eſt mentio, prioribus Seculis omnes prodiiſſe. Nondum enim Guilhelmus Tindallus, ſanctiſſimus Dei Martyr (qui primus [n] noſtris temporibus optimo ſucceſſu negotium hoc tentavit) Tranſlationem ſuam aggreſſus eſt. Ad alias verò nationes quod attinet ; memorabilis extat Hiſtoria Librarii ob Biblia Avenione vendita exuſti apud Joannem Criſpinum in Act. Martyrum lib. 3. fol. 97. b. & incolarum Merindolii, ibid. fol. 112. & Richardi Feuri, ibid. fol. 264.

---

[m] Fox. pag. 735. [n] De quo vid. Fox. pag. 983, 928, 929, 930, 931. & Matt. Parker. Hiſt. Archiep. Cantuar.

Anno 1526.

Cuthberti Tunſtalli Epiſcopi Londinenſis, poſtea Dunelmenſis, prohibitio Anglicanæ Tranſlationis Novi Teſtamenti Latinè habetur in 1ª editione Act. & Monument. Jo. Foxi, pag. 449.

Anno 1559.

In Catalogo librorum prohibitorum, Pauli IV. juſſu confecto, & Romæ anno 1559. ex decreto S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis edito, ita ſancitum legimus. *Biblia omnia vulgari idiomate ſc. Germanico, Hiſpanico, Italico, Anglico ſive Flandrico,* &c. *conſcripta, nullatenus vel imprimi vel legi vel teneri poſſint abſque licentiâ Sacri Officii S. Romanæ Inquiſitionis.* Item, *Novi Teſtamenti libri vulgari idiomate conſcripti ſine licentiâ in Scriptis habitâ ab Officio S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis nullatenus vel imprimi vel teneri poſſint.*

Anno 1564.

Poſtea in 4ª Regulâ per Patres à Tridentinâ Synodo delectos confectâ, & anno 1564. in Indice librorum prohibitorum à Pio IV. Pontifice edita in hunc modum concluſum eſt. *Cùm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari linguâ paſſim ſine diſcrimine permittantur; plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quàm utilitatis oriri: hâc in parte judicio Epiſcopi aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi vel Confeſſarii, Bibliorum à Catholicis auctoribus verſorum lectionem in vulgari linguâ eis concedere poſſint; quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe: quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate ea legere ſeu habere præſumpſerint; niſi prius Bibliis ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſint. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conſcripta vendiderint vel aliis quovis modo conceſſerint, librorum pretium in uſus pios ab Epiſcopo convertendum amittant, aliiſque pœnis pro delicti qualitate ejuſdem Epiſcopi arbitrio ſubjaceant. Regulares verò nonniſi facultate à Prælatis ſuis habitâ ea legere aut emere poſſint.* Sed iſtam Regulam reſtrin-

reſtringendam eſſe monuit poſtea Gregorius Capuccinus (unus ex Deputatis Patribus pro reviſione librorum in Civitate Neapolitanâ) in Enchiridio Eccleſiaſtico [o] edito Venet. an. 1588. *Quantum* (ait) *ad* 4^m^. *Regulam, inquam permitti Sacra Biblia vulgaria; nihilominus à R. Theologis fide dignis fuit determinatum quòd, in poſterum non concedantur: ſed cùm conditionibus poſitis in dictâ* 4^a^. *Regulâ poſſunt concedi Evangelia & Epiſtolæ vulgares, cùm quotidie in Miſſâ audiantur.* A Gregorio etiam XIII. reſtrictam eſſe illam facultatem Rainoldus [p] notat ex Septimo Decretalium lib. 5. tit. 4. cap. 6. Biblia tamen in Polonicam linguam per Jacobum Viecam Jeſuitam mandante Gregorio XIII Pontifice Maximo & approbante Clemente VIII. tranſlata eſſe notat Gretſerus in Tractatu de Novis Tranſlationibus col. 939. Vid. Poſſevinum in Jacobo Viecâ; & nota neceſſitatem quâ impulſi ſunt transferre Scripturas & Officia. Habetur quidem in Septimo Decretalium edit. Francofurt. an. 1590. pag. 542. Bulla illa à Rainoldo citata: ſed Gregorii XIII. nomen ibi per errorem pro Pio IV. eſt poſitum; cujus hæc eſt Conſtitutio in Bullario Petri Matthæi pag. 464, 465. ad verbum.

Anno 1595.

Itaque Clemens Papa VIII. cùm Indicem librorum prohibitorum denuo recognitum Anno 1595. edi juſſiſſet; ne quis per novam illam editionem, Regulæ illius 4. authoritatem denuò etiam renovatam exiſtimaret, ſequentem Obſervationem circa 4^am^ Regulam addi curavit. *Animadvertendum eſt circa ſupraſcriptam* 4^am^ *Regulam fœlicis recordationis Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem vel editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis vel Inquiſitoribus aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita: cùm hactenus mandato & uſu Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentias legendi aut retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tam Novi quàm Veteris Teſtamenti partes quavis vulgari linguâ editas, ac inſuper Summaria & Compendia etiam hiſtorica eorundem Bibliorum, ſeu librorum S. Scripturæ, quocunque vulgari idiomate conſcripta: quod quidem inviolatè ſervandum eſt.*

[o] Fol. 218. b. [p] In Theſibus, pag. 145.

Anno 1602.

Anno 1602.

Hinc Joannes Azorius Hiſpanus Jeſuita [q]: *Quæres, An Bibliorum partes, nimirum libri, aut librorum capita, in vulgares linguas tranſlata permittantur? Reſpondeo, primo aſpectu in prædictâ quartâ Regulâ ſolùm prohiberi, ne ſacra Biblia vulgari linguâ paſſim ſine diſcrimine permittantur legi, emi, retineri aut vendi. In Hiſpaniâ tamen in Indice librorum Prohibitorum ibi edito auctoritate Generalis in illis provinciis Inquiſitoris, Regula Sexta ſic habet: Prohibentur Biblia vulgari linguâ cum omnibus ſuis partibus: ac ſi dicat, Biblia & eorum partes. Et in Indice recenti edito juſſu S. D. N. Clementis VIII. in Obſervatione circa quartam prædictam Regulam Indicis editi juſſu Pii IV. ſic habetur:* [cùm] *ſublata eis fuerit* (ſc. Epiſcopis, Inquiſitoribus, & Regularium Superioribus) *facultas concedendi licentiam legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tam Novi quàm Veteris Teſtamenti partes quavis vulgari linguâ editas. Quæres inſuper an permittantur conſcripti vulgari linguâ Precationum Horariarum libelli, in quibus continentur Pſalmi & Cantica ex Bibliis excerpta? In Indice Hiſpanienſi ac Regulâ ſextâ omnes hujuſmodi linguâ Vernaculâ conſcripti libelli prohibentur. Et in Indice noviſſimè edito juſſu S. D. N. Clementis VIII. in Obſervatione circa quartam Regulam, prohibentur S. Scripturæ partes tam Novi quàm Veteris Teſtamenti quavis vulgari linguâ editæ; ac inſuper Summaria & Compendia etiam hiſtorica eorundem Bibliorum ceu librorum Sacræ Scripturæ quocunque vulgari idiomate conſcripta; quod quidem inviolatè præcipitur ſervandum.*

His addam Pontificiorum quorundam Theologorum de Scripturis & Sacris Vernaculis ſententias. Prædictus itaque Azorius eodem loco hæc habet. *Quartò quæritur, An expediat & deceat ſacra volumina in maternas, & vernaculas linguas converti? Reſpondeo, Minimè, quia detrimentum inde pateretur fidelium concordia. Deinde variæ hæreſum & errorum cauſæ naſcerentur. Præterea magna inſcitiæ & ignorantiæ cauſa in Republicâ Chriſtianâ ſequeretur. Ex varietate etiam, incertitudine & multitudine Verſionum contentiones innumeræ, diſſidia, ac infinita propemodum alia incommoda & mala provenirent.* Atque iterum, *Quicquid Lutherani & Calviniſtæ ſibi velint & obſtrepant; error eſt intolerabilis aſſe-*

[q] Inſtitut. Moral. lib. 8. cap. 26.

rere

rere publicas Eccleſiæ ad Deum precationes vulgari idiomate cantari, recitari & fundi debere: & neminem fidelium earum fructùs poſſe eſſe participem, niſi intelligat idioma quo recitantur. Mos enim generalis Eccleſiæ habet, ut non niſi certis quibuſdam linguis Hebraicâ nimirum, Syriacâ, Græcâ & Latinâ, celebrentur: qui mos plurimis abhinc annis in Eccleſiam inductus & nunc retinetur & ſervatur. Quæres, an expediat prædicta publica Officia vulgari linguâ celebrari? Reſpondeo, Nequaquam: quia multa hinc incommoda naſcerentur; ut paulò antè vidimus. Porrò non idem juris eſt de privatis precationibus, quas quivis fundit ad Deum, nec de iis quæ ad Catechiſmum ſpectant; quale eſt Apoſtolorum Symbolum, Salutatio Angelica, & cætera Chriſtianæ fidei rudimenta. Hæc enim licèt Latinè ſæpe tradantur, maternâ tamen linguâ proponi & addiſci ſolent; quia publica Eccleſiæ officia minimè cenſentur. Hæc Azorius.

Joannes Molanus in Theologiæ Practicæ compendio Tractat. 3. cap. 27. Concluſ. 2. ſect. 16. *Negamus à vulgo Chriſtianorum requiri ſtudium Scripturarum; immò ſalubriter dicimus eos à lectione Scripturarum arceri; ſufficereque eis, ut ex præſcripto Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ vitæ curſum moderentur.*

Jacobus Ledeſima de divinis Scripturis quavis linguâ non legendis, cap. 2. *Pro fide Catholicâ ſcopus hic præcipuus noſtræ diſputationis erit; ut oſtendamus divinas Scripturas non eſſe quâvis paſſim vulgari linguâ vertendas, nec omnibus ſine diſcrimine communicandas.*

Concilium Mediolanenſe III. (Caroli Borromæi) ita ſtatuit [r]: *Libri de officio & precibus horariis Beatæ Mariæ Virginis vulgariter, vel Italicè, vel Gallicè, vel Hiſpanicè, vel Germanicè, vel partim Latino, partim vulgari ſermone expreſſi, venales ne proponantur neque vendantur. Siqui verò eos adhuc habent; ad ſacræ Inquiſitionis Officium ſtatim deferre compellantur; ut editâ à Pio V. Conſtitutione ſancitum eſt* (præfix. Officio 3. Mariæ.)

In Clementin. de Celebrat. Miſſarum lib. 3. cap. 1. Gravi. gloſ. ver. Fructum. *Et arguitur* (inquit) *ex hoc, quòd ſatis eſt labiis ſervire in divinis Horis, licèt cor divertat ad alia.* Romani tamen Correctores hujuſmodi antidotum apponunt ad marginem. *Priuſquam deſcendas in hanc Gloſſæ ſententiam; conſule Theologos, & præſertim B. Thomam lib. 4. Sent. diſt. 15. qu. 4. art. 1. & ibidem Paludanum diſt. 15. qu. 5. & Gabrielem in Canonem Miſſæ lect. 62.*

r Tomo ult. Concil. edit. Venet. pag. 588.

Anglo-

Anglo-Rhemenſes in 1 Cor. XIV. *Populus Chriſtianus antiquæ ſuæ conſuetudini parere debet, & Latinis precibus uti potiùs quàm vulgatis.* Contra Eraſmus in 1 Cor. XIV. *Hâc in re mirum eſt, quomodo mutata eſt Eccleſiæ conſuetudo.*

Tho. Boſius in Præfatione libri de Italiæ ſtatu. *Nos contendimus ex antiquo tempore adversùs Hæreticos myſteria noſtra non eſſe vulgaribus linguis explicanda, ſed Latinæ linguæ omnino relinquenda.*

Petrus Licetius ſcripſit Dialogum de ſacris utriuſque Teſtamenti libris in vulgare idioma, ſive (uti ille vocat) Eloquium minimè vertendis, rudique plebi haudquaquam invulgandis [Poſſevinus.] Idem argumentum tractârunt Hoſius Cardinalis Varmienſis in Dialogo De ſacro vernaculè legendo: Jeſuitæ authores Colonienſis Cenſuræ in Præfationem Monhemii; Joannes Heſſels Oratione de divinorum Officiorum in linguâ Latinâ celebratione; Hardingus articulo 3. & 15. contra Juellum; Sanderus in declamatione de linguis divinorum Officiorum [In Vitâ quidem ejus legimus ſcripſiſſe eum de divinis Officiis non celebrandis in linguâ vulgari librum 1. ſed nondum editum: ejus ſententiam videre licet in lib. de Viſib. Monarch. pag. 597. & præfat. in Petram Eccleſiæ, & lib. de Imag.] Robertus Bellarminus in Prælectionibus Romæ habitis Anno 1576. editis Ingolſtadii Anno 1587. quem ſecutus eſt in Controverſiarum Epitome MS. Perſonius: Coſterus in Enchiridio: Rhemenſes in Præfatione Novi Teſtamenti, & in 1 Corinth. XIV. Tho. Stapletonus in Relectione Principiorum Doctrinalium editâ Anno 1596. & in Antidotis 1 Corinth. XIV. à pag. 718. ad 734. Fr. Agricola de Verbo Dei: Reginaldus & Giffordus in Calvino-Turciſmo lib. 4. cap. 7. Staphylus in Apologiâ: Alphonſus Salmeron in 1 Corinth. [Tom. 14. à pag. 255. ad 273.] Martinus Pereſius de Traditionibus, fol. 41. b. 44. a.

Nullus ex Catholicis eſt, qui non exiſtimet, abſolutè & ſimpliciter longè magis è re Chriſtianâ fore, ſi abſtineremus à Verſionibus vernaculis: ait Jac. Gretſerus in Examine 2. Diſputat. Pappicæ, col. 2009.

CAPUT

CAPUT VII.

DECRETA ECCLESIASTICA.

SECT. I.

Ex Conciliorum Sententiis.

Anno 325.

IN Concilio Nicæno ſancitum eſt, *Ne quis Chriſtianus ſacris Bibliorum voluminibus careret*; quemadmodum contra Beddam & Sutorem aſſerit Eraſmus (tom. 9. Operum, pag. 378. 456. 652.) & Cornelius Agrippa de Vanitate Scient. cap. 100.

Anno 341.

Concilium Antiochenum, can. 2. (1) *Statuitur, ut quicunque non communicantes nec orationem facientes, Scripturas tantum divinas in Eccleſiâ audire voluerint, abjiciantur:* [a] Sicut etiam refert Fulgentius Ferrandus in Canonum Breviario §. 168. Idem ipſum decretum habetur in Capitulis Græcarum Synodorum à Martino Bracarenſi Epiſcopo collectis, can. 83. & in Canone 10. (qui dicuntur) Apoſtolorum, his verbis: Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιςοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή, h. e. (ut ad verbum vertit Dionyſius, ſeu quiſquis erat Author verſionis illius veteris, quæ in Iſidori collectione Conciliorum habetur) *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem*

[a] Confer. Cæſarium Homil. 5. de divin. myſter. & homil. 12. in Biblioth. Patr.

(1) Πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δ' εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, — τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας.

perſeverant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari. Gratianus verò hunc Canonem Decreto ſuo inſerens (de Conſecrat. diſt. 1. cap. *Omnes fideles*) ita refert: *Omnes fideles, qui conveniunt in ſolennitatibus ſacris ad Eccleſiam, & Scripturas Apoſtolorum & Evangelium audiant.* Sed utcunque ſit, ex Canonibus iſtis ſatis apparet, fideles Laicos (de quibus Canones iſti agunt, ut rectè notatum eſt in Creſconii Breviario Canonum §. 12.) priſcis illis temporibus Eccleſias veluti Auditoria quædam frequentáſſe; uti ex ſacris Scripturis publicè prælectis Dei voluntatem poſſent intelligere. [b] Verùm cùm illi ad precum & ſacræ Cœnæ communionem inſuper admitterentur; etiam Catechumeni & Energumeni, & qui pœnitentiam agebant, Pſalmodiam & divinam ſanctarum Scripturarum lectionem audiebant: ut eſt apud Dionyſium de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3. in Θεωρίᾳ τοῦ τῆς Συνάξεως μυστηρίου, pag. 16. vel 25. edit. Latin. οὐ γὰρ θεμιτὸν αὐτοῖς (ait ille pag. 28, 29.) ἑτέρου τινὸς ἱεροῦ μεταχεῖν, ἢ τῆς τῶν λογίων ἐπιστρεπτικῆς ἐπὶ τὰ κρείττω διδασκαλίας i. e. *Neque enim fas eis eſt alterius cujuſlibet ſacræ rei eſſe participes, quàm eloquiorum Dei, quorum magiſterio poſſunt ad meliorem converti frugem.* Atque hinc in Vetere Eccleſiâ fuit illa pœnitentium claſſis, qui in Concilii Nicæni I. Canone 11. & 14. ἀκροώμενοι, h. e. *Audientes* [c] (ut etiam eos Tertullianus in lib. de Pœnit. cap. 6. & 7. & Cyprianus lib. 3. epiſt. 17. & 22. vocant) appellantur: cujus etiam conſuetudinis in 12. ejuſdem Concilii, itemque 4, 6, & 9. Ancyrani Concilii Canone mentionem factam legimus. Dicebatur enim ἀκρόασις, *cum quis ad Eccleſiæ fores ſtans divinas Scripturas audiebat*; ut ad tertiam Orationem Gregorii Nazienzeni adverſus Julianum notat Elias Cretenſis. Unde Gregorius Neocæſarienſis in epiſtolâ Canonicâ de iis qui in Barbarorum incurſione peccârunt, can. 11. (3) *Auditionem* inquit *eſſe intra portam, in loco, quem* νάρθηκα (i. e. *ferulam*) *vocant; ubi oporteat eum qui peccavit, ſtare poſt Catechumenos: & ubi Scripturas & Doctrinam audierit, inde egredi; ut qui indignus habeatur, qui precationi interſit.*

[b] Vid. Concil. Carthag. IV. can. 84. [c] Vid. Theoriani colloquium cum Armeno, p. 153.

(2) Ubi ἀκροᾶσθαι exponitur τῶν θείων ἀκούειν γραφῶν.

(3) Ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. ἀκούων γάρ, φησί, τῶν γραφῶν καὶ τῆς διδασκαλίας, ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς.

Anno

Anno 381.

In Canone 7. Concilii Conſtantinopolitani I. ubi de iis qui in Eccleſiam recipiendi ſunt, agitur, iſta legimus: (4) *Atque ibi catechizamus ſive inſtituimus, & erudimus eos, damuſque operam ut longiore tempore maneant ac verſentur in Eccleſiâ, diligenterque & attentè audiant Scripturas: tunc tandem eos baptizamus.* [Ex Synodicarum Conſtitutionum libello, Tom. 1. Concil. edit. Colon. 1551. pag. 552. Laur. Sifano interprete.]

Anno 393.

In Concilio Hipponenſi de Lectoribus ſtatutum eſt, cap. 20. *Ut uſque ad annos pubertatis legant; ut verò ante 25 annos non ordinentur Clerici, niſi primùm divinis Scripturis inſtructi, vel ab infantiâ eruditi, propter fidei profeſſionem vel aſſertionem.* cap. 2. tom. 1. Concil. edit. Venet. an. 1551. p. 434.

Anno 398.

In Concilio Carthaginenſi 4. cap. 84. *Statutum eſt, ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad miſſam Catechumenorum.*

Anno 507.

In Valentino Hiſpaniæ Concilio (5) congregati Patres: *Antiquos* (inquiunt cap. 1.) *Canones relegentes, inter cætera hoc eſſe cenſuimus obſervandum: ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſâ Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur; quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermones ſacerdotis, non ſolum fideles, ſed etiam Catechumeni ac Pœnitentes, & omnes qui è diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione auditâ nonnullos attractos ad fidem evidenter ſcimus.* [tom.2. Concil. edit. Nicolini, pag. 538.]

(4) Καὶ οὕτω κατηχοῦμεν αὐτοὺς καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.

(5) Ad annum 524. Concilium iſtud retulit Laubæus Concil. tom. 4. p. 1617.

Anno 518.

In (6) Actione 1. Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Mennâ celebratæ contra Anthimum ita legimus: (7) *Magnâ autem horâ ex utrâque parte conſiſtentibus, & pſallentibus hanc Pſalmodiam Cantores ſupervenientes converterunt ſe dicere Triſagium. Et cùm ipſi incæpiſſent, totus populus quievit, & audiebat attentis auribus Triſagium. Et poſt lectionem ſancti Evangelii ex more ſacrâ Miſſâ finitâ* (Catechumenorum ſc. ſic Baronius) *& januis clauſis, ac ſanctâ lectione juxta conſuetudinem lectâ, tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno ſilentio circumcirca altare, & audiebant.* (tom. 2. Concil. edit. Nicolin. p. 601.)

Anno 633.

Concilium Toletanum 4. can. 24. *Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui dicendi officium in populis ſuſceperant. Sacerdotes enim legere ſanctas Scripturas frequenter admonet Paulus*, &c. [Quam ſententiam etiam retulit Burchardus in Decret. lib. 1. cap. 100. Ivo par. 5. cap. 202. & Gratianus in Decret. par. 1. Diſtinct. 38. §. *Ignorantia mater.*] Hìc obſerva. 1. Ignorantiam matrem eſſe cunctorum errorum. 2. Corrigendam eſſe ſacrarum Scripturarum lectione. 3. Vitandam etiam eſſe à laicis, licèt maximè à ſacerdotibus. Contra verò Pontificii craſſam illam in vulgo ignorantiam, implicitæ fidei nomine defendunt, eamque ut pietatis & devotionis matrem commendant; populumque à Scripturarum in linguâ vernaculâ lectione, veluti errorum atque hæreſium parente, homines impii abigunt.

(6) In editione Gr. *Paris*, 1618. eſt Actio Quinta. Locus exſtat p. 689.

(7) Τότε φωνῇ μεγάλῃ πάντες οἱ τοῦ λαοῦ, ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος ἐβόησαν. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι ἐπεσκέψατο, &c. Ἐπὶ πολλὴν δὲ ὥραν ἀντιφωνούντων ἑκατέρων τῶν μερῶν, καὶ ψαλλόντων τὴν ψαλμῳδίαν ταύτην, οἱ ψάλται ἐπιστρέψαντες ἀνελθόντες εἰπεῖν τὸ τρισάγιον, καὶ αὐτῶν ἀρξαμένων πᾶς ὁ λαὸς ἐπαύσατο, καὶ ὑπήκουε τοῦ τρισαγίου, καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, ἐξ ἔθους τῆς θείας λειτουργίας ἐπιτελουμένης, καὶ τῶν θυρῶν κλεισθεισῶν, καὶ τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ σύνηθες λεχθέντος, τῷ καιρῷ τῶν διπτύχων μετὰ πολλῆς ἡσυχίας συνέδραμον ἅπαν τὸ πλῆθος κύκλῳ τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἠκροῶντο. *Tunc voce magnâ omnes de populo tanquam uno ore clamârunt*: Benedictus Dominus Deus Iſrael; quia viſitavit, *&c. Ad multas autem horas illis ex utrâque parte concinentibus*, &c. Sic habet antiqua verſio, Græco magis conſona, in edit. G. L. *Pariſ.* 1618. f.

Anno

Anno 692.

Synodus Conſtantinopolitana in Trullo (quæ Quiniſexta ſeu Πενθέκτη dicitur) Canone 66. ita ſtatuit: (8) *A ſanctâ Chriſti Dei noſtri reſurrectionis die uſque ad novum Dominicum totâ Septimanâ in Eccleſiis vacare fideles jugiter oportet pſalmis & hymnis & ſpiritualibus Canticis, in Chriſto gaudentes, feſtumque celebrantes, & divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis myſteriis jucundè & lautè fruentes. Sic enim cum Chriſto exaltabimur, & unà reſurgemus,* (tom. 3. Concil. p. 403.). Ibid. Can. 75. (9) *Eos qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ Eccleſiæ non conveniunt & apta non ſunt, adſciſcere; ſed cum magnâ attentione & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector, offerre.* [Refertur iſte Canon à Photio in Nomocanonem, tit. 3. cap. 2.]

Anno 747.

In Anglicanâ Synodo, quæ anno 33. Æthelbaldi Regis Merciorum coacta eſt (ut refert Wilhelmus Malmesburienſis, lib. 1. de geſtis Pontif. Angl. p. 112. editionis Savilianæ) decretum eſt; [d] *Ut per monaſteria lectio ſacrarum ſcripturarum frequentetur.* Et ut Presbyteri *Dominicam Orationem & Symbolum Anglicè diſcant & doceant.* At *hodie* (ut conqueſtus eſt Trithemius, lib. 2. epiſt. 1. ad Jacobum fratrem ſuum) *ſtudium Scripturarum à multis clauſtralibus omnium pene Regularum contemnitur, & in paucis vigere monaſteriis videtur.* Immò & Regularibus interdictum eſt (in Indice librorum prohibit. edit. à Pio IV. Reg. 4.) ne Biblia vel à Catholicis authoribus verſa legant, niſi facultatem à Prælatis ſuis habuerint. Quàm verò religiosè alterum illud præceptum de Oratione Dominicâ & Symbolo Anglicè

[d] Vid. Fox. pag. 182. 85.

(8) Ἀπὸ τῆς ἁγίας ἀναστασίμου, &c. τὴν ὅλην ἑβδομάδα ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις σχολάζειν δεῖ ἀπαραλείπτως τοὺς πιστοὺς ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, εὐφραινομένους ἐν Χριστῷ καὶ ἑορτάζοντας, καὶ τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει προσέχοντας, &c.

(9) Τοὺς ἐπὶ τῷ ψάλλειν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις παραγινομένους, βουλόμεθα μήτε βοαῖς ἀτάκτοις κεχρῆσθαι, &c. ἀλλὰ μετὰ πολλῆς προσοχῆς καὶ κατανύξεως τὰς τοιαύτας ψαλμῳδίας προσάγειν τῷ τῶν κρυπτῶν ἐφόρῳ Θεῷ.

docendis

docendis ſervaverint Presbyteri Anglicani, vel illud Richardi Fitz-James Londinenſis Epiſcopi factum oſtendit; qui Joannem Coletum (niſi Gulielmus Warhamus Archiepiſcopus Cantuarienſis opem ei tuliſſet) eo nomine hæreſeos reum peregiſſet, quòd Orationem Dominicam in linguam Anglicanam tranſtuliſſet: (quemadmodum refert contra Tho. Morum, Gulielmus Tindallus [e]) nec non Coventrienſis Epiſcopi (qui eo tempore, anno ſc. 1519. erat Galfridus Blitheus) qui è diœceſi ſuâ ſex viros unà cum viduâ igni adjudicavit; quòd liberos & domeſticos ſuos Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum, & Decalogum linguâ Anglicanâ docuiſſent: quemadmodum ex teſtimonio eorum, qui tum præſentes adfuerant, refert Jo. Foxus: [f] Quâ de re vid. Sutlivium in reſponſione ad poſtremam partem libri R. Perſonii de 3. concluſionibus, p. 62, 63. Similiter Norvicenſis Epiſcopus anno 1507. apud Balæum (qui tunc aderat) præfat. in tract. Joh. Lamberti de Sacramento altaris: Pari modo anno 1521. coram Jo. Longlando Lincolnienſi Epiſcopo Joannes Mordenus & uxor ejus à Jacobo Mordeno nepote accuſati ſunt, quòd domi ſuæ, eo præſente, Decalogum Anglicè recitaſſent (Fox, p. 752. ex Regiſtro Longlandi Lincoln. fol. 15.) Alicia Atkins ab eodem Jacobo Mordeno accuſata, quòd ab ipſâ Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolicum linguâ vernacula didiciſſet[g] Jacobum verò illum propria ſoror juramento accuſare coacta eſt; quòd eam Orationem Dominicam, Symbolum, & Salutationem Angelicam Anglicè docuiſſet. [h] Sed & Wilhelmus Littlepage juramento coactus accuſavit Thurſtanum Littlepage; à quo Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam; & Joannem Frier, à quo Decalogum linguâ vernaculâ didiciſſet (Symbolum enim ab aviâ didicerat) atque etiam fratrem ſuum Jo. Littlepage, quòd ab Aliciâ uxore Thurſtani Littlepage Decalogum Anglicè didiciſſet. (Ibid. apud Fox, p. 755. quem etiam vide p. 610. 713. & ſupra in anno 1485.) Atque hæc fuit miſeranda illa ſervitus, quâ à Clero Papiſtico populus Anglicanus detentus eſt: priuſquam ab Henrico VIII. (abdicatâ Romani Pontificis tyrannide) anno 1536. Regiâ authoritate injunctum eſt: ut omnes ab infantiâ Orationem Dominicam, Articulos fidei, & Decalogum linguâ maternâ ediſcerent. Sed & quingentis ante Henricum annis Canutus [i] rerum ſummam in Angliâ

[e] Lib. 3. cap. 15. [f] Pag. 887. Actorum ſub Henrico VIII. [g] Ibid. [h] Ibid. apud Fox. p. 754.
[i] In Ἀρχαιονομίᾳ à Gul. Lambardo editâ.

obtinens

obtinens lege latâ cavit, ut *unuſquiſque Chriſtianus operam daret, ut Orationem ſaltem Dominicam & Articulos fidei intelligeret: quandoquidem per primum illud Deum invocent Chriſtiani, per alterum rectam fidem profiteantur.* Sed & Carolus Magnus in conſtitutionibus factis anno regni ſui undecimo *ex Concilii conſenſu* ſtatuit,
ut *Epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas Parochias* . Anno 779.
Presbyterorum fidem, &c. *ut Miſſarum preces bene intelligant, & ut Pſalmi digne ſecundùm diviſiones verſuum modulentur; & Dominicam Orationem ipſi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut unuſquiſque ſciat quid petat à Deo: & ut Gloria Patri, cum omni honore apud omnes cantetur; & ipſe ſacerdos cum ſanctis Angelis & populo Dei communi voce Sanctus, Sanctus, Sanctus, decantet* [pag. 251. editionis quœ prodiit Moguntiæ anno 1602. cum Epiſtolis Hincmari: Habetur etiam in Legum ab Anſegiſo collectarum libro 1. capitulo 70.]

Anno 787.

Concilium Nicænum II. Can. 2. Ἐπειδήπερ ψάλλοντες συντασσόμεθα τῷ Θεῷ. Ἐν τοῖς δικαιώμασί σου μελετήσω, καὶ οὐκ ἐπιλήσομαι τῶν λόγων σου. πάντας μὲν Χριστιανοὺς τοῦτο φυλάττειν σωτήριον, κατ' ἐξαίρετον δὲ τοὺς τὴν ἱερατικὴν ἀμπεχομένους ἀξίαν. *Quoniam dum Pſalmos canimus, Deo in hac verba promittimus,* [k] In Juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar eloquiorum tuorum: *Omnes quidem Chriſtianos hoc ſervare ſalutare eſſet, eos autem præcipuè qui ſacerdotalem dignitatem obtinent* (ut ſc. (10) *in omni divinâ Scripturâ verſentur, & populum doceant*, quemadmodum paulò pòſt ſequitur.)

Anno 813.

Rhemenſis Synodi (Caroli M. juſſu anno 813. habitæ) capitulum 1. eſt de fidei ratione; ut *unuſquiſque juxta intellectum ſuæ capacitatis Domino largiente diſceret & intelligeret, atque operibus pleniter obſervaret.* 2. Ut *Orationem, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus diſcipulos ſuos orare docuit, verbis diſcerent, & ſenſum bene intelligerent:*

[k] Pſal. 119.

(10) Κατὰ τὰ θεῖα ἐντάλματα ἀναστρέφεσθαι, καὶ διδάσκειν τὸν κατ' αὐτὸν λαόν.

quia

quia illam ignorare nulli Chriſtiano licet. Sic libro 5. Legum Franc. à Benedicto Levitâ collect. capitulo 103. ſtatutum eſt, ut *omnes qui Chriſtiano nomine cenſentur, Orationem Dominicam & Symbolum memoriter teneant & intelligant.* Et libro 6. cap. 163. ut *fideles Orationem Dominicam diſcant & intelligant, & ſuis ſacerdotibus eam verbo ex verbo reddant, & aliis fidelibus, qui eam neſciant, doceant.* Et in Capitulo 7. eorum (11) quæ falsò tribuuntur Synodo VI. Conſtantinopolitanæ (& in Anſelmi Lucenſis Collectione Decretorum habentur, ut annotatum eſt à Romanis correctoribus ad Gratiani Decretum diſt. 16. cap. 10.) [l] *Commonendi ſunt fideles omnes à minimo uſque ad maximum, ut Orationem Dominicam & Symbolum diſcant; & dicendum eſt eis, quòd his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit. Et niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſimè frequentaverit, Catholicus eſſe non poterit,* (tom. 3. Concil. edit. Nicolin. p. 388.) Capitulum iſtud eſt (12) cap. 23. Epiſtolæ Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi. Et in Germaniâ quidem ad noſtra uſque tempora Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Apoſtolorum Symbolum, & Decalogi præcepta ſic in linguâ vernaculâ fuiſſe retenta, ut in animos hominum unà cum materno lacte inſtillarentur, ex capite 25. Synodi Diœceſanæ Auguſtenſis (anno 1548. celebratæ) colligitur, ubi etiam plebanis Eccleſiarum parochialium præcipitur, ut ſingulis diebus Dominicis, finitâ concione, omnia vernaculo ſermone *diſtinctè ac tractatim ita prælegant; ut populus legentem repetitione ſubſequi, ea diſcere, & memoriæ mandare poſſit* (tom. 5. Concil. p. 308.) Cum Gallis verò haud multò meliùs actum eſſe quàm cum Anglis, vel illud Cabilonenſis Epiſcopi factum oſtendit (à Criſpino [m] commemoratum) qui Merindolii pueris grandiuſculis ſimul & parvulis ad ſe vocari juſſis, pecuniam ſingulis largitus, blandè præcepit, ut Orationem Dominicam cum Symbolo Apoſtolorum Latino idiomate ediſcerent. Pleriſque autem eorum excipientibus ſe Latinè quidem nôſſe Pater Noſter & Credo, non poſſe tamen reddere rationem eorum quæ recitarent, niſi ſuo, i. e. Gallico idiomate; reſpondit egregius Epiſcopus, non requiri tantam in ipſis ſcientiam, ſatis eſſe

[l] Vid. hâc de re Bedæ Epiſtolam ad Egbertum Eboracenſem Archiep. paulò ante mortem ſcriptam: quam MS. habeo. [m] Lib. 3. Act. Martyr. fol. 112.

(11) Concil. Labb. tom. 6. p. 1256. 12. cap. 22. in edit. Concil. Lab. tom. 7. p. 141.

modò

modò ea Latinè tenerent, neque ad ſalutem conducere tam exactam fidei rationem atque intelligentiam: multos Epiſcopos, Parochos, quinetiam Doctores Theologiæ inveniri; quibus ſatis negotii exhiberet vel tenuis ac rudis expoſitio Orationis Dominicæ aut Symboli Apoſtolici.

Anno 816.

Aquiſgranenſe Concilium (Ludovici I. Imp. juſſu habitum) capite 3. Lectoris Officium proponens ex Iſidoro de Eccleſiaſt. Officiis lib. 2. cap. 11. *Sic expeditus* (inquit) *vim pronuntiationis tenebit; ut ad intellectum omnium mentes ſenſuſque promoveat, diſcernendo genera pronuntiationis, atque exprimendo omnium ſententiarum proprios effectus.* Et poſt. *Auribus & cordi conſulere debet Lector, non oculis: ne potiùs ex ſeipſo eos ſpectatores magis quàm auditores faciat.* Et cap. 132. *Pſallentium in Eccleſiâ Domino mens concordare debet cum voce; ut impleatur illud Apoſtoli,* [n] Pſallam ſpiritu, Pſallam & mente. Et cap. 133. *Tales ad legendum, cantandum & pſallendum in Eccleſiâ conſtituantur, qui non ſuperbè ſed humiliter debitas Domino laudes perſolvant; & ſuavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant & minùs doctos erudiant, plúſque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adulationem. Qui vero hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à Magiſtris, & inſtructi hæc adimplere ſtudeant, ut audientes ædificent.* Hinc probabiliter colligitur ſacra hoc tempore ita eſſe peracta, ut à populo aliquo modo intelligi poſſent: cum quibus conferantur leges illæ (Caroli M. ut videtur) à Benedicto Levitâ collectæ, libro 6. Capitularium: quarum una, cap. 173. ita habet. *Placuit ut fideles ſilentium in Eccleſiâ teneant, & devotè verbum Dei audiant.* Altera, cap. 192. *Admoneant Presbyteri plebem, ut in Eccleſiâ verboſitare non præſumant; ſed cum fletu & cum compunctione cordis Dei implorent auxilium tam pro ſe, quàm & pro proximis ſuis. Et quando Presbyter celebrat Miſſam, corda illorum ſemper ad cæleſtia adtendant. Et quando ſanctæ lectiones vel Evangelia recitata fuerint, cum ſilentio & devotâ mente pariter audiant, ſicut Deus dixit per Moyſen,* Audi Iſrael & tace. Et cap. 43. Concilii Moguntiaci anno 813. Caroli M. juſſu celebrati, quod ita habet: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare valet rectè. Quomodo enim*

[n] 1 Cor. XIV.

dicet, Dominus nobiſcum, *vel* Surſum corda *admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cùm alius nemo cum eo ſit?* (Habetur etiam in Legibus à Benedicto Levitâ collectis, lib. 5. capit. 93.) Si populus ſacerdotem non intellexiſſet, perinde eſſet, utrùm ſolus hæc verba pronuntiâſſet ſacerdos, an præſente populo. *Ideo enim ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſâ parat fratrum mentes dicendo* [ſurſum corda] *ut dum reſpondet plebs* [Habemus ad Dominum] *admoneatur nihil ſe aliud quam Dominum cogitare debere,* ut eſt in Decreto de Conſecrat. Diſt. 1. cap. *Quando autem.* [Ex Cypriano de Orat. Dominic. de quo ſupra ad annum 250.]

Anno 950.

Anglo-Saxonum Synodus anno 950. Vid. ſupra ſub Ælfrico.

Anno 1215.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 9. ita ſtatuit: *Quoniam in pleriſque partibus infra eandem civitatem atque diœceſin permixti ſunt* (13) *populi diverſarum linguarum, habentes ſub unâ fide varios ritus & mores: diſtrictè præcipimus, ut Pontifices hujuſmodi civitatum ſive* (14) *diœceſium provideant viros idoneos, qui ſecundùm diverſitates rituum & linguarum divina illis officia celebrent, & eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo.* [Tranſlatum eſt etiam hoc Decretum à Gregorio IX. in primum librum Decretal. tit. 31. de offic. judicis ordinarii, cap. 14. Quoniam pleriſque].

Concilium Oxonienſe. Vid. ſupra ad ann. 1407.

(13) Pro *populi* legit *plurimi,* Codex MS. Lambethanus.

(14) *Diœceſis.* Cod. Lamb.

SECT.

SECT. II.

Ex Jure Civili, ſententiiſque Imperatorum ac Regum.

Anno 541.

IN Authenticis Collat. 9. tit. 20. Novell. Conſtitut. 137. Juſtiniani Imp. Sanctio (Antonio Contio interprete) in hæc verba habetur. *Jubemus omnes Epiſcopos & Presbyteros* (15) *non in ſecreto, ſed cum eâ voce, quæ à fideliſſimo populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in ſancto baptiſmate, facere; ut inde audientium animi in majorem devotionem, & Dei laudationem & benedictionem efferantur. Sic enim & divinus Apoſtolus docet, dicens in priore ad Corinthios Epiſtolâ:* Cæterùm (*inquit* [o]) ſi ſolùm benedicis ſpiritu; is qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni ſubjiciet *Deo ſanctum illud* Amen: Siquidem quid dicas non novit: tu autem pulchrè gratias agis, ſed alius non ædificatur. *Et rurſus in eâ quæ eſt ad Romanos, ſic dicit* [p] Corde quidem creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. (16) *Idcirco igitur convenit, ut ea precatio, quæ in ſanctâ allatione dicitur; & aliæ orationes cum voce à ſanctiſſimis Epiſcopis & Presbyteris proferantur Domino noſtro Jeſu Chriſto Deo noſtro cum Patre & Spiritu Sancto: ſcituris religioſiſſimis ſacerdotibus, quòd ſi quid horum contempſerint, & horrendo Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti judicio rationem reddituri ſunt, & nos iſta cognoſcentes non relinquemus quieta & inulta.* [Hactenus Juſtinianus, p. 346. editionis Dionyſii Gothofredi, quæ prodiit Lugduni, an. 1585. Eſt in Novellis Conſtitutio 123. A Photio in Nomocanone, tit. 3. cap. 1. Et à Balſamone ejus ſcholiaſte citatur nomine 17. Conſtitutionis primi tituli Novellarum.] Vid. Fox. p. 1922.

[o] 1 Cor. XIV. 16. [p] Rom. X. 10.

(15) Μὴ κατὰ τὸ σεσιωπημένον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῷ πιστοτάτῳ λαῷ ἐξακουομένης τὴν θείαν προσκομιδὴν καὶ τὴν ἐπὶ τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι, προσευχὴν ποιεῖσθαι, πρὸς τὸ κἀντεῦθεν τὰς τῶν ἀκουόντων ψυχὰς εἰς πλείονα κατάνυξιν καὶ τὴν πρὸς τὸν δεσπότην θεὸν διανίστασθαι δοξολογίαν.

(16) Διὰ ταῦτα τοίνυν προσήκει τὴν ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ προσκομιδῇ καὶ τὰς ἄλλας προσευχὰς μετὰ φωνῆς παρὰ τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων προσφέρεσθαι τῷ κυρίῳ ἡμῶν, &c.

Anno 552.

Ibid. tit. 28. Novel. Conſtitut. 146. quacunque linguâ legi vult Juſtinianus ſacros libros, *improbans verſutiam Judæorum, qui quò faciliùs linguæ Hebraicæ ignaris imponerent, non aliam quàm Hebraicam linguam recipiebant* (ut monet in declaratione hujus Conſtitutionis Jac. Cujacius) *Unde fiebat, ut ſimplicioribus, quos vellent, ipſorum magiſtri magno illorum damno propinarent errores* (ſicut ipſe agnoſcit Baronius, an. 552. §. 1.) Statuit igitur Imperator, ut in Synagogis illorum ſacri libri (17) *in omni linguâ, quam locus accommodatiorem & magis familiarem redderet,* auditoribus legerentur; *quò magis per ipſorum lectionem intelligentibus tota dictorum ſeries ordine manifeſta ſit, ſecundumque ea & vitam & ſtudia ſua inſtituant.* Qui verò hoc prohibuerint, *caſtigari* jubet *corporalibus pœnis & facultatum privatione*; (18) *ut vel inviti* (inquit) *conſentiant nobis, meliora & Deo amabiliora* (ſeu magis accepta) *volentibus ac jubentibus.* Monet inſuper eos (19) *qui aut per iſtam aut per illam linguam* (i.e. vel Hebraicam vel maternam) *ſacros libros audiunt, non ſolùm conſiderare literas, ſed rebus refici, & divinum veraciter intellectum accipere; quò magis & quod præſtantius eſt addiſcant, & aliquando decipi, atque ab eo, quod omnium præſtantiſſimum eſt* (vel *opportuniſſimum*, καιριώτατον) *nempe in Deum fiduciâ, aberrare deſinant:* (20) *Propterea enim* (inquit) *omnem ipſis linguam ad ſacrorum librorum lectionem aperuimus; ut omnes de cætero eorum ſcientiam amplectentes, ad meliora perdiſcenda reddantur aptiores, cùm in confeſſo ſit multò paratiorem ad meliora diſcernenda & capeſſenda eſſe eum, qui ſacrorum librorum lectione innutritus, non longè à correctione, & ut ad bonam frugem perducatur, diſſidet: quàm qui nihil horum intelligit, ſed ex ſolo religionis nomine dependet, eique tanquam ſacræ adhæret anchoræ, &*

(17) Φωνὴν πᾶσαν αὐτοῖς, ἣν ὁ τόπος ἐπιτηδειοτέραν καὶ μᾶλλον γνώριμον τοῖς ἀκούουσιν εἶναι ποιεῖ. Ὥσπερ, διὰ τῆς ἑλληνίδος φωνῆς, ἢ καὶ τῆς πατρίου τυχὸν (τῆς Ἰταλῆς ταύτης φαμὲν) ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἁπλῶς, τοῖς τόποις συμμεταβαλλομένης τῆς γλώττης, καὶ τῆς δι᾽ αὐτῶν ἀναγνώσεως, ἐφ᾽ ᾧ σαφῆ τε εἶναι τὰ λεγόμενα τοῖς συνιοῦσιν ἅπασιν ἐφεξῆς.

(18) Ἄκοντες ἐνδιδόναι κρείττονα τε καὶ θεοφιλέστερα βουλομένοις τε ἡμῖν καὶ κελεύουσιν.

(19) Διὰ ταύτης ἢ ἐκείνης γλώττης τῶν ἱερῶν βίβλων ἀκούοντας, μὴ ψιλοῖς προσέχειν γράμμασιν, ἀλλὰ τῶν πραγμάτων δέχεσθαι.

(20) Διὰ τοῦτο γὰρ δὴ πᾶσαν αὐτοῖς φωνὴν ἀνεῴξαμεν πρὸς τὴν τῶν ἱερῶν βίβλων ἀνάγνωσιν, ὥστε πάντας ἐφεξῆς τὴν αὐτῶν λαμβάνοντας εἴδησιν, εὐμαθεστέρους πρὸς τὰ κρείττω γίνεσθαι, &c.

ſcientiam

ſcientiam Dei putat in ſolâ ſectæ appellatione verſari (col. 356, 357. editionis Gothofredi: col. 509. edit. quæ prodiit Lugduni 1585. fol. cum gloſſis.) Ibidem (21) *Ipſas ergo ſacras voces legant, libros ipſos evolventes* (ἀναπτύσσοντες) *neque celantes ea quæ in iis prolata ſunt, extrinſecus aſſumant ſine ſcriptis traditas vocum inanitates, ab ipſis ad perditionem ſimpliciorum excogitatas.*

De Conſtitutionibus Caroli Magni vid. ſupra in ſententiis Conciliorum, & in anno 807. & tract. de orig. erroris poſt annum 630. uti & Capitular. Benedicti Levitæ, lib. 6. cap. 173. & 192. De Conſtantino M. anno 330. Theodoſio Imp. an. 415. Athalarico Rege, an. 533. Altfrido Rege, an. 615. Ludovico Pio Imp. an. 820. Baſilio Macedone, 870. Ælfredo Rege, 890. Æthelſtano, 930. Canuto, 1020. Uratiſlao Boemorum Duce, 1080. Andronico Comneno, 1183. Ludovico IX. 1226. Conrado IV. Imp. 1250. Joanne Cantacuzeno, 1360. Carolo V. Francorum Rege, 1370. Annâ Reginâ Angliæ, & Joanne Duce Lancaſtriæ, 1390. Joanne II. Rege Caſtellæ, 1440. Alphonſo V. 1450. Ludovico XI. 1478. Henrico VIII. Edvardo VI. & Elizabethâ Angliæ Regibus, in Injunctionibus & regni Comitiis. Joannâ D'Albret reginâ Navarræ, cujus authoritate Novum Teſtamentum Cantabricâ linguâ (interprete Joanne de Licarragne de Briſcons) prodiit Rupellæ, an. 1571. Jacobo Dei gratiâ Britanniarum Monarchâ in Βασιλικῷ Δώρῳ.

(21) Καὶ αὐτὰς δὴ τὰς ἱερὰς φωνὰς ἀναγνώσονται, τὰς βίβλους αὐτὰς ἀναπτύσσοντες, ἀλλὰ μὴ κατακρύπτοντες μὲν τὰ κατ' αὐτὰς εἰρημένα. Nonnulli quidem Codices pro ἀναπτύσσοντες habent ἀναπτύοντες: adeoque Holoander, aliique interpretes Latini locum ſic verterunt, *codices ipſos reſpuentes*; quæ ſi verior lectio ſit, pro αὐτὰς legendum eſt ταύτας, & ſententia ad δευτερώσεις Judæorum, ſeu fabulas Miſnicas & Talmudicas, quas Juſtinianus in periodo immediatè præcedenti legi interdixerat, referenda: quod Antonius etiam Contius agnoſcit, appoſitâ hàc ad locum notâ. Ἀναπτύσσοντες. *Senſus, ſi Judæis eſt animus ſacras Scripturas legendi; ſacros Codices evolvant, non eos in quibus meræ tantùm fabulæ continentur.*

SECT.

SECT. III.

Ex Jure Canonico, ſententiiſque Romanorum Pontificum.

IN 1. parte Decreti, Diſtinct. 38. cap. 9. [Ex Hieronymo ad Euſtochium in proœmio Comment. in Eſaiam] *Si juxta Apoſtolum Paulum* [a] *Chriſtus Dei virtus eſt & Dei ſapientia; & qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem ejuſque ſapientiam: Scripturarum ignorantia Chriſti eſt ignorantia.*

Ibid. cap. 10. [Ex Gregorio in Paſtorali, par. 1. cap. 1.] *Qui ea, quæ Dei ſunt, neſciunt, à Deo neſciuntur; Paulo atteſtante, qui ait:* Si quis ignorat, ignorabitur. [Vid. plura ex Gregorio Papâ ſupra ad an. 595.]

Ibid. cap. 8. [Ex Zephyrini Papæ fictâ Epiſtolâ 1. ad Epiſcopos Siciliæ] *Sicut ſtellas cœli non extinguit nox, ſic mentes fidelium firmamento inhærentes ſanctæ Scripturæ non obſcurat mundana iniquitas.* Ubi Gloſſa: *Firmamento,* i. e. *meditationi & lectioni.* (Hug.) Mundana] *Unde dicitur: Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* De Conſecr. Diſt. 5. *Nunquam.* (Hug. & Lau.) Sententia hæc in commentitiam Zephyrini Epiſtolam tranſlata eſt ex libro Sententiarum ex Operibus Auguſtini a Proſpero excerptarum ſentent. 120.

In 3. parte Decreti, de Conſecrat. Diſtinct. 1. cap. 68. [Ex Anaſtaſio primo Romano Epiſcopo ad Epiſcopos Germaniæ ac Burgundiæ, epiſt. 1. cap. 1.] *Apoſtolicâ authoritate mandamus, dum ſancta Evangelia in Eccleſia recitantur, ut ſacerdotes & cæteri omnes præſentes, non ſedentes, ſed venerabiliter curvi, in conſpectu Evangelii ſtantes Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.* Ibid. cap. 70. Vid. ſupra in Cypriano ad an. 250.

Ibid. Diſtinct. 5. cap. 24. *Non mediocriter.* [Ex Hieronymo, ut dicitur.] *Nunquid verborum multitudine flecti Deus ut homo poteſt? Non enim verbis tantum, ſed corde orandus eſt Deus. Melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate &*

[a] 1 Cor 1.

ſerenitate

ſerenitate & ſpirituali hilaritate, quàm totius Pſalterii modulatio cum anxietate cordis & triſtitiâ. [Habentur hæc ferè, & in hanc ſententiam plura in Regulâ Monachorum ex Hieronymi & aliorum ſcriptis à Lupo de Oliveto collectâ, & Martini V. Romani Pontificis authoritate confirmatâ, tom. 4. Operum Hieronymi edit. Baſil. 9. verò edit. Mariani Victorii.]

Part. 1. Diſtinct. 27. cap. 1. *Cleros.* [Ex Iſidoro, lib. 7. Etymolog. cap. 12.] *Lectores à legendo, Pſalmiſtæ à Pſalmis canendis vocati. Illi enim prædicant populis quid ſequantur; iſti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium.* Prædicant] i. e. *legunt, recitando, non autem prædicando; quia illud eſt officium ſacerdotum,* 16. qu. 1. *Adjicimus.* (Gloſſa.)

Diſtinct. 38. cap. 12. *Sedulò monendi.* [Ex Auguſtino de catechizandis rudib. cap. 9.] in publicâ Eccleſiæ Liturgiâ illud corrigendum eſſe dicitur: Quod *antiſtites & miniſtri cum barbariſmis & ſolœciſmis Deum invocent; vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligant, perturbatéque diſtinguant.* Et ratio additur; *ut populus ad id, quod planè intelligit, dicat Amen.*

Diſtinct. 92. cap. 1. [Ex Hieronymo, lib. 3. Comment. ad cap. 5. Epiſt. ad Epheſ.] Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.] *Audiant hæc adoleſcentuli; audiant ii, quibus pſallendi in eccleſia officium eſt: Deo non voce ſed corde cantandum: Nec in tragœdorum morem guttur & fauces dulci medicamine liniendæ ſunt, ut in Eccleſia Theatrales moduli audiantur & cantica; ſed in timore, in opere, in ſcientiâ Scripturarum.*

Lib. 1. Decretal. tit. 31. de offic. judicis ordinarii, cap. *Quoniam*, eſt cap. 9. Lateranenſis Concilii (de quo ſupra) De Leone 1. ſupra ad an. 450. Nicolao I. an 860. Joanne VIII. an. 880. Innocentio III. an. 1200. & 1215.

In ordine Romano, de Officiis divinis (quem à Gelaſio Papâ collectum conſtantior opinio eſt; ſi credimus [r] Baronio; [s] Bellarmino licèt author floruiſſe videatur poſt annum 700. Benedictio Lectorum ita proponitur. *Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum; ut aſſiduitate lectionum ſint apti pronuntiare verba vitæ, & mentis ac vocis diſtinctione populo monſtrare intelligibilia: Et in utroque ſanctæ Eccleſiæ*

[r] An. 692. ſect. 44. [s] Lib. 2. de Miſſâ, cap. 14.

gratiam

gratiam pro ſuis modulis ſpirituali devotione reſonent (in Liturgicis Romæ excuſ. 1591. fol. pag. 64.) Sed & in Pontificali Romano impreſſo Lugduni, & poſtea Clementis VIII. juſſu reſtituto, & Romæ, anno 1595. edito, Pontifex Lectores à ſe ordinandos ita admonere jubetur. *Studete verba Dei, videlicet lectiones ſacras diſtinctè & apertè ad intelligentiam & ædificationem fidelium abſque omni mendacio falſitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuriâ veſtrâ ad inſtructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores veſtros verbo pariter & exemplo veſtro docere poſſitis. Ideoque dum legitis, in alto loco Eccleſiæ ſtetis, ut ab omnibus audiamini & videamini, &c.* (pag. 22.)

Canon Apoſt. 85. Ἔστω πᾶσιν ὑμῖν κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια. Τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, Μωϋσέως πέντε, Γένεσις, Ἔξοδος, &c. ἡμέτερα δὲ, τουτέστι τῆς καινῆς διαθήκης, Εὐαγγέλια τέσσαρα, &c. *Sint autem vobis omnibus Clericis & Laicis venerabiles & ſancti libri, Veteris quidem Teſtamenti Moyſis, quinque, Geneſis, Exodus, &c. Noſtra verò, hoc eſt, Novi Teſtamenti, Evangelia quatuor, &c.* In quem Canonem ita ſcribit Jo. Zonaras (22) *Quùm venerabiles Apoſtoli præſcripſiſſent, quomodo fideles Chriſti oporteat vivere; tandem ſubjunxerunt etiam quos libros decet ipſos legere.*

In Clementis Romani (quæ dicuntur) Apoſtolicis conſtitutionibus, lib. 1. cap. 4. (23) *Scripturas ſanctas aſſiduâ memoriâ meditare. Scriptum eſt enim: In lege ejus meditaberis die ac nocte, deambulans in agro, & domi ſedens, cubans & experrectus, ut in omnibus ſis intelligens.* Et cap. 5. (24) *Intus ſedens, lege Legem, libros de Regibus, Prophetas, cane Pſalmos David, percurre diligenter Evangelium, in quo ſunt hæc conſummata.* (tom. 1. Concil. edit. Nicolin. pag. 64.

Lib. 3. cap. 6. Ubi de corruptis viduarum moribus agitur, ita legimus (25) *Non enim ad Eccleſiam, quæ eſt communis omnium requies, Dominicâ die adeunt; ut faciunt, qui vigilantes ſunt, &c. Immò*

(22) Διαταξάμενοι οἱ θεῖοι ἀπόστολοι πῶς χρὴ τοὺς πιστοὺς βιοῦν, ἐπήγαγον τελευταῖον καὶ τίνα δεῖ αὐτοὺς ἀναγινώσκειν βιβλία.

(23) Τὰ τοῦ Χριστοῦ λόγια ἀναμιμνησκόμενος διηνεκῶς μελέτα, λέγει γὰρ ἡ γραφὴ σοὶ, ὅτι ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ μελετήσεις ἡμέρας καὶ νυκτὸς, &c. ἵνα συνιῇς ἐν πᾶσιν.

(24) Καθεζόμενος ἔνδον, ἀναγίνωσκε τὸν νόμον, τὰς βασιλείους, τοὺς προφήτας, ψάλλε τοὺς ὕμνους Δαβὶδ, διέρχου ἐπιμελῶς τὸ εὐαγγέλιον, τὸ τούτων συμπλήρωμα.

(25) Οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κοινὸν τῆς συναγωγῆς ἀνάπαυμα ἐν τῇ κυριακῇ καταντῶσιν, ὡς οἱ ἐγρηγορότες, &c. οὐκ ἐῶντες αὐτοὺς νύσσειν ἐν κυρίῳ, ἀλλὰ παρε[illegible]διάζοντες ταύτας αὐτοὺς ἐξιέναι, ὅσοι καὶ εἰσίασι διάκενοι, διὰ τὸ μὴ ἀκούειν τῶν διδασκόντων, ἢ τῶν ἀναγινωσκόντων τὸν τοῦ κυρίου λόγον, &c.

nec ſinunt alios vigilantes ac ſobrios eſſe in Domino, ſed potiùs ſic eos præparant, ut tales exeant, quales ingrediuntur, vacui ſcilicet; idque quia non audiunt iſtæ vel eos qui docent, vel eos qui verbum Dei legunt. Hujuſmodi ſunt, de quibus ait Propheta: [t] Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non ſcietis: incraſſatum eſt enim cor populi hujus, (pag. 92.)

Lib. 4. Conſtitut. Apoſtol. cap 10. (26) *Docete filios veſtros à pueritiâ literas ſacras, & veſtras & divinas; omnemque divinam Scripturam eis tradite.* Si hæc à Clemente Romano profecta ſunt temporibus Apoſtolorum, & Divi ipſius Petri Succeſſore (ut hunc ipſum locum citans audacter pronuntiat Poſſevinus [v]) mirum quâ fronte legem Apoſtolicam vel ſaltem Pontificiam Romanenſes noſtri repudiare audent.

[t] Iſai. 6. [v] Biblioth. ſelect. lib. 4. cap. 6.

(26) Ἐκδιδάσκετε δὲ ὑμῶν τὰ τέκνα τὸν λόγον κυρίου, —— ἀπὸ βρέφους διδάσκοντες αὐτὰ ἱερὰ γράμματα, ὑμέτερά τε καὶ θεῖα, καὶ πᾶσαν γραφὴν θείαν παραδιδόντες.

CAPUT VIII.
PRAXIS ECCLESIÆ.

SECT. I.

Scripturæ paſſim in linguis vulgaribus extabant.

CHaldaicæ verſiones à Jonathane filio Uzzielis, Onkelo proſelyto, Aquila proſelyto, R. Joſeph. Cæco, &c. elaboratæ ſunt. Vid. Eliam in præfatione Methurgeman, & in Tiſchbi, radice תרגם, & quæ ſupra à nobis in Hebræorum ſententiis, notata ſunt. Apud Græcos variæ interpretationes (*Sciendum eſt*, inquit Moſes Barcepha, [a] *Vetus Teſtamentum pluribus tralationibus ex Hebræâ in Græcam linguam eſſe tranſpoſitum*) LXX. interpretum, Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Quintæ etiam & Sextæ editionis, extiterunt; quas omnes in Octaplis ſuis conjunxit Origenes; & ex iis etiam unam editionem confecit, notis quibuſdam ita diſtinctam, ut quid eſſet in Hebræo, quid non, quomodo à LXX. aliæ interpretationes variarent, ſtatim appareret. (Vid. Euſebium, lib. 6. hiſt. cap. 13. Athanaſium in Synopſi, & Epiphanium in lib. de menſuris & ponderibus, atque Iſidorum, lib. 6. Orig. cap. 4.) Sed & Lucianus Martyr, cùm in prædictas editiones & ſcripturas Hebraicas incidiſſet, ac ſeduló inſpexiſſet verba quædam ſcripturæ veritati deeſſe, quædam veró irrepſiſſe ſuperflua; libros ſacros ex Hebraico ſermone magno labore reſtituit. (Athanaſius in Synopſi, & Suidas in voce Λουκιανός.) Acceſſit demum Heſychius, qui Interpretationem LXX. à ſe emendatam Ægyptiis tradidit. Unde Hieronymus præfat. in lib. Paralipomenon (quam etiam inſeruit Apologiæ adverſus Rufinum) *Alexandria*, inquit, *& Ægyptus in LXX. ſuis Heſychium laudat authorem, Conſtantinopolis uſque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat:*

[a] De Paradiſo, part. 1. cap. 28.

media

media inter has provincia Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt: totuſque orbis hâc inter ſe trifariâ varietate compugnat. Pſalterium quoque & Prophetas, quos Hieronymus de Hebræo in Latinum vertit, Sophronius de Latino in Græcum vertit; quemadmodum in Catalogo [b] ſuo teſtatur Hieronymus. [c] Quam quidem Græcam tranſlationem, ut ex collectaneis Procopii in Octateuchum apparet, multi Græci expoſitores, citato etiam Hieronymi nomine, commentariis illuſtrarunt.

Cæterum quàm latè uſus linguæ Græcæ olim patebat, omnes nôrunt. Unicum tamen Hieronymum teſtem dabo: qui procemio, lib. 2. Commentar. in Epiſt. ad Galat. ait, Galatas, *excepto ſermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem penè habere quam Treviros.*

De Latinis ita Auguſtinus de Doctrinâ Chriſtianâ, lib. 2. cap. 11. *Qui Scripturas ex Hebraâ linguâ in Græcam linguam verterunt, numerari poſſunt: Latini autem nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* [d] *Quamvis non defuerit temporibus noſtris* (inquit idem lib. 18. de civitate Dei, cap. 43.) *Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum peritus; qui non ex Græco ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem Scripturas converterit.*

Innumeris verò ferè gentibus unica verſio Latina Scripturarum notitiam tunc temporis præbere poterat. Incredibile enim linguæ Latinæ amplitudinem obtinuiſſe demonſtrat P. Merula in Coſmograph. pag. 796, 797. qui eam Africæ etiam partem, quam incolebant Romani (pariter ac eam Italiæ partem, quam incolebant Græci) bilinguem fuiſſe oſtendit, ibid. pag. 791, 792. Sanè Afros Latinè locutos confirmat Apuleius in Floridis. Ipſa etiam Britannia victricis Romæ linguam accepit. *Si quis ſit* (inquit Camdenus, pag. 83. edit. 1607.) *qui non credat Britannos linguam Latinam provincialem uſurpâſſe; ne ille noverit, quantopere Romani laborârint, ut Provinciæ loquerentur Latinè; nec viderit, quanta vis Latinarum dictionum in Britannicam linguam irrepſerit; ut Taciti authoritatem non urgeam, qui ſcribit Britannos Domitiani tempore Latinæ linguæ eloquentiam*

[b] In Sophronio. [c] Vid. Sixtum Senenſ. Biblioth. Sanct. in Procopio & Sophron. [d] Vid. de Vulg. Latin. pulchram ſententiam Jac. Gretſeri in Defenſ. Bellarm. col. 779.

concupiſſe. • Hæc Camdenus. Hinc Gildas de Saxonicis navibus, *ut linguâ ejus exprimitur, Cyulis, noſtrâ, longis navibus.* De Hiſpanis Strabo, lib. 3. *Turdetani, maximè qui ad Bætim ſunt, planè Romanos mores aſſumpſerunt, ne ſermonis quidem vernaculi memores; ac plerique facti ſunt Latini, & colonos acceperunt Romanos; parumque abeſt, quin omnino Romani facti ſint. Et qui hanc formam ſequuntur Hiſpani, Stolati ſeu Togati appellantur; in quibus ſunt Celtiberi, quondam omnium maximè feri inhumanique habiti.* Hæc ille, [ubi obſervare licet Romanæ linguæ, ſed paulatim depravatæ, in Hiſpaniâ primordium.]

Sed & Scripturas per varias interpretum linguas longè latéque diffuſas innotuiſſe gentibus ad ſalutem teſtatur Auguſtinus, lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 5. quem ſuo loco citavimus. Et Hieronymus in præfatione in 4 Evangelia ad Damaſum, Scripturam multarum gentium linguis ante Luciani & Heſychii tempora tranſlatam eſſe confirmat. Unde Auguſtinus Epiſt. 48. ad Vincentium (pag. 76. b. edit. Pariſ. 1586. *Neque enim,* inquit, *ſic potuit integritas atque notitia literarum unius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri; quemadmodum Scriptura Canonica tot linguarum literis & ordine & ſucceſſione celebrationis eccleſiaſtica cuſtoditur.* Hoc ipſum ex teſtimonio Euſebii, quod ſupra an. 335. Chryſoſtomi (in Johan. Homil. 1.) quod an. 390. & Theodoreti, quod an. 450. repoſuimus: ita manifeſtè liquet; ut mira ſit Roberti Bellarmini vel inſcitia vel impudentia; qui ᶜ nullum antiquum authorem meminiſſe alicujus alterius tranſlationis, quam Græcæ & Latinæ, ſatis confidenter pronunciat.

De tranſlatione in uſum Gothorum factâ ſupra dictum eſt an. 370. in Ulphilâ: cujus exemplar MS. idque vetuſtiſſimum Gothicis literis majoribus ſcriptum in aliqua Germaniæ Bibliothecâ delireſcere dicitur; quemadmodnm refert Bonaventura Vulcanius præfatione in Commentarium de literis & linguâ Getarum. Huc referantur, quæ habet Suffridus Petrus præfatione in Scriptorum Friſiæ Decades. *Et nobis etiam,* inquit, *hic* (Coloniæ) *coram teſtatus eſt Clariſſ. V. J. C. Matalius Metellus Sequanus, ad ſuas manus aliquando perveniſſe Novum Teſtamentum linguâ Gothicâ, characteribus Græcis, ſcriptum. Et Stephanus Vinandus Pighius Scholaſticus Sanctenſis, literis ad me datis*

ᶜ Lib. 2. de verbo Dei, cap. 15.

prid.

prid. Id. Maii anno 1588. *ſcripſit à ſe Dominum Joachimum Hopperum mutuo habuiſſe vetuſtiſſima linguæ Germanicæ, quam ille Friſicam appellabat, Orationem Dominicam ex ejus linguæ Novi Teſtamenti libro quodam deſcriptam, characteribus antiquiſſimis Græcis.* Hactenus Suffridus. Et extabat ſanè in Bibliothecâ D. Hermanni Comitis de Newenar liber vetuſtiſſimus aureis argenteiſque characteribus in papyro exaratus, continens univerſum Novum Teſtamentum linguâ antiquâ Friſonum; ut nobilis ille Philippus Marnixius Dominus Sanct-Aldegundius literis ſuis Sibrandum Lubbertum [f] docuit. Ex hoc libro idem Aldegundius dicit ſe habere deſcriptam Orationem Dominicam Friſico vel Saxonico antiquo charactere, qui non multum à Muſcovitico charactere differre, & ad Græcum accedere, videtur. Ejus initium eſt: *Atta unſar thu in himina; waikmi namo thien, &c.* Eadem ipſa [g] Oratio Dominica (cum quibuſdam [h] ex Evangelio ſecundùm Marcum) deſcripta eſt à Joanne Goropio Becano, lib. 7. Originum Antverpianarum, ex ſchedis Antonii Morilloni, qui Antonio Perrenoto Cardinali Granvellano fuit ab Epiſtolis Latinis, & à Bibliothecâ [i]: quo in munere ſucceſſit eidem Stephanus Vinandus Pighius [k], qui, ut ſupra dictum (ex eodem Codice proculdubio) Orationem Dominicam deſcriptam Joachimo Hoppero dedit; quam ille, ut & Philippus Marnixius (eadem enim oratio eſt ab eo deſcripta ex Bibliothecâ Hermanni Comitis de Newenar) vetuſtiſſimâ linguâ Germanicâ vel Friſicâ exaratam putavit; quanquam ea Gothica doctiſſimi cujuſque apud Colonienſes judicio habebatur, ut in loco proximè citato confirmat Goropius: unde etiam à Goldaſto [l] citatur nomine Gothici Evangeliorum Interpretis. Eſtque ille ipſe argenteus Codex, vetere Gothorum linguâ & literis ſcriptus; ex quo tum Orationem Dominicam deſcripſit, tum alia nonnulla Marci & Lucæ citavit Antonius Morillonus, vel quicunque author fuit Commentarioli de linguâ Gothicâ à Bonav. Vulcanio editi (pag. 1, 10, 31, 32, 48, &c.) Oratio enim Dominica, pag. 32. convenit tam cum eâ quam habet Goropius, tam cum illâ quam habet Philippus Marnixius ex Novo Teſtamento aureis argenteiſque characteribus in papyro exarato ex bibliothecâ Hermanni Comitis

[f] Lubbert. de princip. Chriſtian. dogmat. lib. 3. cap. 7. [g] Gorop. pag. 740. [h] Gorop. p. 750. [i] Gorop. pag. 739. [k] Pighius præfat. ad Lectorem in Annales Magiſtrat. Roman. [l] Scrips. Paræneuc. part. 1. pag. 232.

de

de Newenar. Neque aliud videtur fuiſſe Novum illud Teſtamentum, linguâ Gothicâ, characteribus Græcis, ſcriptum; quod ad manus ſuas aliquando perveniſſe teſtatus eſt Matalius Metellus Sequanus. Characteres enim illi ad Græcos (vel potiùs Illyricos) proximè accedere videntur. Porrò Antonium Morillonum iſta deſcripſiſſe ex antiquiſſimo codice Monaſterii Werdeni in regione Bergenſi, quatuor plus minùs milliaribus à Coloniâ diſtantis teſtatur Goropius. [m] Similiter Arnoldus Mercator ait extare in Bibliothecâ Abbatiæ Werdinenſis Codicem antiquiſſimum, ante mille plùs minùs annos in pergameno aureis & argenties literis perſcriptum, continentem quatuor Evangeliſtarum opus, ſed (quod dolendum eſt) lacerum, diruptum, & nullo ordine ignorantiâ compactoris colligatum. Ex eo magnam partem ſexti Capitis Matthæi (ſc. Orationem Dominicam cum præcedentibus & proximè ſubſequentibus) & initium Evangelii ſecundùm Marcum (eandem habens inſcriptionem cum eâ, quam ex ſchedis Authoris Commentarii de linguâ Gothica deſcripſit Bonav. Vulcanius, pag. 66.) delineavit Arnoldus operâ & adminiculo D. Henrici Duden pro tempore Abbatis: nam plura communicare vetabat obſcuritas literarum jam vetuſtate evaneſcentium. Ea verò cum Alphabeto, & lectionis explicatione (quæ aliquando diverſa eſt ab eâ, quæ in Commentariolo de linguâ Gothicâ poſita eſt; licet characteres Gothici iidem prorſus ſint; quippe ſine omni controverſiâ ex eodem exemplari deſcripti) ex Arnoldi ſchedis deſcripta in magno Inſcriptionum Opere (pag. 146, 147, 148.) repoſuit Janus Gruterus.

In linguâ Syriacâ, Armenicâ, & Æthiopicâ cùm Veteris tum Novi Teſtamenti Verſiones integras reperiri teſtatur Guido Fabricius in Dedicatione Teſtamenti Syriaci interlineati (anno 1584. Pariſiis editi) ad Henricum III. Gallorum Regem. *Syram editionem Veteris Teſtamenti Euſebius Emeſenus & alii Græci Patres unà cum cæteris Græcis & Latinis editionibus ſæpe ediſſerunt*: inquit Sixtus Senenſis [n]. Et Veteris quidem Teſtamenti Tranſlationem Syriacam tempore Thaddæi Apoſtoli, & Abgari Syrorum regis, factam fuiſſe, ex Prologo quodam Pſalterio Syriaco præmiſſo tradit Georgius Amira in Præludio de Chaldaicæ linguæ utilitate, Grammaticæ ſuæ

[m] Orig. Antverp. lib. 7. pag. 739. [n] Biblioth. Sanct. lib. 4. voc. Euſeb. Emeſ. & Syra editio.

Syriacæ

Syriacæ præfixo. Et Syriacæ quidem editionis meminit Euſebius Emeſenus in Catenâ Græcâ in Geneſin, Baſilius Magnus in hexaemeron, homil. 2. Ambroſius, lib. 5. hexaemer. cap. 8. Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 15. cap. 13. Theodoretus in Jonæ 3. caput, Polychronius in Danielis 3. caput (in Catenâ Græcâ, teſte Ant. Caraffâ) Moſes Barcepha in Commentar. de Paradiſo, par. 1. cap. 28, &c (Vid. annum 370 in Ephræm Syro, 390. in Jo. Chryſoſtomo, homil. 1. in Johannem; 616. in Syris) Hieronymus Epiſt. 27. in Epitaphio Paulæ Syricorum Pſalmorum meminit. Novi Teſtamenti libros à Marco Evangeliſtâ tranſlatos in linguam Syram ex avitâ traditione affirmant Syri; quemadmodum ab iis accepit Gulielmus Poſtellus, qui etiam ſecum ab Oriente Novi Teſtamenti exemplar Syrum, jam ab anno 1500. regni Alexandri (circa annum Chriſt 1190.) manu deſcriptum attulit (Guido Fabricius præfat in Novum Teſtamentum Syriac. tom. 5. Biblior. Reg. Quin & *omnes* (inquit Robertus Perſonius[o]) *Eccleſiæ Aſiaticæ & Africanæ uſque ad hunc diem, etiam ipſi Abyſſini, qui Presbytero Johanni ſubſunt, (licèt alterius linguæ ſint) hoc Teſtamento Syriacè utuntur, ut à S. Marco converſo.* Porrò annis abhinc 50 Antiochenus Patriarcha, quum in ſuis Eccleſiis non Latino, ſed qui illic intelligitur, Syriaco ſermone utatur; & neceſſariis ad miniſterium quaſi inſtrumentis, h. e. libris, deſtitueretur; miſit quendam ordinis Eccleſiaſtici hominem, Moſen Mardenum, qui vel Romæ vel Venetiis Novum Teſtamentum Syriacè imprimendum curaret. Sed cùm id eſſet fruſtra; iter ad Ferdinandum Cæſarem dirigens, incidit in virum doctiſſimum Albertum Widmanſtadium Auſtriæ Orientalis per id tempus Cancellarium; cujus operâ effectum eſt, ut ſumptus Cæſare ſubminiſtrante Novum Teſtamentum linguâ & characteribus Syris, anno 1555. Viennæ pulcherrimè excuſum prodierit. (Alb. Widmanſtad.& Imman.Tremell. præfat. in Teſtam.Syriac.) Illud verò Opus Ferdinandus Cæſar Epiſcopo Epheſino dono miſiſſe dicitur, *ut ſuis Diœceſanis & vicinis Epiſcopis communicaret. Quod ejus factum iniquiſſimo animo tuliſſe Papam, & corruptorem quendam, Lucretium nomine, ſubornâſſe affirmant.* (Johan. Wolfius Lection. Memorabil. Centenario 16. anno 1564.) Vid. Gretſerum de hoc, ex Paulo Vergerio. Utrumque verò Teſtamentum affirmat Georgius Amira

[o] Epitome Controverſ. de verbo Dei, qu. 3. cap. de edit. Syriacâ.

Syrus

Syrus (loco citato) ab Apoſtolorum temporibus hucuſque magno omnium Orientis populorum, qui Chaldaicâ ſive Syriacâ utuntur linguâ, ſtudio retentum, & ſemper ſummâ in veneratione & authoritate eſſe habitum, & demum publicè in omnibus eorum Eccleſiis, antiquiſſimis conſtitutis in Syriâ, Meſopotomiâ, Chaldæâ, Ægypto, & denique in univerſi Orientis partibus diſperſis ac diſſeminatis lectum eſſe ac legi. Sed de verſionibus Syriacis ſatis. Id tantùm addam, quod habet Moſes Barcepha [r], Vetus Teſtamentum Syriacè redditum eſſe unâ quidem Interpretatione ex ipſo Hebræo, alterâ verò ex Græco. Vid. Pet. Galeſinium de Bibliis Græcis, pag. 53, & Joſeph. Scaligerum Canon. Iſagog. lib. 3. pag. 264. quodque Jacobus Navarchus Hondiſchotanus [q] de Eccleſiarum Aſiaticarum praxi refert. *Omnes* (inquit) *Eccleſiæ Aſiæ Syriacâ linguâ, ut noſtra Latinâ, utuntur.*

Utriuſque Teſtamenti in linguam Armenicam extat Tranſlatio (Pſalterium in linguâ & characteribus Armenicis MS. habetur Cantabrigiæ in Bibliothecâ S. Benedicti) *qua nunc Armeni utuntur*; *Chryſoſtomi, ut ipſi credunt, induſtriâ & ſollicitudine edita. Meminit hujus Tranſlationis Georgius Patriarcha Alexandrinus in vitâ Chryſoſtomi, referens eum, cùm in Cucuſum Armeniæ oppidum exularet, incolas ejus regionis ad Chriſtum perduxiſſe; ac ſubinde curâſſe ut Pſalmi Davidis unà cum ſanctis Evangeliis atque aliis veteris Inſtrumenti hiſtoriis Armenicè verterentur, quò faciliùs divinæ Scripturæ cognitionem gentes provinciæ illius obtinerent.* (Sixtus Senenſis, lib. 4. Biblioth. Sanct. in Johan. Chryſoſt.) Vid. ſupra an. 400. in Scythis, & 450. in Theodoreto, atque Angelum Roccham in Biblioth. Vatican. pag. 157. Petrus Victor Cajetanus [r] ait ſe cum Thomâ Angelo Armeno Pſalmis Armenicis diligenter incubuiſſe; quos Thomas ille conſtanti famâ apud Armenos à D. Johanne Chryſoſtomo Armenicâ linguâ editos perhiberi aſſerit. Quin & Armenam verſionem à S. Joanne Chryſoſtomo ei nationi præſtitam eſſe prodit Pet. Galeſinius [s]. Quò verò res clarius pateat, integrum Georgii Alexandrini locum apponam. Sic igitur ille [t] de rebus Chryſoſtomi apud Cucuſum agens.

[p] De Paradiſo, part. 1. cap. 28. [q] Epiſt. Aſiatic. [r] Paradigm. ling. Armen. pag. 73. [s] De Bibliis Græcis, pag. 8. [t] De vitâ Chryſoſt. §. 59. tom. 8. edit. Savil. 1612. pag. 236.

Ἐχειροτόνησε

Ἐχειροτόνησε δ' αὐτοῖς ἑπτὰ ἐπισκόπους, καὶ πλῆθος πρεσβυτέρων καὶ διακόνων πρὸς τὸ ἐπαρκέσαι, τοῖς ὄχλοις εἰς λειτουργίαν τῆς ἐκκλησίας, καὶ θυσίαν ἱερὰν καὶ ἀναίμακτον. θέμενος αὐτοῖς, καὶ κανόνας ψαλμῳδίας, ἐκδεδωκὼς αὐτοῖς καὶ τὴν θείαν μυσταγωγίαν. εὗρε γὰρ κατὰ χάριν Θεοῦ τινας ἐξ αὐτῶν ἐπισταμένους τὴν ἑλληνίδα γλῶσσαν, καὶ παρεσκεύασεν αὐτοὺς μεταφράσαι τὴν νέαν διαθήκην καὶ τὸ ψαλτήριον τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ, ὅπως γνῶσιν λάβωσι τῆς θείας γραφῆς. παρήγγειλε δ' αὐτοῖς ἐκμανθάνειν τὸ ψαλτήριον ἵνα ἐκ τῶν ᾀσμάτων αὐτοῦ ᾄδωσιν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, εἰπὼν ὡς κατὰ μέρος καὶ τὴν παλαιὰν διαθήκην ἑρμηνεῦσαι ἔχουσιν ὑμῖν. *Ordinavit illis ſeptem Epiſcopos, Presbyterorum vero ac Diaconorum ingentem numerum; tot ſcilicet quot ſufficerent populo ad eccleſiaſtica officia peragenda & ſacroſanctum incruentumque ſacrificium obeundum. Tradidit illis inſuper & Pſalmodiæ regulas, datâ etiam myſtagogiâ divinâ. Invenit enim largiente Deo quoſdam ex eis Græcè ſcientes; quos Novum Teſtamentum & Pſalterium in vernaculam ipſorum linguam convertere effecit; uti notitiam S. Scripturæ obtinerent: Illis etiam mandavit Pſalterium ediſcere; ut ex Canticis illius in Eccleſiis cantarent: Subjiciens, illorum officii eſſe, ut ſaltem partem Veteris Teſtamenti in vernaculam linguam transferrent.*

Hinc manifeſtè patet, quàm parum fidei mereatur Græculi cujuſdam Relatio de origine errorum Armeniacorum; quam in MS. quodam Codice Bibliothecæ Bavaricæ ſe repetiſſe prodit, atque exinde iſta citat Gretſerus in Defenſione, cap. 15. lib. 2. Bellarmini, col. 881. Βασιλεύοντος Ῥωμαίων Θεοδοσίου, καὶ Περσῶν Βραμσαπῶ, μὴ εὑρισκομένων τινῶν ἐν Ἀρμενίᾳ λαλεῖν Ῥωμαϊκὴν ἢ γράμματα εἰδέναι, ἀνέστησάν τινες παρὰ τὴν διατύπωσιν τοῦ μεγάλου Γρηγορίου, καὶ μετεσκεύασαν ἑαυτοῖς ἀρμενιστὶ ψαλμῳδίαν καὶ γράμματα καὶ μελίσματα. ὅπερ μαθὼν Θεοδόσιος ὁ βασιλεὺς, ὠργίσθη Ἀρμενίοις διὰ τὴν παράβασιν τῆς τοῦ ἁγίου Γρηγορίου παραδόσεως. *Imperante Theodoſio, & regnante apud Perſas Bramſapo, cùm nulli in Armenia reperirentur, qui Romanam* (ita Græcam linguam vocat Author, ut notat Gretſerus, quia Imperatores Conſtantinopolitani nominabant ſe Romanos Imperatores, quibus ipſa Conſtantinopolis erat Nova Roma) *linguam perſpectam haberent; extiterunt nonnulli, qui contra formam à magno Gregorio* (Armeniæ Epiſcopo) *præſcriptam, ſibimetipſis Armeniacâ linguâ Pſalmos & literas & cantiones tranſtulerunt. Quod audiens Theodoſius Imperator, valde ſuccenſuit Armenis; eò quòd traditionem à Sancto Gregorio acceptam violâſſent.* Narrat deinde Author, quomodo quidam ex Armenis ad Theodoſium profecti ejuſdem animum mitigare ſtuduerint; & inter cætera etiam hoc promiſerint, ſe nunquam amplius ab Eccleſiâ Catholicâ & Apoſtolicâ ſeceſſionem facturos; ſemperque Romanam, h. e. Græcam linguam retenturos, διὰ τὸ εἶναι ταύτην, ἤγουν τὴν τῶν

Ῥωμαίων μελῳδίαν ἀγγελικὴν καὶ οὐράνιον, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὴν ἡμετέραν τραχύτητα συνισάζειν ταύτῃ: *Quod hæc, h. e. Romana ſeu Græca melodia ſit angelica & cæleſtis; quam ruſticitate noſtrâ nequaquam aſſequi aut æquare liceat.* Addit Gretſerus: *En quanti referre arbitrati ſunt Græci, ut divina officia Græcâ linguâ celebrarentur! Et tamen ſchiſmaticus Balſamo* (vid. ſupra an. 1194.) *omnibus nationibus ſacra vernaculè peragendi largam poteſtatem facit.* Hactenus Gretſerus: Quaſi verò minor eſſet Balſamonis Patriarchæ, quàm alterius neſcio cujus Græculi authoritas. Sed conſule de Armeniis graviores utriſque Authores ſupra commemoratos, anno 450. in Theodoreto, & 490. in Sabâ. Nihil etiam tale de Armenis in Nicone & Euthymio legimus, neque in Actis Gregorii Armeni apud Metaphraſten: immo contrarium potiùs, ut oſtenditur pag. 9.

Apoſtolorum temporibus ſacrum Prophetiarum contextum idiomate Æthiopico in manibus Eunuchi Reginæ Candacis conſcriptum extitiſſe pronuntiat Petrus Victor Cajetanus [v]. Et noſtris quidem temporibus Johannes Potken, præpoſitus Eccleſiæ S. Georgii Colonienſis, Pſalterium linguâ Æthiopicâ (quam ille Chaldaicam falsò putavit, ſicut oſtendunt Munſterus [x], Poſtellus [y], & Theſeus Ambroſius [z], excudendum anno 1518. curavit: *Quo nunc utuntur Monachi Æthiopes, qui ſe Indos appellant; ipſumque in templo, quod Romæ habent, publicè decantant,* (ut refert Sixtus Senenſis [a].) Hinc Paulus Jovius [b], *Abiſſinæ linguæ,* inquit, *Chaldaicis elementis ſcriptæ ſacros libros Romæ impreſſos videmus; quos Abiſſini religionis cauſâ ab Hieroſolymis Romam venientes, pro inſigni miraculo in patriam deferre ſolent.* Petrus etiam Æthiops Monachus, an. 1548. idiomate Æthiopico imprimendum curavit Teſtamentum Novum (cum Epiſtolâ Pauli ad Hebræos tantùm) & Miſſale cum benedictione incenſi, ceræ, &c. Sed peſſimâ fide Æthiopum libros traductos eſſe & mendoſiſſimè affirmat Joſephus Scaliger [c]: *Malam,* inquit, *fidem interpretum agnoſcas in Epiſtolis Pauli; in quibus vix tria commata continua reperias, in quibus aut verba aut mens Apoſtoli reddita ſint. Evangeliorum & Pſalmorum tralationes habent omnes varias lectiones, quæ ultimis temporibus in textum ſacræ Scripturæ irrepſerunt. Quod quidem pate-*

[v] Paradigm. ling. Æthiop. [x] Grammat. Chaldaic. [y] Alphabet. 12. linguar. [z] Introduct. in lingu. Chaldaic. fol. 13, 14. [a] Biblioth. Sanct. lib. 4. [b] Hiſt. lib. 18. pag. 218. [c] Lib. 7. de Emendat. temp. in Computo Æthiop.

facit

facit nuperam eorum tam tranſlationem ſacrorum librorum quàm profeſſionem Chriſtianiſmi. Acta ſanè Apoſtolorum, quæ Romæ edita ſunt, ex vulgari Italico converſa eſſe, tametſi is, qui edidit, non teſtatus eſſet, tamen ex innumeris locis id & puero colligere haud difficile fuerit. (Hactenus Scaliger.) Chryſoſtomus tamen homil. 1. in Evang. Johan. indicat Æthiopas, ſicut & Perſas, Indos ac Ægyptios, libros ſacros ſuâ linguâ jam tum habuiſſe.

Pſalterium Ægyptiacum in lucem ſe editurum promiſit Scaliger. (Si Sibrando Lubberto credimus.) P. Victor Cajetanus [d] aſſerit ſibi præ manibus eſſe exemplar Ægyptiacum manuſcriptum, continens B. Pauli Epiſtolas, quod Clemens VIII. Papa Ebroicenſi Epiſcopo commodavit. Ibidemque ait, ſe cum Thoma ſuo Armeno, Arabico Novo Teſtamento & Perſico quotidie operam dare, Quatuor Evangeliſtas Romæ linguâ Perſicâ excudendos fuiſſe teſtatur Poſſevinus [e]. Albertus Widmanſtadius in Præfatione Novi Teſtamenti Syriaci ad Ferdinandum Cæſarem; & poſt eum Guido Fabricius in Præfatione Teſtamenti Syriaci ad Henricum III. Francorum Regem, meminit Arabicæ verſionis librorum veteris Teſtamenti Sahadiæ Gaonis, itemque Perſicæ Jacobi Tarvaſi Pavonis. Et quidem apud Franciſcum Raphelengium, Hebraicæ linguæ Lugduni Batavorum Profeſſorem, extat R. Saadiæ Quadrilingue Pentateuchum; in quo eſt Perſica interpretatio, ſed Hebraicis characteribus conſcripta; unde initium Geneſeos tranſcripſit Bon. Vulcanius in Specimine linguæ Perſicæ (ad calcem Commentarioli de literis & linguâ Getarum, pag. 87.) Denique Perſicam editionem Pentateuchi excuſam fuiſſe in Urbe Conſtantinopolitanâ, unà cum Arabicâ, characteribus Hebraicis, fidem facit Druſius de Tetragrammato, cap. 15.

Arabica verſio libri Geneſeos cum Commentariis eâdem linguâ ſcriptis manuſcripta apud me extat: Sed quam aliam eſſe à R. Saadiæ Paraphraſi tum ex Commentariis apparet, quos ab homine Chriſtiano ſcriptos eſſe conſtat; tum ex ipſâ Verſione, quæ non Hebraicam veritatem, ſed Græcam interpretationem tum alibi tum Geneſeos 5. & 11. ſequitur. (Vid. ſupra in anno 740.) Pſalterium Arabicum in Octaplo ſuo edidit Auguſtinus Juſtinianus Nebienſis Epiſcopus ex editione, quam Syram vocat; alterius etiam Arabicæ, quam Ægyptiam appellat, ſubinde mentionem faciens,

[d] Paradigm. lingu. Armen. pag. 73. [e] Biblioth. ſelect. lib. 9. cap. 8.

(ut in Pſal. 81, 84, & 116. juxta Hebræos) ſicut & Theſeus Ambroſius in ſuâ Introductione. Sunt etiam penes me duo MSS. exemplaria alterius verſionis Arabicæ Pſalterii: Secundùm quam Pſalmum 50. anno 1595. edidit Fr. Raphelengius in ſpecimine characterum Arabicorum officinæ Plantinianæ. Evangelia IV. Arabica Romæ ex magni Hetruriæ Ducis typographiâ elegantiſſimis typis excuſa prodierunt. Actorum etiam Apoſtolorum, & Epiſtolarum Pauli editio parabatur. (Poſſevinus, lib. 9. Biblioth. ſelect. cap. 8.) Acta Apoſtolorum & Epiſtolas duas ad Corinthios ex Arabico tranſtulit Fr. Junius. Epiſtolam ad Galatas Arabicè edidit Ruthgerus Spey Bopardianus. Ex Pſalterio, Evangelio Matthæi, Actis Apoſtolorum, Epiſtolis Pauli, Petri, Jacobi, Joannis & Judæ, itemque Geneſeos 18. prioribus capitibus Arabicis Lexicon collectum eſt Wittebergæ, anno 1585. (cujus meminit Chriſtoph. Hammer. in Epiſt. de Elianis Bibliis, pag. 74.) In Evangelia tres diverſos Paraphraſtas Arabas ſe habere teſtatur Joſephus Scaliger [f]. Auguſtinus Juſtinianus Nebienſis Epiſcopus univerſum Vetus Teſtamentum linguâ Hebræâ, Latinâ, Græcâ, Arabicâ & Chaldæâ editurus erat; & Novum quidem Teſtamentum abſolutum fuiſſe, Vetus autem brevi futurum paratum affirmat ipſe in Epiſt. [g] ad Bendinellum de Saulis Cardinal. Ex quo opere præter Pſalterium, quod typis excuſum extat, in univerſa IV. Evangelia Octaplum, *ipſa Authoris manu, atramento minioque deſcriptum* ſe vidiſſe ait Sixtus Senenſis [h]. Romæ etiam in Collegio Maronitarum Vetus Teſtamentum Arabicum ex Oriente advectum conſervari teſtatur Georgius Amira [i]. Pſalterium Syriacum, interpretatione Arabicâ (vulgari ſc.) ſingulis verbis Syriacis inter binas lineas interjectâ, penès ſe fuiſſe indicat Joſephus Scaliger [k]. Arabicam verò linguam in univerſâ penè Aſiâ & Africâ uſurpari nos docet Jacobus Navarchus Hondiſchotanus [l]. *Arabica Rabbi Sahadiæ Haggaon tranſlatio* (inquit Rob. Wakfeldus in diſputat. de fratris uxore non ducendâ, præfixa Syntagmati de Hebræorum Codicum incorruptione) *in Africa ubique legitur; eamque Hebræorum peritiſſimi ſequuntur ac allegant tanquam authenticam, utpote ab homine literarum & traditionum atque rerum*

[f] De emendat. temp. lib. 4. p. 225. edit. ult. [g] Apud Geſnerum, tom. 1. Biblioth. in Auguſtino Juſtiniano. [h] Biblioth. Sanct. lib. 4. [i] Prælud. de linguæ Chald. antiquitate, præfix Grammaticæ ſuæ. [k] Canon. Iſagog. lib. 3. pag. 264. [l] Epiſt. Aſiatic.

Hebraicarum

Hebraicarum peritiſſimo profectam. Sed de verſionibus in linguâ Arabicâ editis (quæ quàm latè pateat, Poſtellum conſule in Introduct. 12. linguar. & Præfat. in Grammat. Arabic. & Waſerum de nummis) plus ſatis. Vid. ſupra ad an. 740. 936. 1040. & 1179.

Tranſtulit Hieronymus, ut ipſemet in epiſtola ad Sophronium teſtatur, univerſum totius Scripturæ Corpus in Dalmaticam linguam, ad utilitatem nationis ſuæ gentium; quæ uſque in hanc diem hujus tranſlationis lectione ſummâ cum veneratione utuntur (Sixtus Senenſis, lib. 4. Biblioth. Sanct. in Hieronymo.) Vid. Bibliandrum de ratione communi omnium linguarum, p. 15. & Angelum à Rocchâ in Append. Biblioth. Vatic. pag. 337, 339. præcipuè Dubravium, lib. 1. Hiſtor. Bohem. pag. 4. *Illyricam verſionem olim edidiſſe traditur, ille ſummâ eruditione & ſanctitate celeberrimus Eccleſiæ Doctor Hieronymus*; inquit P. Galeſinius de Bibliis Græcis, p. 8. Ita Eraſmus in Apologiâ adverſùs Sutorem, tom. 9. Operum, pag. 630. & Hoſius in Dialogo de ſacro vernaculè legendo, conſtare dicunt Dalmaticâ linguâ ſacros libros Hieronymum vertiſſe. Et Alphonſus de Caſtro, lib. 1. hæreſ. cap. 15. *Fatemur* (inquit) *olim ſacros libros in linguam vulgarem fuiſſe tranſlatos, Beatumque Hieronymum in linguam Dalmaticam eos vertiſſe* [Quanquam in illâ ad Sophronium Epiſtolâ, quæ eſt 134. per linguæ ſuæ homines Latinos potiùs intelligere videatur, quàm Dalmatas; ut in procem. lib. 3. in Hier. & in 6. & 10. Zachar. &c.] Receptæ tamen opinioni favet Joſephus Scaliger in literis [m] anno 1599. ſcriptis ad Paulum Merulâm; ubi in linguâ Sclavonicâ duplicem haberi ſacrorum librorum Tranſlationem ſcribit, Rutenicam recentiorem, & Hieronymianam vetuſtiorem.

Methodius vel Cyrillus in Sclavorum ſermonem divina eloquia tranſtulit [n] (ut ſupra anno 860. oſtenſum eſt) Ruſſi ſuâ linguâ habent Pſalterium Davidis (quod apud Oſtrocenſes impreſſum eſt) Novum Teſtamentum (Acta Apoſtolorum, Pauli Epiſtolas omnes) ut eſt in Narratione de Religione eorum ad Dav. Chytræum anno 1581. ſcriptâ pag. 236. Theologiæ Moſcoviticæ, an. 1582. editæ. Biblia Rutenica ſive Moſcovitica apud Eliam Hutterum ſe vidiſſe affirmat Adam Bohoriz (in Epiſtolâ de Bibliis Elianis, pag. 46.) & Biblia apud eundem tum Moſcoviticâ tum Croaticâ linguâ extitiſſe apparet

[m] Apud Merulam Coſmograph. par. 2. lib. 1. cap. 8. [n] Vid. Angelum à Rocchâ, loc. cit.

ex ſpecimine Operis Polyglotti (præfixo Bibliorum Quadrilinguium tom. 1.) quales etiam complures Pſalmi in Euchologio quodam, quod penès me MS. eſt (literis Servianis vel Illyricis) reperiuntur. Quàm latè verò pateat Sclavonica vel Illyrica lingua, conſule Sigiſmundum liberum Baronem in Heberſtein, initio Commentariorum rerum Moſcoviticarum; Martinum Cromerum in Poloniæ libro priore (tom. 1. Corporis Polonicæ Hiſtoriæ à Piſtorio editæ, pag. 85.) Matthium Michovium de Sarmatiâ, lib. 1. cap. 13. (ibid. pag. 134.) Hoſium in Dialogo de ſacro vernaculè legendo, Paulum Merulam in Coſmographiâ ſuâ, part. 2. pag. 271. præcipuè verò Angelum Roccham in Appendice Biblioth. Vatic. pag. 338.

De Germanicis & Francicis verſionibus jam ante dictum eſt, an. 807. 820. 850. 870. 1200. 1250. 1370. Germanicas Bibliorum verſiones antiquiores Luthero agnoſcit Gretſerus in Defenſione capitis 15. libri 2. Bellarmini de Verbo Dei, col. 806. Item col. 18. repetit Germanicâ linguâ extitiſſe integra Biblia aliquot ante annis quàm Lutherus naſceretur. Et col. 545. aliquot ante Lutherum natum annis Biblia in Germanicam linguam tranſlata, typis etiam excuſa fuiſſe. *Francica Evangeliorum verſio, quam habuit Beatus Rhenanus, à noſtris nullo pacto intelligitur,* [ut notat Pantaleon Theveninus ad cap. 1. Grammaticæ Latino-Francicæ] Harmoniæ Evangelicæ à Tatiano concinnatæ vetuſtiſſimam interpretationem Teutonicam apud ſe extare affirmat Bonav. Vulcanius in Specimine veteris linguæ Teutonicæ (ad Calcem Commentarioli de literis & linguâ Getarum, pag. 54.) Ex vetere etiam Germanicâ Pſalmorum verſione verſiculum proponit Elias Hutterus in Specimine Operis Polyglotti (præfixo tom. 1. Bibliorum Quadrilinguium) ſicut etiam ex Hibernicâ [de quâ vid. ſupra an. 1358.] De Saxonicis & Anglicis verſionibus vid. ſupra an. 670. 706. 730. bis 890. 930. 990. 1170. 1380. 1396. 1407. 1416. 1485. 1506. 1511. 1514. 1518. 1520. 1521. 1523. De Italicis, an. 1290. De Hiſpanicis an. 1425. 1440. 1450. 1515. Pſalterium Scoticum & Gallicum Cantabrigiæ in Bibliothecâ Collegii S. Benedicti, & partem Bibliorum Gallicorum (à Tobia) MS. in privatâ Bibliothecâ Gualteri Copi (jam diſtractâ) haberi notat Th. James in poſteriore parte Eclogæ ſuæ pag. 60. His addere licet, quæ Joannes Treviſa ſacerdos in Dialogo præfixo Polychronico Ranulphi Ceſtrenſis ſcribit Anglicè, *Noſti etiam ubi loci Apocalypſis parietibus ac laqueari cujuſdam Capellæ Latinè ſimul ac Gallicè inſcribitur.*

Eraſmus

Eraſmus [o] in Apologiis contra Beddam, Sutorem, & Pariſienſes, aſſerit; ſi quæ conſtitutio prodita ſit, prohibens ne laici libros ſacros legant, non eſſe comprobatam uſu publico. Jam olim enim à multis ſeculis haberi ſacros libros in linguas vulgares diverſarum gentium tranſlatos, conniventc ad id Eccleſiâ, & à populo palàm legi. Hinc Fridericus Furius in Bononiâ ſuo (pag. 111.) de Bibliis in vulgi linguam convertendis, ex communi omnium ferè Chriſtianorum opinione argumentum deducit. *Nam cùm jamdiu* (inquit) *hæc agitari cœpta ſit opinio, fuerintque multi qui verti debere negarent; tacitus tamen Chriſtianorum conſenſus approbavit, verti debere hoc ipſo, quòd ſine diſcrimine ferè ubique jam verſi ad promiſcuam plebis utilitatem libri & imprimantur & vendantur & legantur. Habet enim Italia providens jam in ſuam linguam verſos libros ſacros, Gallia pia etiam in ſuam, Germania inferior etiam in ſuam. De Germaniâ ſuperiori & Britanniâ, & Daniâ, & Poloniâ nihil dico: Quoniam & pueri ſciunt, multis abhinc retro annis in ſuas quamque linguas ſcripturas ſacras convertiſſe.* Concludit demum ſemper habitos eſſe libros ſacros in linguam vulgarem verſos, & in Hiſpaniâ, & Galliâ, & Germaniâ, & Italiâ, & Britanniâ, & univerſâ Europâ; idque cùm ipſimet Pontifices & certò ſcirent, & ſuis oculis inſpicerent. *Quæ opinio* (inquit) *i. e. ea quæ affirmat libros ſacros verti oportere, tantùm abeſt, ut ſucceſſu temporis evanuerit; ut quotidie vehementiùs & certiùs multò confirmetur. Indies enim videas & plures vernaculos factos de Latinis libros imprimi & vendi & legi, & à pluribus etiam expeti, quàm fuerint & patrum & noſtrâ memoriâ unquam.* Hactenus Fridericus Furius, homo etiam Pontificius. Sic igitur hâc in re praxin Eccleſiæ, & veteris Catholicæ, & recentioris Pontificiæ, vidimus. Unde falſum eſſe perſpicitur, quod Rob. Bellarminus [p] negat noſtros editionem vernaculam Scripturarum, niſi à paucis annis factam, proferre poſſe. Deſinat ergo mirari P. Victor Cajetanus [q], quid noſtris in mentem venerit (quos *Eccleſiæ perturbatores* appellat Apoſtata) quòd velint ſacras Scripturas vulgari idiomate in omnium manus exponi. Siquidem mendacium impudentiſſimum, quod tenebrionem iſtum effutire non puduit, nullam unquam fuiſſe gentem, quæ ſacra ſua cum vulgo haberet communia. Audiat Sixtum

[o] Tom. 9. Operum, pag. 377. 629. & 703. [p] De Sacram. in genere lib. 2. cap. 31. [q] In Paradigm. ling. Armen. p. 59.

Senenſem,

Senenſem, lib. 6. Biblioth. Sanct. Annot. 152. *Fatemur nos* (inquit ille) *quondam ſacros libros vulgari idiomate redditos magnâ Chriſtianæ fidei propagatione. At nunc id ipſum fieri non omnino expedit; quando certiſſimo experimento cognovimus plurimam ſimplicium turbam ex hâc occaſione in deteſtabiles & irremeabiles errores corruiſſe.* Ecce habemus confitentes reos; Eccleſiam Romanam à veteris Catholicæ conſuetudine receſſiſſe; quippe jam experimento ſapientiorem factam. Ita & Azorius [r] Jeſuita de Hieronymi & Chryſoſtomi ætate agens, *Nos libenter* (inquit) *fatemur tunc temporis Laicos in ſcripturarum lectione fuiſſe verſatos; quia ſacra eloquia erant Græco vel Latino ſermone conſcripta; quem ſermonem vulgus quoque callebat. Nunc verò plebs ferè rudis eſt, & imperita Latini ſermonis. At Laici, qui Græcè vel Latinè noverunt, Scripturas jure optimo lectitant.* Hactenus Azorius; qui quidem Bellarmino maximè adverſatur: iſte enim ſtatum quæſtionis in eo ſitum dicit, Utrum legendæ ſint Scripturæ, non, Utrùm Tranſlationes.

[r] Inſtitut. Moral. lib. 8. cap. 26. ſect. *objicies*, in reſponſ. ad Chryſoſt.

SECT.

SECT. II.

In vetere Eccleſiâ nulli hominum generi Scripturarum lectione interdictum eſt.

DE Imperatoribus ac Regibus Chriſtianis illud in præcedentibus declaratum eſt, quibus addere licet Theodoſii ſenioris conjugem Placillam Auguſtam (quæ *divinas leges eum ſæpius admonebat, ſeipſam tamen priùs erudiens perfectè,* uti habet Hiſtoria Miſcella [s]) Leonem Philoſophum Imp. ſtudioſum Scripturarum; uti conſtat ex Homiliis ejus à Jac. Gretſero editis: Bathildim uxorem Clodovæi Francorum Regis, quæ (facta monialis) divinam lectionem ſæpiùs frequentabat; ut eſt in Vitâ [t] ejus ab æquali ejus ſcriptâ: & Dagobertum Francorum Regem; qui voluit, ut S. Amandus filium Sigebertum recèns natum enutriret, atque lege imbueret divinâ, ut in vitâ Sigeberti Author eſt Sigebertus Gemblacenſis [v]. Sed & in Ethnicis & hæreticis Imperatoribus ſtudium illud comprobatum eſt. (1) *Non dubito* (inquit Athenagoras in Apologiâ pro Chriſtianis ad Imperatores Antoninum & Commodum) *quin vos doctiſſimi & ſapientiſſimi principes, hiſtorias & Scripta Moſis, Eſaiæ, Hieremiæ, & reliquorum aliquâ ex parte cognoveritis.* Et paulò poſt: (2) *Sed vobis relinquo, qui libros noviſtis, ſtudioſiùs in illorum Prophetias inquirere ac perpendere.* Nec minùs in Conſtantio Imperatore Ariano illud celebravit Athanaſius (initio ſuæ ad eundem Apologiæ) quod (3) *Verborum B. Pauli dilgens* fuiſſet *auſcultator.*

De artis oratoriæ profeſſoribus idem liquet ex 8.libro Confeſſionum Auguſtini, ubi & Victorini Rhetoris & ſui ipſius hiſtoriam commemorat. Ac de Victorino quidem ita narrat, cap. 2. *Legebat ſicut*

[s] Lib. 13. p. 403. ex Theodoreto, lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 18. [t] Cap. 8. tom. 7. Surii, p. 68.
[v] Ibid. p. 85.

(1) Νομίζω γὰρ ὑμᾶς οὐκ ἀνοήτους γεγονέναι οὔτε τῶν Μωσέως οὔτε τῶν Ἡσαΐου, καὶ Ἱερεμίου καὶ τῶν λοιπῶν προφητῶν.

(2) Καταλείπω δὲ ὑμῖν, ἐπ' αὐτῶν τῶν βιβλίων γενομένοις, ἀκριβέστερον τὰς ἐκείνων ἐξετάσαι προφητείας.

(3) Τῶν αὐτοῦ ῥημάτων φιλήκοον.

ait Simplicianus, ſanctam Scripturam, omneſque Chriſtianas literas inveſtigabat ſtudioſiſſimè & perſcrutabatur ; & dicebat Simpliciano, non palam, ſed ſecretiùs & familariùs : Noveris me jam eſſe Chriſtianum. Sed ubi mihi (inquit Auguſtinus, cap. 5.) *homo tuus Simplicianus de Victorino iſta narravit ; exarſi ad imitandum. Ad hoc enim & ille narraverat. Poſteaquam verò & illud addidit, quòd Imperatoris Juliani temporibus lege datâ prohibiti ſunt Chriſtiani docere literaturam & oratoriam ; quam legem ille amplexus, loquacem ſcholam deſerere maluit quàm verbum tuum, quo linguas infantium facis diſertas ; non mihi fortior quàm fælicior viſus eſt, quia invenit occaſionem vacandi tibi.* Et cap. 6. de ſeipſo & Politiano (quem ut præclarè in Palatio militantem commendat) loquens: *Conſedimus*, inquit, *ut colloqueremur ; & fortè ſupra menſam luſoriam, quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, invenit Apoſtolum Paulum, inopinate ſanè ; putaverat enim aliquid de libris, quorum profeſſio me conterebat. Tum verò arridens meque intuens, gratulatoriè miratus eſt, quòd eas & ſolas præ oculis meis literas repentè compeririſſet. Chriſtianus quippe & fidelis erat, & ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſiâ crebris & diuturnis orationibus. Cui ego cùm indicâſſem illis me ſcripturis curam maximam impendere, ortus eſt ſermo ipſo narrante de Antonio, &c.* Hactenus Auguſtinus, qui etiam cap. 12. indicat ſe poſt hunc ſermonem cum Alypio in hortulum conceſſiſſe ; ubi cum codicem Apoſtoli aperuiſſet, & legiſſet illud, Rom. XIII. *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, &c. Statim*, inquit, *cum fine hujuſce ſententiæ quaſi luce ſecuritatis infuſâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Hæc Auguſtinus de converſione ſuâ, (à Manichæorum hæreſi ad fidem orthodoxam) hiſtoriam narrans.

De Catechumenis idem conſtat, ex ſententiis Conciliorum ante prolatis. Unde rectè Eraſmus in Apologiâ adverſùs Sutoris debacchationes : *Sit populus eo loco doctis, quo olim erant Catechumeni Chriſtianis. Illis ante baptiſmum enarrabantur hiſtoriæ veteris Inſtrumenti, & ad ſacram lectionem admittebantur, quæ tum intelligebatur à promiſcuâ plebe. Et Auguſtinus docet cum nullis Catechumenis minus fuiſſe negotii, quàm cum eruditis, qui ſacros libros priùs evolverant. Ita concionator populum habebit certè magis docilem ; ſi fuerit utcunque lectione ſacrorum voluminum præparatus.*

De

De fœminis tam nuptis quàm virginibus, cùm ex iis quæ in ſuperioribus prolata, tum ex iis quæ proferenda ſunt, id ipſum confirmatur. In Actis S. Cæciliæ Virginis (quæ anno 230. Martyrium paſſa eſt) apud Sym. Metaphraſten Novemb. 22. iſtiuſmodi verba reperiuntur. *Abſconſum Chriſti Evangelium ſemper circumferebat in pectore; & nec noctu nec interdiu intermittebat divina legere eloquia.* Euſebius[x] de Alexandrinis mulieribus à Maximino (anno 307.) vexatis agens: *Atque ex mulieribus* (inquit) (4) *non minùs ipſis viris à doctrinà divini Verbi animatis roboratiſque, pars eadem cum viris certamina ſubeuntes æqua virtutis præmia reportârunt.*

Gregorius Nazianzenus orat. 25. in laudem Gorgoniæ, ſororem ſuam (quæ nupta erat) ita commendat. *Quænam ea, quæ Dei ſunt, meliùs novit, tum ex divinis oraculis, tum ſuopte ingenii acumine?* Item, *Prudenti Pſalmodiæ intentione, vel divinorum oraculorum lectione & explicatione, quis vel virorum vel mulierum eſt, qui eam à ſe ſuperatam gloriari queat?* Hieronymum non virgines modò & viduas, ſed etiam matronas rei domeſticæ curâ implicitas, ad ſacræ Scripturæ ſtudium inflammâſſe, Epiſtolæ ad illas ſcriptæ luculenter teſtantur. Vid. ſupra an. 390. in Hieronymo. In Marcellæ Epitaphio (Epiſt. 16. ad Principiam virginem) ita ſtudium nobilis illius viduæ deſcribit. *Divinarum ſcripturarum ardor erat incredibilis, ſemperque cantabat*: In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. *Et quia* (inquit ibid. Hieronymus) *alicujus tunc nominis eſſe exiſtimabar ſuper ſtudio ſcripturarum; nunquam convenit, quin de ſcripturis aliquid interrogaret; nec ſtatim acquieſceret, ſed moveret è contrario quæſtiones, non ut contenderet, ſed ut quærendo diſceret earum ſolutiones, quas opponi poſſe intelligebat, &c. Ita quicquid in nobis longo fuit ſtudio congregatum, & meditatione diuturnâ quaſi in naturam verſum; hoc illa libavit, didicit atque poſſedit; ita ut poſt profectionem noſtram ſi in aliquo teſtimonio Scripturarum eſſet oborta contentio, ad illam judicem pergeretur.* Hæc de Marcellâ Hieronymus, qui plura de eâdem habet Præfatione in lib. 1. Comment. in Ep. ad Galatas. Similiter etiam & Fabiolæ ſtudium in Epitaphio ejus (Epiſt. 30. ad Oceanum) miratur. *Jeſu bone* (inquit) *quo illa fer-*

[x] Hiſt. Eccleſ. lib. 8. cap. 25.

(4) Οὐχ ἧττον τῶν ἀνδρῶν ὑπὸ τῆς τοῦ θείου λόγου διδασκαλίας ἐῤῥωμέναι.

vore, quo ſtudio intenta erat divinis voluminibus & veluti quandam famem ſatiare deſiderans, per Prophetas, Evangelia, Pſalmoſque currebat; quæſtiones & proponens & ſolutas recondens in ſcriniolo pectoris ſui.

Idem in Epitaphio Paulæ (Epiſt. 27. ad Euſtochium) *Nec licebat* (inquit) *cuiquam ſororum ignorare Pſalmos, & non de Scripturis ſanctis quotidie aliquid diſcere.* Addit ibidem, Paulam ſcripturas ſanctas tenuiſſe memoriter. *Denique* (inquit) *compulit me; ut Vetus & Novum Inſtrumentum cum filiâ, me diſſerente, perlegeret.* Filiam verò habuit Paula Euſtochium, cui teſtimonium perhibet Hieronymus [y], quòd diebus ac noctibus in Dei lege meditaretur: & Bleſillam, de cujus obitu agens Hieronymus [z]: *Vacillabant* (inquit) *ægrotatione greſſus; & pallentem ac trementem faciem vix collum tenue ſuſtinebat; & tamen aut Prophetam aut Evangelium ſemper in manibus tenebat.* Epiſt. 10. ad Furiam, de ſorore ejus ita ſcribit. *O ſi videres ſororem tuam, & illud ſacri oris eloquium coràm audire te contingeret. Cerneres in parvulo corpuſculo ingentes animos. Audires totam Veteris & Novi Teſtamenti ſupellectilem ex illius corde fervere.* Epiſt. 140. ad Principiam, cùm obtrectatoribus reſpondiſſet; qui quòd ad mulieres ſolebat ſcribere, eum criminabantur: *Hæc & iſtiuſmodi* (inquit) *σεμνοτάτη filia, perſtrinxi breviter; ut nec te pœniteret ſexûs tui, nec viros nomen ſuum erigeret; in quorum condemnationem fœminarum in ſcripturis ſanctis vita laudatur.* Et paulò poſt: *Habes ibi in ſtudio Scripturarum & in ſanctimoniâ mentis & corporis Marcellam & Aſellam; quarum altera te per prata virentia & varios divinorum voluminum flores ducat ad eum, qui dicit in Cantico,* Ego flos campi, & lilium convallium; *altera ipſa flos Domini tecum mereatur audire;* Ut lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum. Certè quæſtiones è Scripturis Hieronymo explicandas ex ultimis Galliarum finibus Hedibiam & Algaſiam [a], Suniam verò & Fretelam [b] ex Getarum & Germaniæ oris, miſiſſe conſtat. Unde de his Hieronymus [c]: *Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem; & dormitantibus, immo contemnentibus Græcis, ipſa Germania Spiritûs Sancti eloquia ſcrutaretur?* Denique ex Commentariis (qui Hieronymo tribuuntur) in Pſalm. 133. con-

[y] Procem. lib. 1. Comment. in Eſai. [z] Epiſt. 25. ad Paulam. [a] Ex Epiſt. 150, 151. [b] Ex Epiſt. 135. [c] Ibid.

ſuetudinem

ſuetudinem tunc temporis invaluiſſe apparet, ut non monachi ſolùm & viri, ſed etiam mulierculæ hoc inter ſe haberent certamen, ut plures ediſcerent Scripturas; & in eo ſe putarent eſſe meliores, ſi plures edidiciſſent. Unde ſicut ſuo tempore Paulam celebravit Hieronymus [d], quòd Scripturas ſanctas tenuiſſet memoriter; ita etiam (circa an. 500.) Fuſcinam ſororem ſuam hoc nomine commendat Alcimus Avitus, in libro de conſolatoriâ caſtitatis laude ita canens.

Præterea verò quis victo ex hoſte rebelles
Atque reſultantes victrici in corpore motus
Artibus alidas, Chriſtoque in cote retundas;
Divino eloquio, Scripturâque indice noſti.
Nam quicquid ſacra divina volumina legis
Aut ſenſu aut verbo monſtrant, quod prædicat ille
Antiquus mundi repetens exordia vates,
Sive ille hiſtorias texit, ſeu forte figuras;
Quidque etiam ille Nave Moſi ſucceſſor Ieſus,
Succiduoque ſimul quod quiſque in tempore Judex
Geſſerit; ut digitos ſoror iſthæc omnia dudum
Docta tenes, &c.
Tota Inſtrumenti Veteris tibi pagina nota eſt.
Dehinc quicquid priſca ſuccedens gratia legi
Intonat, atque Novi miracula Teſtamenti.

Syncleticam Diaconiſſam, qui illius temporibus vixit, Cœlius Sedulius ita commendat in Epiſtolâ ad Macedonium (quæ eſt Operis Paſchalis Præfatio) *Scripturas Eccleſiaſtici dogmatis ita ſitiens epotavit; ut niſi ſecus licentia defuiſſet, potuiſſet docere, quàm membris fœminei corporis animus ſit virilis.* Ea verò *plenitudinem cœleſtium nôſſe deſiderabat Scripturarum*: quemadmodum confirmat Euſtathius, qui Baſilii Hexaemeron Latinè à ſe verſum eidem dicavit. Vid. Præfationem Fauſti ad Reginam in libro de fide contra Arianos. Elfledam nobilem Abbatiſſam (circa an. 684.) laudat Beda [e], quòd *in ſanctis Scripturis erudita* fuerit. Eirenen etiam filiam Chaiani regis Cazarorum, quam Chriſtianam factam Leo Iſaurus anno 16. Imperii ſui (circa annum Domini 732.) filio ſuo Conſtantino matrimonio

[d] Epiſt. 27. [e] In vitâ Cuthberti, cap. 24.

ſociavit,

ſociavit, hoc argumento commendat Theophanes (eumque ſecutus Anaſtaſius Bibliothecarius & Landulphus Sagax [f], quòd *cùm ſacras literas didiciſſet, pietati operam dans claruerit.* Addam Chryſoſtomi [g] verba, *Si tela in virginum domibus pertexitur; & primus, & medius, & noviſſimus eſt David. O rem inauditam! Multi qui literarum experimenta minùs ſumpſerunt, neque ipſis edocti principiis, totum Davidem in pectore conſervant. Neque in urbibus ſolùm atque Eccleſiis ſic per omne tempus, per omnem ætatem fulget; ſed in foro medio, atque in ipſâ ſolitudine, & inhabitabili terrâ, certatim Deo ſacras ſtationes excitat.* Sed & ante hæc tempora nullum decretum receptum eſſe, ne in Eccleſiâ quidem Pontificiâ, quo Laici arcerentur à legendis ſacris libris, eo argumento confirmat Eraſmus [h]; quod Beghinæ dicant preces ſuas & Pſalterium linguâ vulgari, Deoque dicatæ Virgines (ſic enim Nonnas Papiſticas appellat) etiam canticum amatorium legant canantque publicitùs in templis ſuis.

Denique ut ab omnibus legerentur ſacræ Scripturæ, voluiſſe Patres, patet ex graviſſimis, quibus Chriſtianorum hominum ignorantiam ſubinde notârunt, cenſuris. Sic enim Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Græcos (edit. Latin. Florent. an. 1551. [i] *Lapidibus eſt inſenſibilior homo, qui eſt tinctus ignorantiâ.* Ibid. [k] *Ducamur ergo pœnitentiâ; & ex ignoratione traducamur ad ſcientiam, ex imprudentiâ ad prudentiam, &c.* Ibid. [l] *Niſi Verbum* (fortè Filium intelligit) *cognoviſſemus, & eo illuminati eſſemus; nihil differremus ab avibus quæ paſcuntur; ut qui pinguefiamus in tenebris, & morte nutriamur. Capiamus lucem, ut Deum capiamus, &c.* Ibid. [m] *Philoſophi ignorantiam inſaniæ genus deſcribentes, nihil aliud quàm multos fatentur inſanire.* Idem, *Pædagog. lib. 1. cap. 6. Tenebræ ſunt ignoratio, per quam in peccata incidimus circa veritatem hallucinantes.* Idem, Pædagog. lib. 3. [n] (5) *Enutriamini in ſermonibus fidei: ait ſuis pueris Pædagogus,* ſc. 1 Tim. 4. Id. Stromat. lib. 1 [o] *Firmum* (conſcientiæ) *fundamentum eſt recta vita, cum eâ, quæ convenit, doctrinâ.* Chryſoſtomus in Serm. de vitando Scandalo, tom. 5. edit. Baſil. an. 1558. col. 791. & 792. d. egregiè hâc de re diſſerit: & lib. 6. de Sacer-

[f] Miſcel. Hiſtor. lib. 21. [g] Homil. 6. de Pœnitentiâ. [h] Apolog. contra N. Beddam, tom. 9. Oper. pag. 377. [i] Pag. 6. [k] Pag. 35 *b.* [l] Pag. 41. *a.* [m] Pag. 44. *a.* [n] Pag. 109. *c. d.* [o] Pag. 2. *c.*

(5) Ἐντρέφεσθε τοῖς λόγοις τῆς πίστεως.

dotio

dotio hæc habet (6) *Unde & Epiſcopum neceſſe eſt in ſingulos (ut ſic dicam) dies ſementem facere; ut ipſa ſaltem aſſuetudine doctrinæ ſermonem auditorum animi retinere poſſint.* Idem ad populum Antiochen. Homil. 24. *Nec ſolis hoc* (ſc. Petre paſce oves) *dictum eſt ſacerdotibus,* i. e. ut ego accipio, Epiſcopis) *ſed unicuique noſtrûm* (Presbyterorum, qualis tunc erat Chryſoſtomus) *cui vel puſillus creditus eſt grex.* Pſeudo-Clemens Epiſt. 3. (tom. I. Concil.) *Grande malum eſt, ut diximus, ignorantia.* Tertullianus de præſcriptione adverſus Hæreticos, iſtiuſmodi Objectionem ab Hæreticis factam profert. *Noviſſimè ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris. Fides* (inquit) *tua te ſalvam fecit, non exercitatio Scripturarum.* Ibid. *Nihil ſcire, omnia ſcire eſt.* Haud diſſimilem Objectionem adducit Auguſtinus, contra Epiſt. Manichæi, quam vocant Fundamenti. *Turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Idem Confeſſion. lib. 13. cap. 22. hæc habet. *Et ſacramenta & voces myſticas, ubi intentâ ſit ignorantia mater ignorationis in timore occultorum ſignorum.* Marcus Eremita, de his qui putant ex operibus ſe juſtificari, cap. 97. Πάντων τῶν κακῶν προηγεῖται ἡ ἄγνοια, δευτέρα δ' αὐτῆς ἐστὶν ἡ ἀπιστία. *Omnium malorum dux eſt ignorantia: ſecunda poſt hanc eſt incredulitas.* Concilium Aurelianenſe, can. 33. *Epiſcopus, ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſia, cui proximus fuerit die Dominico, deeſſe non debet.* Concilium Moguntiacum, can. 25. *Nunquam deſit dominicis diebus aut feſtivitatibus, qui verbum Dei prædicet, & juxta quod intelligere vulgus poſſit.* Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 10. *Præcipimus tam in Cathedralibus quàm in aliis Conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari; quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperarios habere, &c.* Verba Concilii Tolerani IV. can. 24. Turonenſis III. can. 17. Moguntiaci & Rhemenſis, ſupra adduximus, pag. 46. 87. 88. Vid. Fulgentium, ad Gallam, epiſt. 2. cap. 21.

(6) Ἀνάγκη τῷ διδασκάλῳ σπείρειν καθ' ἑκάστην, ὡς εἰπεῖν, ἡμέραν, ἵνα τῇ γοῦν συνεχείᾳ δυνηθῇ κρατηθῆναι παρὰ τοῖς ἀκούουσι τῆς διδασκαλίας ὁ λόγος.

SECT.

SECT. III.

Biblia in Eccleſiis paſſim habebantur.

ID vel Conſtantini cura in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ teſtatur (ſupra anno 330.) idque in duplicem finem, 1. Ut quiſque privatim ad libros illic aſſervatos poſſet recurrere; quemadmodum ex verſibus [p] illis colligitur, quos Secretario ſacrorum librorum in Nolanâ Baſilicâ inſcripſit Paulinus [q].

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas;
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

2. Ut publicè toto populo audiente recitarentur; quod quidem inſtitutum ab ipſis Apoſtolis non injuriâ repetit Origenes [r]. Ita refert Chryſoſtomus [s] librum Geneſeos ſemel quotannis lectum fuiſſe per Eccleſias; ex Evangeliis verò, quemadmodum & ex Epiſtolis Pauli, bis hebdomadatim lectiones propoſitas; ſed præ cæteris utriuſque Inſtrumenti ſcripturis librum David ſic adamatum fuiſſe omnibus Chriſtianis; *ut in Eccleſiis & extra Eccleſias primus & medius & noviſſimus fuerit David. Epiſtolæ Apoſtolicæ* (inquit Auguſtinus [t]) *non tantùm illis ſcriptæ ſunt; qui tempore illo, quo ſcribebantur, audiebant, ſed etiam nobis. Non enim ob aliud in Eccleſiâ recitantur. Neque fuiſſet neceſſarium* (ut rectè Origenes [v]) *legi hæc in Eccleſiâ, niſi ex his ædificatio aliqua audientibus præberetur.* Certè ex veterum homiliis conſtat, hunc in Eccleſiâ ſervatum eſſe ordinem; ut lectio ſacra Scripturæ linguâ populari à Lectoribus recitaretur; deinde fuſior eorum, quæ prælecta fuerant, explicatio ab Epiſcopis vel Preſbyteris ſubjungeretur. Hinc illa apud eos ſolennia: *Audiſtis hodie dicentem Dominum Jeſum Simoni,* Duc in altum, &c. (Ambroſius de Virginibus, lib. 3. verſùs finem) *Audiſtis filii librum legi Job, qui ſolenni munere eſt decurſus & tempore. Matutinis horis lectum eſt, ut*

[p] Vid. etiam tom. 9. Biblioth. Patrum, col. 1433. B. [q] Epiſt. 12. ad Severam. [r] Initio Homil. 15. in Joſuam. [s] Homil. 6. de Pœnitentiâ. [t] Contra Creſconium, lib. 1. cap. 9. [v] In Levitic. Homil. 5.

meminiſtis,

meminiſtis, fratres, quod ſummo animi dolore reſpondemus: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. (Idem lib. 5. epiſt. 33.) *Audiſtis hodie in lectione decurſâ, quid legio dixerit;* Quid mihi & tibi eſt, Jeſu fili David? (Idem de Helia & Jejunio, cap. 20.) *Hodierno etiam die ad ipſam rem pertinet capitulum, quod modo cum legeretur, audivimus.* (Auguſtinus de verbis Domini ſecundùm Matth. ſerm. 15.) *Lectiones ſanctæ propoſitæ ſunt, & quas audiamus; & de quibus aliquid ſermonis adjuvante Domino proferamus. In lectione Apoſtolicâ gratiæ aguntur Deo de fide gentium; utique ideo, quia ipſe fecit. In Pſalmo diximus;* Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam & ſalvi erimus. *In Evangelio ad Cœnam vocati ſumus, &c.* (Idem de verbis Domini ſecundùm Lucam, Serm. 33.) *Apoſtolum audivimus, Pſalmum audivimus, Evangelium audivimus. Conſonant omnes divinæ lectiones, ut ſpem non in nobis, ſed in Domino collocemus.* (Idem de verbis Apoſtoli, Serm. 7.) *De divinis lectionibus, quod Dominus admonere dignatus, intenti audite fratres, illo dante, me miniſtrante. Primam lectionem audivimus Apoſtoli:* Fidelis ſermo, & omni acceptatione dignus, &c. *Hoc de Apoſtolicâ lectione percepimus. Deinde cantavimus Pſalmum, exhortantes nos invicem, unâ voce, uno corde dicentes:* Venite adoremus, & proſternamur ei, &c. *Poſt hæc Evangelica lectio decem leproſos mundatos nobis oſtendit, &c. Has tres lectiones, quantùm pro tempore poſſumus, pertractemus, &c. Mementote quid ultima Evangelica lectio reſonet, quomodo Jeſus Dominus laudat gratias agentem, &c.* (Ibid. ſerm. 10.) *Timere debeo, ne contingat mihi, quod contigit Apoſtolo Paulo; quod modo cùm legeretur, ſi intenti fuiſtis lectioni, audiviſtis:* Ergo inimicus factus ſum vobis, vera prædicans. (Idem in libro L. Homiliarum, homil. 49. à Bedâ etiam inſertum habetur initio enarrationis 1 Corinth. VII.) *Audivimus Apoſtolicam lectionem: & fortè aliquem moveat, quod ibi ſcriptum eſt:* Secundùm juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fuerim ſine querelâ, &c. (De Tempore, ſerm. 49.) *Volueram aliquando, ut per ſingulos annos ſecundùm omnes Evangeliſtas etiam paſſio legeretur: factum eſt; non audierunt homines, quod conſueverunt, & perturbati ſunt. Qui autem amat literas Dei, & non ſemper vult eſſe idiota, omnia novit, & omnia diligenter inquirit. Sed ſicut cuique à Deo parata eſt menſura fidei, ſic quiſque proficit. Nunc attendamus, quod hodie, cùm legeretur, audivimus, &c.* (Serm. 144. de Tempore) *Lectiones divinorum eloquiorum, cùm recitarentur, audivimus. Ea nobis eſt materies loquendi*

propoſita ; inde ſapere debemus , inde ſeminare quod ſapimus, &c. Lectio prima Prophetica quid nobis commendaverit, me commemorante recolite. (Serm. 236. de Tempore) *Lectiones ſanctas plures, cùm recitarentur, audivimus, & de his nos oportet dicere, quod Dominus fuerit donare dignatus. Sed lectionem omnis auditor, quod recentiùs lectum eſt, magis meminit, & ut inde aliquid à tractatore verbi dicatur expectat. Cùm ergo in ultimum ſit ſanctum Evangelium recitatum; non dubito expectare charitatem veſtram, ut de iſtâ vineâ & de conductis, & de mercede denarii aliquid audiatis.* (Serm. 237. de Tempore) *Audiviſtis vocem Apoſtoli, cæleſtis tubæ, ſpiritualis lyræ, &c.* (Chryſoſtomus Homil. 1. ad populum Antiochenum, in illud Apoſtoli, *Vino modico utere, &c.*) Vid. Leonem I. ſupra an. 450. Cæſarius Arelatenſis, homil. 8. *In lectione Apoſtolicâ, quæ nobis paulò ante recitata eſt, fratres chariſſimi, audivimus, &c.* ſic homil. 19. 22. Chryſoſtomus in Matth. 23. homil. 73. circa fin. *(7) Literas fortè neſcis, & ſcripturam perlegere non potes, ut inde priſcorum virtutes virorum perdiſcas : culpa quidem etiam hæc eſt, cùm eccleſia ſemper tibi pateat, non venire ad deguſtanda hæc fluenta.* Ita Sozomenus [x] Gallum & Julianum refert libros Eccleſiaſticos ac divinos in Eccleſia populo perlegiſſe. Vid. Maximum Taurinenſem ſupra anno 440. Populum intellexiſſe lectiones, vid. teſtimonium Auguſtini de Jonæ cucurbitâ (fol. 22. *b.*) & locum, lib. 1. de Prædeſt. Sanctorum, cap. 14. *Non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ, qui meruit, &c. ab omnibus Chriſtianis Epiſcopis uſque ad extremos Laicos, Fideles, Catechumenos, Pœnitentes, cum veneratione divinæ authoritatis audiri.*

x Hiſt. lib. 5. cap. 2.

(7) οὐκ οἶδα γράμματα, οὐδὲ γραφαῖς ἐντυ- : διηνεκῶς ἠνεῳγμένης μὴ συνιέναι καὶ μετέχειν ψυχῆς, ἵνα μάθῃς τῶν παλαιῶν τὰς ἀρετάς. τῶν καθαρῶν ἐκείνων ναμάτων. μάλιστα μὲν καὶ τοῦτο ἔγκλημα, τῆς ἐκκλησίας,

SECT.

SECT. IV.

In Eccleſiâ Primitivâ commune officium vulgari linguâ celebratum fuit.

ID fatentur Nicolaus Lyranus [a], & Thomas Aquinas [a], ipſe etiam Hardingus [b], *Tum* (inquit) *preces linguâ populari & uſitatâ vulgo hominum fiebant, ut eâ meliùs inſtituerentur.* Et tamen Ambroſius Catharinus [c], *Doctrina* (inquit) *Lutheri, quæ linguam cognitam in precibus exigit, Diaboli calliditatem ſapit*: Cum tamen idem ipſe, [d] *In initio* (inquit) *Evangelii forſan aliter obſervabatur.* Hoc verò in Eccleſiâ Catholicâ uſque ad natum Antichriſtum obtinuiſſe, Liturgiæ tum ſuſceptæ ratio ſatis indicat. Neque enim tunc temporis ab Epiſcopo aut Presbyteris tantum, ſed totius Eccleſiæ conjunctis operis adminiſtrata ſunt ſacra publica. In Liturgiis, quæ Jacobi, Clementis [e], Baſilii, & Chryſoſtomi nominibus feruntur, Diaconis præſcribitur, ut populum hiſce verbis compellent; *Oremus, Attendamus*; populo etiam, ut ad miniſtri precationem aliquando reſponderet *Amen*; aliquando *Dominus miſereatur noſtri*; aliquando, *Et cum ſpiritu tuo*; aliquando, *Habemus ad Dominum, &c.* (quas quidem reſponſiones recto tempore proferre non potuiſſet; ſi preces linguâ non intellectâ fuiſſent habitæ.) Idque ipſum ex indubitatis Patrum monumentis manifeſtò conſtat. *Cum populus ſemel audivit,* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *ſtatim omnes reſpondent*, Amen; inquit Chryſoſtomus [f]. Idem de Romanâ Eccleſiâ teſtatur Hieronymus [g], *ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui, Amen reboare.* (1) *Quin in precationibus quoque* (inquit Chryſoſtomus [h]) *illud quiſpiam conſpexerit, populum*

[a] In 1 Cor. XIV. [b] Contra Juellum. artic. 3. ſect 28. [c] Apud. Sixt. Senenſ. [d] Annot. adv. Cajetan. p. 88. [e] Lib. 8. Conſtitut. Apoſtol. cap. 11. & 12. edit. Turriani. [f] In 1 Cor. XIV. [g] Præfat. lib. 2. in Epiſt. ad Galat. [h] Homil. 18. in 2 Cor. cap. VIII.

(1) Καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς δὲ πολὺ τὸν λαὸν ἴδοι τις ἂν συνεισφέροντα. —— κοιναὶ καὶ παρὰ τοῦ ἱερέως καὶ παρ' αὐτῶν γίνονται αἱ εὐχαὶ, καὶ πάντες μίαν λέγουσιν εὐχήν. —— ἐπ' αὐτῶν πάλιν τῶν φρικωδεστάτων μυστηρίων ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς τῷ λαῷ, ἐπεύχεται καὶ ὁ λαὸς τῷ ἱερεῖ. —— τὰ τῆς εὐχαριστίας πάλιν κοινά. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος εὐχαριστεῖ μόνος, ἀλλὰ καὶ ὁ λαὸς ἅπας. —— καὶ τί θαυμάζεις, εἰ που μετὰ τοῦ ἱερέως ὁ λαὸς φθέγγεται, &c.

*lum permultùm erogare. Etenim pro arreptitiis (*ſeu energumenis*) & pro iis, qui in pœnitentiâ ſunt, communia & à ſacerdote & ab ipſis vota fiunt; atque omnes unam eandemque precem concipiunt, precem inquam illam miſericordiâ plenam. Rurſus quùm eos, qui ſacroſanctæ menſæ participes eſſe nequeunt, à ſacris ſeptis arcemus; ineunda eſt altera oratio; in qua omnes peræquè humi jacemus, omnes peræquè conſurgimus. Adhæc, quùm pax danda viciſſimque accipienda eſt; omnes æque nos exoſculamur. Jam in tremendis quoque myſteriis, ut ſacerdos pro plebe, ita plebs pro ſacerdote vota facit. Hæc enim verba* [Et cum ſpiritu tuo] *nihil aliud, quam hoc ſignificant. Rurſus ea oratio, quâ Deo gratiæ aguntur, utriſque communis eſt. Neque enim ipſe ſolus gratias agit, ſed etiam plebs univerſa. Nam quùm priùs illorum vocem ſumpſit, atque illi aſſenſerunt;* Id dignè ac juſte fieri: *tum demum gratiarum actionem auſpicatur. Quid autem eſt, quamobrem tibi mirum videatur, ſi cum ſacerdote plebs interdum loquatur; quùm etiam cum ipſis Cherubim ac ſupernis virtutibis ſacroſanctos illos hymnos communiter in cœlum mittat.* Hæc Chryſoſtomus. Paria Baſilius[i], *Quòd ſi mare bonum eſt apud Deum, ſi pulchrum, ſi laudabile; quonam pacto non pulchrius eſt hoc talis Eccleſiæ Concilium, in qua (2) permixtus ſonitus reſultat.* Confer ſententiam Ambroſii Hexaemer. lib. 3. cap. 5. ſupra anno 377. Vide & Auſonium, vel Paulinum potiùs, tom. 3. Biblioth. Patr. col. 398. Cyrillum Hieroſolym. Catecheſi Myſtagogicâ 5. tom. 2. Biblioth. Patr. col. 204, 205, 207. Sic verò Clemens Alexandrinus[k], *Eſt ergo (3) quod hic eſt apud nos altare; terreſtris congregatio eorum, qui ſunt dedicati orationibus; qui veluti unam vocem habent communem & unam mentem.* Chryſoſtomus[l] illam ſententiam ex vetere Liturgiâ repetit: Δεηθῶμεν πάντες κοινῇ, *Oremus omnes communiter.* Similiter Auguſtinus[m], de orationibus Eccleſiæ agens, ſacerdotem Dei ait exhortari populum Dei *orare pro incredulis; ut eos Deus convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro fidelibus, ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent.* Unde ibidem Vitalem ita interrogat. *Nunquid ubi audieris ſacerdotem Dei ad ejus altare populum*

[i] In Hexaemer. homil 4. [k] Stromat. lib. 7. p. 717. [l] In Epiſt. ad Epheſ. homil. 3. [m] Epiſt. 107.

(2) Συμμιγὴς ἦχος.
(3) Τὸ ἄθροισμα τῶν τοῖς εὐχαῖς ἀνακειμένων, μίαν ὥσπερ ἔχον φωνὴν τὴν κοινὴν, καὶ μίαν γνώμην.

hortantem

hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clarâ voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat; non reſpondebis Amen? Idem Epiſt. 119. cap. 18. *Quando autem non eſt tempus, cùm in Eccleſiâ fratres congregantur ſancta cantandi; niſi cùm legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clarâ voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur?* Idem de bono Perſever. cap. 23. *Aut quis ſacerdotem ſuper fideles Dominum invocantem, ſi quando dixit;* Da illis Domine perſeverare uſque in finem: *non ſolutâ voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs ſuper ejus talem benedictionem & corde credente, & ore confitente reſpondet?* Et cap. 22. *Atque utinam tardi corde & infirmi, qui non poſſunt, nec nondum poſſunt, ſcripturas vel earum expoſitiones intelligere; ſic audirent, vel non audirent in hâc quæſtione diſputationes noſtras; ut magis intuerentur orationes ſuas, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis, donec finiatur hoc ſeculum, &c.* Nota tardos & infirmos preces Eccleſiæ intelligere potuiſſe. Hilarius in Pſalm 65. *Audiat orantis populi, conſiſtens quis extra Eccleſiam, vocem; ſpectet celebres hymnorum ſonitus; & inter divinorum quoque ſacramentorum officia, reſponſionem devotæ confeſſionis accipiat. Neceſſe eſt terreri omnem adverſitatem, & bellari adverſus Diabolum, vincique reſurrectionis fide mortem tali exultantis vocis noſtræ (ut dictum eſt) jubilo. Sciat hoc Deo placitum eſſe, hoc ſpei noſtræ teſtimonium, publicas victriceſque exultationis noſtræ voces perſonare. Quarum Propheta non negligens eſt, loco altero memorans* [n]. Circuivi & immolavi in Tabernaculo ejus hoſtiam jubilationis. *Et ne inanem hujus jubilationis doctrinam atque obſervantiam crederemus, alibi proteſtatur* [o]. Beatus populus, qui ſcit jubilationem. Concilium Bracarenſe I. (circa an. 572.) cap. 21. *Placuit, ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent, dicentes;* Dominus ſit vobiſcum; *ſicut in libro Ruth* [p] *legitur:* Et ut reſpondeatur à populo: Et cum ſpiritu tuo; *ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens: & non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit.* Cæſarius Arelatenſis, homil. 33. *Gaudeo, fratres dilectiſſimi, & Deo gratias ago; quia vos ad audiendas lectiones divinas video fideliter currere; ſed ſi & profectum veſtrum & gaudium noſtrum complere ad integrum vultis; maturiùs convenire debetis, &c. Ideo*

[n] Pſal. XXVI. [o] Pſal. LXXXVIII. [p] Cap. II.

rogo vos, ut & maturiùs veniatis, & cùm veneritis, magis orare vel pſallere, quàm otioſis vos vel ſecularibus ſtudeatis fabulis occupare. Qui enim ad Eccleſias veniens verboſare voluerit, melius illi fuerat non veniſſe; quia dum ſe infructuoſis fabulis occupat; nec ipſe pſallit, nec alios pſallere aut lectiones divinas audire permittit. Et homil. 34. *Rogo vos & admoneo, fratres chariſſimi, ut quotieſcunque juxta altarium à Clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur; non ſolùm corda, ſed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, ſicut oportet, & diligenter intendo Diacono clamante.* Flectamus genua, *maximam partem populi velut columnas erectos ſtare conſpicio; quod Chriſtianis, dum in Eccleſiâ oratur, omnino nec licet nec expedit. Non enim propter nos, ſed propter vos Diaconus clamat. Et ideo quia ad vos ſpecialiter vox illa, vel maximè ad negligentes dirigitur, juſtum eſt ut à nobis fideliter impleatur, &c.* Et poſt: *Venientes ad Eccleſiam, hoc ſolum, quod in Eccleſiâ expedit fieri, agite; id eſt, aut orate, aut pſallite; ut orando, peccatorum veniam accipere; & pſallendo, ad ſpiritualem poſſitis lætitiam pervenire. Qui in Eccleſiâ ineptis & incongruis fabulis occupatur, quaſi venenum & gladium reliquis hominibus ingerere vel præbere cognoſcitur; dum verbum Dei nec ipſe audit, nec alios audire permittit.* Ibid. *Quia* [Diabolus] *nos non poteſt corporaliter de Eccleſiæ conventu repellere; in ipſâ Eccleſiâ infructuoſis nos ſtudet ſermonibus occupare; ut nobis per inanes & vacuas, & fortè etiam mordaces collocutiones ac ſordidas cogitationes, divinæ lectionis fructum, vel orationis remedium poſſit auferre; ut corpore tantùm videamur in Eccleſiâ ſtare, & corde vel cogitatione longè à conſpectu divinæ majeſtatis abſcedere.* Hactenus Cæſarius.

Huc etiam referantur alia Patrum teſtimonia, quæ ſignificant hymnos in Eccleſiâ non à Clero ſolo (ut nunc fit in Papatu) ſed ab universâ Plebe ſimul decantatos; quod neceſſario arguit vernaculâ & non ignotâ populo linguâ illud factum. Dionyſius in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, cap. 3. §. 2. (ἐν μυστηρίῳ συνάξεως) Pontifex, inquit ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς τῶν ψαλμῶν μελῳδίας, συναδούσης αὐτῷ τὴν ψαλμικὴν (ſeu ψαλμῳδικὴν) ἱερολογίαν ἁπάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς διακοσμήσεως. *Pſalmorum incipit melos, concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus.* Et paulo poſt. οἱ δὲ τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι σὺν τοῖς ἱερεῦσιν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον, προομολογηθείσης ὑπὸ παντὸς τοῦ τῆς ἐκκλησίας πληρώματος τῆς καθολικῆς ὑμνολογίας. h. e. *Qui verò ipſius ordinis præcipui ſunt, unà cum ſacerdotibus ſanctum panem & calicem ſacroſanctis*

ſacroſanctis altaribus imponunt; *cùm ante praeceſſerit ab omni Eccleſiæ plenitudine* (non Clero tantùm, ut interpres Latinus malè vertit) *univerſalis laus atque confeſſio.* Sic etiam §. 3. (in Θεωρίᾳ) mentio fit καθολικῆς ὑμνολογίας, quam ita appellatam notat ibi Maximus, ἢ ὡς ὑπὸ πάντων ᾀδομένην, ἢ ὡς ὑπὲρ καθολικῆς χάριτος γινομένην, *ſive quòd ab univerſis cantaretur, ſeu quòd gratiam univerſalem poſtularet*, Plinius Secundus [q] Chriſtianos refert ſtato die convenire ſolitos, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum *invicem.* Ephræm de Vitâ Spiritali, [r] cap. 16. *Si in domo Domini ad divinum ſpiritalemque cultum conſtiteris*; *in Pſalmodiis te alacrem promptumque præbeto. Si autem tacueris*; *tacebo & ego*, *tacebit & proximus*; *unde neceſſariò cantum ceſſare neceſſe ſit. Sed hoc quæſo abſit, &c.* Gregorius Nazianzenus in funebri Oratione Baſilii refert, Valentem Imperatorem in Eccleſiam ingreſſum, in quâ Baſilius prædicabat, pſalmodiâ fuiſſe quaſi tonitru perculſum & obſtupefactum. Τὴν ἀκοὴν προσβαλλούσῃ τῇ ψαλμῳδίᾳ καταβροντηθείς. Victor, lib. 2. de Perſecut. Vandalic. *Jam* (inquit) *ob celebritatem feſtivitatis* (Epiphaniorum) *hymni nocturni per totam Eccleſiam* (de Fauſti Baſilicâ in Urbe Carthaginienſi loquitur) *canente populo concrepabant.* Chryſoſtomus [s]: *Quondam* (inquit) (3) *pſallebant in unum omnes*; *facimus & nos.* Idem ibid. (4) *Et ubi omnes ſuccinuerunt, velut uno ex ore vox defertur.* Idem in Epiſt. ad Epheſ. Serm. 3. (5) *Ita tu quoque adveniſti, hymnum ceciniſti cum omnibus reliquis*; *ex eorum te numero eſſe, qui digni ſunt, hoc ipſo confeſſus es, quòd non abſceſſiſti.* Et in Epiſt. ad Hebræos, hom. 4. (6) *Quid enim (ſibi volunt) Hymni? nonne ut Deum glorificemus & ut gratiam agamus*; *quoniam jam coronavit diſcedentem, quoniam à laboribus liberavit, de ſervitute ducens, apud ſe habens? Nonne propter hoc pſalmi & hymni? nonne propter hoc pſalmodia? omnia iſta gaudentium ſunt.*

Unde etiam eos ex populo reprehendit, [t] qui *incompoſitas voces* emitterent, &c. Auguſtinus [v] de Donatiſtis agens, qui legibus Impe-

[q] Lib. 10. epiſt. ad Trajanum. [r] Tom. 1. edit. Voſſii, pag. 49. [s] In 1 Corinth. homil. 36. [t] Hom. 1. in Eſai. cap. VIII. [v] Epiſt. 50.

(3) Ὑπέψαλλον κοινῇ, τοῦτο ποιοῦμεν καὶ νῦν.
(4) Κἂν πάντες ὑπηχῶσιν, ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος ἡ φωνὴ φέρεται.
(5) Τὸν ὕμνον ᾖσας μετὰ πάντων.
(6) Τί γὰρ βούλονται οἱ ὕμνοι; οὐχὶ τὸν Θεὸν δοξάζομεν καὶ εὐχαριστοῦμεν; —— οὐ διὰ τοῦτο ὕμνοι; οὐ διὰ τοῦτο ψαλμῳδία; ταῦτα πάντα χαιρόντων ἐστίν.

rialibus

rialibus coacti ad Eccleſiam acceſſerunt: *Quorum* (inquit) *ſi videas in Chriſti pace lætitias, frequentias, alacritates, & ad hymnos audiendos & canendos, & ad verbum Dei percipiendum celebres hilareſque conventus, &c. diceres nimiæ fuiſſe credulitatis; ſi iſti in æternum perdendi & ſempiternis ignibus cruciandi relinquerentur.* Idem de Verbis Apoſtoli, ſerm. 10. *Cantavimus* (inquit) *pſalmum, exhortantes nos invicem, unâ voce, uno corde dicentes:* Venite, adoremus, & proſternamur ei, &c. Idem Retract. lib. 2. cap. 1. *Inter hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus, Catholicus, neſcio unde adverſus Dei miniſtros, ut fieri aſſolet, irritatus, morem, qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur ex Pſalmorum libro, &c. maledicâ reprehenſione ubicunque poterat lacerabat, aſſerens fieri non oportere. Huic reſpondi jubentibus fratribus.* Idem Confeſſion. lib. 10. cap. 33. *Tamen cùm mihi accidit, ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Hieronymus in epiſt. ad Lucinium: *Sonabant Pſalmi, & aurata templorum reboans in ſublimi quatiebat Alleluia.* Baſilius in Pſal. CXIV. hom. 28. *Ut verò ne diutiùs vos detinentes triſtitiam vobis inſeramus; ubi pauca ex pſalmo, quem vos cantantes deprehendimus, diſſeruerimus, &c.* Ambroſius in Orat. ad populum de Auxentio: *Hymnorum meorum carminibus populum deceptum volunt. Planè nec hoc abnuo. Grande carmen iſtud eſt, & quo nihil potentius. Quid enim potentius, quàm confeſſio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes ſtudent fidem fateri: patrem & Filium & Sp. Sanctum nôrunt verſibus prædicare* Hi nimirum erant hymni; de quibus ita Auguſtinus, lib. 9. Confeſ. cap. 6. & 7. *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum; & ex eâ inde æſtuabant affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis. Non longè cœperat Eccleſia Mediolanenſis genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò ampliùs, cùm Juſtini Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, quâ fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo. Tunc hymni & pſalmi ut canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris ſtudio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus gregibus*

gibus tuis & per cætera orbis imitantibus. Hæc ibi. Hinc Concilium Laodicenum edixit, cap. 59. (7) *Quod non oportet ab idiotis* (i. e. privatis) *Pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſiis dicere.* Similiter Concilium Braccarenſe I.[a] cap. 60. cujus etiam cap. 30. eſt hujuſmodi. *Placuit ut extra Pſalmos Canonicarum Scripturarum Novi & Veteris Teſtamenti nihil poeticè compoſitum in Eccleſiâ pſallatur; ſicut & ſancti præcipiunt Canones.* Socrates, lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. (8) *Imperator vero medius inter eos, hymnos ordiebatur, ac veſte privatâ ingrediebatur.* Sozomenus, lib. 8. cap. 8. Ariani extra urbem Conſtantipolitanam *in publicis porticibus congregati,* (9) *& per cœtus diviſi, per vices & modum alternatim reſpondendi pſallebant,&c. Joannes veritus, ne de ſuis aliqui per iſta ſeducerentur, populum ſuum* (10) *ad parem pſallendi modum inſtituit.* Ibid. cap. 18. *Populus* (11) *pſalmos canens ad præſens negotium compoſitos, obviam ei progreſſi, ad Eccleſiam eum deduxerunt.*[a] Theodoritus [x] (aut potiùs apud eum Athanaſius) de Flaviano & Diodoro refert, quòd licèt ſacerdotii miniſtrationem nondum fuiſſent conſecuti, ſed annumerati laicis; *Tamen noctu & interdiu ad pietatis ſtudium omnes ſedulò excitarunt.* (12) *Hi primi* (inquit) *pſallentium choro in duas partes diviſo, hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt. Quæ res primùm Antiochiæ incœpta, ubique pervaſit, & ad ultimas orbis terræ oras pervagata eſt. Hi etiam rerum divinarum ſtudioſis ad martyrum monumenta in unam congregatis, totam noctem unâ cum illis Deum hymnis celebrando contriverunt.* Hæc ibi: Bellarminus [y] quidem ait, quòd initio, quia Chriſtiani erant pauci, omnes ſimul pſallebant in Eccleſiâ, & reſpondebant in divinis officiis: at poſtea creſcente populo, diviſa ſunt magis officia; & ſolis Clericis relictum eſt, ut communes

[x] Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 24. [y] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 16.

(7) Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

(8) Βασιλεὺς δὲ μέσος ἐξήρχετο τῶν ὕμνων.

(9) Εἰς συστήματα μεριζόμενοι, κατὰ τὸν τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἔψαλλον.

(10) Ἐπὶ τὸν ἴσον τρόπον τῆς ψαλμῳδίας προὐτρέπετο.

(11) Ἐν ψαλμῳδίαις πρὸς τὸ συμβὰν πεποιημέναις.

(12) Οὗτοι πρῶτοι διχῇ διελόντες τοὺς τῶν ψαλλόντων χόρους, ἐκ διαδοχῆς ᾄδειν τὴν Δαυϊτικὴν ἐδίδαξαν μελῳδίαν, καὶ τοῦτο ἐν Ἀντιοχείᾳ πρῶτον ἀρξάμενον, πάντοσε διέδραμε, καὶ κατέλαβε τῆς οἰκουμένης τὰ τέρματα.

Preces & laudes in Eccleſiâ peragant. Verùm idem etiam poſtea longo tempore ſervatum eſſe, tam in Oriente quàm in Occidente, paulò ante in hoc capite confirmavit ipſe Bellarminus, tum ex Liturgiâ Chryſoſtomi, ubi apertiſſimè diſtinguuntur, quæ Sacerdos, quæ Diaconus, quæ populus in divinis Officiis canebant; item ex Cypriano, ſerm. de Oratione Dominicâ, ubi dicit, plebem reſpondere, *Habemus ad Dominum*; denique ex Hieronymi Præfat. lib. 2. in Epiſt. ad Galat. qui ſcribit, in Eccleſiis Urbis Romæ quaſi cœleſte tonitru audiri populum reboantem *Amen.*

SECT. V.

Teſtimonia ex variarum Gentium Liturgiis.

SYri & Ægyptii non ſolùm ſuâ veteri ſed & Arabicâ linguâ, quam vulgarem vocant, ſacra celebrant, teſte Joſepho Scaligero [a]; qui Coptitas hodie & Ægyptios vetuſtiſſimos Chriſtianos linguâ priſcâ Ægyptiacâ ſacros utriuſque Teſtamenti libros conſcriptos habere, & ſacra itidem in templis obire, alibi [b] confirmat. Apud Ægyptum & Alexandrum Arabicâ in ſacris & divinis officiis hodie linguâ uti Chriſtianos ipſe fatetur Jacobus Ledeſma [c]. *Per totam Syriam & circa Hieroſolymam* (inquit Barthol. Georgievez de Turcarum moribus, in fine, pag. 178. edit. *Lugduni* 1553.) *Græci non utuntur linguâ Græcâ; ſed tranſtulerunt totam Sacram Scripturam in Arabicum idioma; neque literis, quibus Græci olim utebantur; ſed Arabicis characteribus utuntur, etiam Miſſam Arabico ſermone celebrant, & omnia divina officia decantant. In Oppido Tauro Templum eſt Caloiererum Maronitarum* (ita Bellonius, lib. 2. Obſervat. cap. 67.) *quorum ſacra adiimus, partim Arabicâ, partim Armeniacâ, partim Græcâ linguâ decantata.* Omnes quinetiam Aſiæ Eccleſias Syriacâ linguâ in ſacris uti, ex Epiſtolâ Aſiaticâ Jacobi Navarchi Hondiſchotani ſupra confirmavimus. Syriacâ linguâ Aſiaticos omnes Chriſtianos uti, cùm inter ſe, tum verò

[a] De Emendat. temp. lib. 7. pag. 674. novæ editionis. [b] Lib. 2. pag. 185. [c] Cap. 33. ſect. 5. Vid. Poſſevin. tom. 2. Apparat. ſacr. in Maronitis, pag. 397.

præcipuè

præcipuè in ſuis ſacris, affirmat. P. Victor Cajetanus in Paradigmate linguæ Syriacæ. Certè Aſiaticos Chriſtianos vetere Syrorum linguâ partim vulgò, partim in ſacris tantùm uſos, ante eum prodidit Albertus Widmanſtadius [d]. Nempe in ſacris (alioqui vulgaris ſermo Arabicus eſt) eâ utuntur quamplurimi Chriſtiani, qui in totâ Syriâ habitant, ſed præcipuè circa montem Libanum ad quatuor millia hominum, qui vulgò *Chriſtiani de Zonâ* dicuntur; ut eſt apud Gulielmum Poſtellum(qui in has partes iter ſuſcepit)in Introductione 12. linguarum: quod non ſolùm in Syriâ fieri, ſed etiam in Meſopotamiâ, Chaldæâ, Ægypto, & denique in univerſi Orentis partibus diſperſis ac diſſeminatis, teſtis eſt Georgius Amyra Syrus Edenienſis è Libano (in Prælud. de Chaldaicæ linguæ utilitate, præfix. Grammaticæ ſuæ Syriacæ.) Narrat etiam Theſeus Ambroſius [e], Syris, qui ad Concilium Lateranenſe ſub Leone X. convenerant, libertatem ſacra in Urbe Romanâ celebrandi priùs conceſſam non fuiſſe, quàm quo ritu quibuſque verbis illa peragerent, clarè intellectum fuiſſet. Itaque Elia Chaldæo ſeu Syro ſubdiacono verba Chaldaicè, Syriacè & Arabicè (quòd ſc. Syriacum omne vulgus eâ linguâ paſſim utatur, inquit Theſeus Ambroſius) recitante, Joſephum Gallum Hebræum Doctorem eadem materno atque etiam Latino retuliſſe ſermone. Extat [f] etiam Baſilii Anaphora, ex vetuſtiſſimo codice Syriaco traducta per Andr. Maſium; necnon Severi Alexandrini Patriarchæ de ritibus Baptiſmi & ſacræ Synaxis apud Syros Chriſtianos receptis liber, à Guidone Fabricio ex Syriaco Codice tranſlatus. Nuper quoque *Auguſtæ Vindelicorum*, an. 1604. prodiit Liturgia Sanctorum Patrum à Victorino Scialach ex Arabico converſa. Ægyptii enim Chriſtani (qui hodie Kopti dicuntur) vetuſtiſſimâ Ægyptiacâ linguâ in ſacris utuntur: quâ tres Liturgias conſcriptas, Gregorii, Cyrilli, & Ignatii, cum interpretatione Arabicâ penès ſe haberi prodit Vir Clariſſimus Joſephus Scaliger [g] (eas ſc. ipſas, quas à Victorio Scialach Maronitâ converſas diximus) à quo etiam accepit Bonav. Vulcanius [h], Nubianos inferioris Ægypti partibus conterminos ſub Patriarchâ Alexandrino ſacra linguâ Elkupti celebrâſſe. Neſtorianos linguâ Chaldaicâ in ſacris officiis celebrandis & in ſcripturis ſuis uti;

[d] Præfat. in Evangel. Syriac. ad Ferdinand. [e] Introduct. in lingu. Chaldaic. &c. fol. 14. [f] Tom. 6. Biblioth. Patr. [g] De Emendat. temp. lib. 7. pag. 66. novæ editionis. Vid. Gretſeri. defenſ. Bellarm. pag. 880. 882. A. [h] Append. ad tract. de literis & linguâ Getarum, pag. 101.

ſidem facit Vilamontius [i]. Idem de Armenis refert [k], quòd varias linguas plerunque calleant; in officio autem divino, Miſſâ, precibus, ac cæremoniis, linguâ Armenicâ utantur, quæ ab univerſis tam viris quàm fœminis iſtius patriæ intelligatur: Maronitas etiam linguam genuinam Syriacam in ſacris obeundis uſurpare prodit.

Meridionales Indos rem divinam ſuâ linguâ facere agnoſcit Eckius [l], idemque confirmat Eraſmus [m]. Hi nimirum Indi Æthiopes ſunt, quos Abaſſinos vocant; ex quibus aliquos Romæ ſe conveniſſe narrat Joannes Potken (Præfatione in Æthiopicum Pſalterium à ſe editum) à quibus non ſine difficultate didicerit, ipſos in eorum ſacris Chaldæis literis uti. *Id etiam præterire nolo* (inquit ibid. Jo. Potken) *quòd hâc tempeſtate viginti populi vel circa Æthiopiam, quæ ſub Ægypto eſt, & alia loca Auſtralia, præſertim ad Nilum & Gion flumina, & inter illa, ac citra & ultra Æquinoctialem circulum ſub Zodiaco incolentes, & totidem maternis ſeu vulgaribus inter ſe differentibus linguis utentes, omnes in eorum ſacris hâc Chaldaâ* (ſic enim Jo. Potken perperam exiſtimavit eſſe hanc linguam, ut ſupra attigimus) *utuntur linguâ, & à tempore naſcentis fidei Chriſtianæ (ſicut ipſi, qui ex eis nos peregrinationis & devotionis causâ accedunt, affirmant) uſi fuerunt, &c.* Hæc ille. De iiſdem Thevetus [n] hæc habet. *Complures illorum Epiſcopos vidi; eorumque Miſſam audivi, quam linguâ celebrant Abyſſinâ; quæ accedit multùm ad Arabicam, etiam in characteribus.* Paulo aliter Alvareſius [o]: *Omnes eorum libri, quorum ſanè numerus eſt permagnus, membranis conſcripti ſunt; neque enim papyrum habent; & ſcriptura eorundem in linguâ Tygicâ exaratur, quæ eſt Abyſſina.* Propiùs Joanni Potken accedit Nunneſius [p], haud diſſimili quippe errore abreptus: *Quicquid* (inquit) *habent ſacrarum literarum qui à D. Thomæ tempore Chriſtiani, & Zocotorani, ac qui Æthiopum Regi ſubjecti ſunt, quicquid precum horariarum, quicquid traditionum, ſolâ Chaldaicâ linguâ ſcriptum habent, nec fidem ullam adhibent Scripturis, niſi eo idiomate citentur.* Joſephus Scaliger [q], horum Chriſtianorum Æthiopum Eccleſias quaſdam in Italiâ fuiſſe memoriâ noſtra; eſſe & Hieroſolymis, Alexandriæ, & Cairi, commemorat. Addit etiam eâ linguâ ſolâ, quam *liberam* vocant ipſi,

[i] Itinerar. l. 2. cap. 23. [k] Ibid. [l] In locis commun. titulo de Miſſâ. [m] Tom. 9. pag. 730. [n] Commentar. lib. 2. cap. 14. [o] Itinerar. cap. 118. [p] Epiſtolâ ad Europæos, anno 1561. ſcriptâ. [q] De emend. temp. lib. 7. Vid. ipſum pag. 637, 638, 639. novæ editionis.

doctos

doctos uti, hiſtorias ſcribi, ſacra celebrari; quæ quidem à verâ Æthiopicâ tantùm diſcrepet, quantum Italica & Illyrica, Germanica & Hungarica. Hâc linguâ anno 1548. Novum Teſtamentum imprimi curavit Petrus Æthiops, adjecto Miſſali, cum benedictione incenſi, ceræ, &c. Latinè etiam ex hâc linguâ vertenda curavit, Modum baptizandi, preces & benedictiones puerperæ, Orationes quibus utuntur Æthiopes in Sacramento Baptiſmi & Confirmationis; Miſſam, quâ communiter utuntur, quæ etiam *Canon Univerſalis* appellatur, [edit. Lovanii 1550. 4. & tom. 6. Biblioth. Patrum.] Vide Franciſci Alvarez deſcript. Æthiop. cap. 11. (ubi hâc linguâ Æthiopas in ſacris uti docet) & Benardum Breitembachium in ſuo Itinerario.

Moſcovitas, Armenios, & Æthiopas (quibus Presbyter Joannes dominatur) preces publicas vernaculo ſemper ſermone celebrâſſe ipſe fatetur Hardingus [r]. De Ruthenis & Armenis illud confirmat Jacobus Ledeſma [s]. Speciatim verò de Armenis Bellonius [t]: *Omnes* (inquit) *qui Miſſam audiunt, ſacerdoti reſpondent Armeniacâ linguâ.* Item, *Armenorum ſacerdote Evangelium legente, qui interſunt omnes intelligunt quod ipſis prælegitur. Nam Armeniaca lingua veterem elocutionem ferè retinet.* Pari modo B idenbachius, *Habent* (inquit) *Armeni proprium idioma, & proprias literas; quibus tam Laici quàm Clerici in communi ſermone & in divinis etiam officiis utuntur.* Poſtellus [v] verò Armenicam linguam eſſe ait in uſu ſacrorum Armenis *non tantùm in utrâque Armenia, ut vulgò putant, ſed ubicunque Muhamedes auditur; cùm lingua vulgaris omnino Turcica ſit.* Ita refert P. Victor Cajetanus [x] duplicem eſſe hujus populi linguam, primamque atque excellentiorem eſſe *Craper*, i. e. linguam Latinam vel literariam, quâ utuntur in Eccleſiâ. Nihilominus Jacobus de Vitriaco [y] diſertè aſſerit Armenos in vulgari ſermone divinas Scripturas pronuntiare; *ita ut ſacerdotes & Clerici eorum à laicis in Eccleſiis intelligantur*: quemadmodum de Græcis affirmat [z] (an autem verè, multùm dubito: vid. contra Crucii Turco-Græciam, qui Græcos Conſtantinopolitanos hodiernos linguâ puriore Græcâ, vulgo ignotâ, concionari; ſatis eſſe putantes, ſi duo treſve intelligant, refert [a])

[r] Artic. 3. ſect. 38. [s] Cap. 33. ſect. 4. 6. [t] Obſervat. lib. 3. cap. 12. [v] In Introduct. 12. linguarum. [x] In Paradigm. ling. Armen. [y] Hiſt. Oriental. lib. 1. cap 79. [z] Cap. 75. [a] Pag. 157. & 205.

eos Græcâ linguâ in vulgari & in ſcripturis ita uti, *ut ſacerdotes ſuos in Eccleſiis & in literali ſermone, qui idem eſt cum vulgari, intelligant.* In Eccleſiis Rutenorum linguâ Serviorum, quæ eſt Sclavonica, divina celebrant, legunt, & cantant: in Eccleſiis Armenorum ſermone Armeno; ut eſt apud Matthiam Michovium [b] Armenos nempe intelligit, oppida quædam Ruſſiæ Podoliæque incolentes; qui ſuis ibi ritibus ſuáque linguâ in ſacris utuntur; quemadmodum teſtatur Martinus Cromerus [c]. Cæterùm apud Ruſſos (ſeu Moſchos) *totum ſacrum ſeu Miſſa gentili ac vernaculo ſermone peragi ſolet. Epiſtola præterea & Evangelium pro tempore, quò magis à populo percipiantur, extra chorum populo aſtanti clarâ voce recitantur*; inquit Sigiſmundus ab Heberſtain in rerum Moſcoviticarum Commentariis [d]. Verba etiam conſecrationis linguâ Ruthenicâ ſacerdos proloquitur; nempe, *Hoc eſt corpus*; &, *Hic eſt ſanguis Domini Jeſu Chriſti*; *quem Judæi innocentem morte mulctârunt*; ut eſt in Narratione de Ruſſorum religione ad Davidem Chytræum anno 1581. ſcriptâ [e]. *In Moſcoviâ ſacra vulgari linguâ peraguntur*; inquit Philippus Perneſten Cæſaris legatus in Relatione de ſtatu regni Moſcoviæ anno 1579. Tom. 1. Theſauri Politici edit. Francofurt. 1610. pag. 336. Quin & precationes linguâ Moſcoviticâ & Finlandicâ habentur in Archivis Bodleianæ Bibliothecæ. Addam quæ Thevetus [f] de iiſdem habet. *Moſcovitis* (inquit) *pauci ſunt prædicatores, contentis quippe illis lectionibus ſolis, quas ſacerdotes ipſis prælegunt, ſingulis diebus Dominicis. Iſti enim populo legunt Evangelia & Epiſtolas Apoſtolorum, & Doctorum libros in linguâ ab iis intellectâ.* Vid. ſupra ad annum 860.

Tzervianos ſeu Poſnanianos in Priſcâ ſuâ linguâ omnia vulgaria & ſacrificium ipſum habere perhibet Poſtellus [g]. *Gothi* (inquit Scaliger [h]) *ſacra Græco ritu celebrant linguâ veteri Gothicâ; in uſu autem quotidiano magnâ ex parte Teutoniſſant. Dalmatico idiomate Hieronymus Vetus ac Novum Teſtamentum cum ſacrificio & precationibus traducta reliquit.* Ita Theodorus Bibliander de ratione

[b] De Sarmat. Europ. lib. 2. cap. 1. [c] Deſcript. Polon. lib. 1. [d] Sub titulo de Decimis. [e] Pag. 239. Theologiæ Moſcovit. [f] Coſmograph. lib. 19. cap. 12. [g] Introduct. 12. linguar. [h] In literis anno 1590. ſcriptis ad P. Merulam, apud eund. Coſmograph. par. 2. lib. 1. cap. 8.

communi

communi omnium linguarum, pag. 15. *Habet gens Dalmatica* (inquit Marianus Victorius) *& Miſſam & alias divinas preces Illyricâ conſcriptas linguâ; ſediſque Apoſtolicæ authoritate (quam à Paulo II. habuerunt) publicè illis ubique utuntur. Eas autem à D. Hieronymo accepiſſe perſuaſiſſimi ita ſunt; ut captis potiùs armis omnes diſperire malint, quàm eas relinquere.* Hæc Victorius in Indice ſex poſteriorum Tomorum Hieronymi (verbo *Illyricum*) quæ etiam ab Angelo Rocchâ tranſlata ſunt in Bibliothecam ſuam Vaticanam [i]; qui addit inſuper ſe vidiſſe codicem horarium cæteraſque divinas preces Illyricâ conſcriptas linguâ ab omnibus Dalmatis intellectâ. Idem tamen in Appendice [k] præter vulgarem Illyricam linguam, extare alteram notat, huic valdè aſſimilem & ferè eandem; quæ à rudioribus abſque regulis non rectè intelligitur, nec rectè pronuntiatur. *In hanc linguam* (inquit) *à S. Hieronymo Scripturam ſacram Sclavonicis literis & à S. Cyrillo Servianis characteribus tranſlatam fuiſſe, credendum eſt.* Id quod etiam de Miſſali, de Codice horario, deque aliis Sclavorum libris dicendum putat Antonius Bonfinius [l]; qui de Ludovico I. rege, Caroli filio, agens ita ſcribit: *In Sclavonicâ, & in eâ quidem regione, quam Lipnam nunc appellant, cùm multos depravatis opinionibus eſſe intellexiſſet, quibus ſacerdotes ex Divi quondam Hieronymi inſtitutione ſacra miniſtrabant, ad veram ſapientiam reduxit. Verùm hi nunc in priſtinum errorem recidiſſe dicuntur.* Hæc Bonfinius. Vid. ſupra an. 860. Joannes Bapt. Palat. [m] civis Romanus de ratione ſcribendi, de Illyricis ſive Sclavis ita loquitur. *Sciendum eſt, quod vulgaris illorum ſermo idem ille eſt, quo continuè utuntur in officiis divinis; & univerſus populus intelligit, haud ſecus atque nos intelligimus vulgarem ſermonem noſtrum.* Rei totius veritatem agnoſcit Azorius Jeſuita [n] hiſce verbis. *Objiciunt Proteſtantes, quòd Jacobus Apoſtolus Chaldaicè aut Syriacè apud Judæos Liturgiam compoſuit; quâ nunc quoque fortaſſe utuntur Æthiopes, Maronitæ, Armeni: Baſilius & Chryſoſtomus Græcè pro Græcis: Hieronymus perhibetur Dalmaticâ linguâ Liturgiam compoſuiſſe.* CONCEDO: *ſed id factum eſt, quia illi extorſerunt, &c.* Quod verò Coſterus habet

[i] Pag. 162. [k] Pag. 329. [l] Rer. Ungar. Decad. 2. lib. 10. [m] Citatus à Caſſandro in Liturgicis. [n] Lib. 8. Inſtitut. Moral. cap. 26. ſect. Sextò quæritur.

in Enchridio [o]; In Græciæ, Chaldææ, Romæ regionibus non vulgari populorum idiomate, ſed in linguis communibus divina perfecta eſſe, falſiſſimum eſt, ut ex initio ſectionis quartæ patet. Cæterum Breviarium Illyricum (præfixo Calendario) *Venetiis* excuſum prodiit in Octavo typis Illyricis; de quibus vid. Geſnerum pandect. Grammat. Oxonii id in Bibliothecâ Bodleianâ vidi.

[o] Cap. 19. ſect. Tertia Propoſitio.

CAPUT

CAPUT IX.

Contraria Praxis hoſtium Eccleſiæ.

SAcræ Scripturæ volumina flammis tradere flagitioſiſſimorum Eccleſiæ hoſtium ſemper habita eſt conſuetudo. Id quod ab impio Jehoiakimo factum legimus, Jerem. XXXVI. 23. ab Antiocho Epimane 1 Mac. I. 59. (Vid. & 1 Mac. III. 48.) Diocletiano, apud Euſebium lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 2. & Auguſtinum in Breviculo collationis 3. diei cum Donatiſtis, cap. 13. & 15. (unde patet, in iſta perſecutione non quoſlibet infimos, ſed etiam patresfamilias, cùm perſecutoribus reſpondiſſent ſe Scripturas non tradituros, crudeliſſimis mortibus occiſos, ex literis Secundi Tigiſitani.) à Donatiſtis, in Collatione Carthaginenſi 3. §. 302. Tom. 7. Operum Auguſtini, & in Breviculo Collationis diei 3. cap. 11. à Georgio Cappadoce (quem iſti in Divum transformarunt) quum per Arianos perſecutio fieret, apud Athanaſium in Epiſt. ad Orthodoxos, tom. 1. Oper. pag. 729. edit. Commelinianæ. Hinc Auguſtinus Epiſt. 68. ad Januarium (fol. 210.) de Fœlice. *Cui divinarum Scripturarum proditio atque exuſtio videretur objecta.* Et Hieronymus lib. 2. Commentar. in Zachar. cap. 8. *In tantam rabiem perſecutorum feritas excitata eſt; ut etiam conciliabula noſtra deſtruerent, divinos libros ignibus traderent.* Diocletiani certè temporibus perſecutione ſæviente, Saturninus Martyr Proconſuli roganti, *Habes Scripturam aliquam in domo tuà?* reſpondit, *Habeo, ſed in corde meo. O martyrem Apoſtoli*[a] *memorem!* (inquit Auctor Actorum illius apud Surium, tom 1. die 2 Febr. quem Donatiſtam fuiſſe apparet) *qui legem Domini conſcriptam habuit non atramento, ſed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. O martyrem legis ſacræ idoneum diligentemque cuſtodem; qui Traditorum facinus perhorreſcens, ſcripturas Dominicas*[b] *ne perderet, inter ſecreta ſui pectoris collocavit.* Hic ipſe ſtatus noſtrorum ſub Pontificiis & In-

[a] 2 Cor. III. [b] Confer Antonium Benbellonum, pag. 76.

quiſitoribus. Ibid. Fœlix Martyr; *Collectam* (inquit) *religioſiſſimè celebravimus; ad ſcripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus ſemper.* Item in Actis Euplii Martyris Diocletiano VIII. Maximiano VII. Coſſ. (anno Domini 303.) pridie Idus Auguſti; *cùm Euplius ab exploratoribus inventus legere Evangelia, cum libro perductus eſſet ad Calviſianum Conſularem; unus ex amicis Calviſiani, nomine Maximus, dixit: Non decet tales chartas eum tenere contra regalem præceptionem. Calviſianus dixit ad Euplium poſitum in tormentis: Quare apud te habuiſti, & non tradidiſti has lectiones, quas Imperatores vetuerunt? Reſpondit Euplius: Quia Chriſtianus ſum, & tradere non licebat; magiſque expedit mori quàm tradere. In his vita æterna eſt; qui tradit, vitam æternam perdit; ut eam non perdam, vitam meam do. Calviſianus interlocutus dixit: Euplius, qui ſecundùm edictum principum non tradidit Scripturas, ſed legit populo, torqueatur. Tunc appenſum eſt ad collum ejus Evangelium, cum quo apprehenſus fuerat, &c.* (Baronius anno 303.) Inter Libros improbatæ lectionis (quorum meminit Domitius Ulpianus JC. Ethnicus lib. 10. Digeſtor. tit. 2. *Famil. hereiſcundæ*, lib. 4.) Propheticos etiam numeratos fuiſſe vult Baronius [c]: quos ex Senatusconſulto vetitos, & magnis pœnis eorum lectionem interdictam fuiſſe author eſt Juſtinus Martyr: quos etiam ſub magicis libris comprehenſos, (Chriſtianos enim ab Ethnicis Magos exiſtimatos ex Arnobio notat Baronius [d]) à Paulo JC. veriſimile eſt, cum lib. 5. recept. ſentent. tit. 23. ait: *Libros magicæ artis apud ſe neminem habere licet; & ſi penès quoſcunque reperti ſint, bonis ademptis, ambuſtiſque his publicè, in inſulam deportantur; humiliores capite puniuntur.* Quod etiam ſpectare videtur Diocletiani edictum, quod in fragmentis libri 7. Codicis Hermogeniani (aliàs Gregoriani) ſupereſt, ſub tit. *de Maleficis & Manichæis* (in Legum Judaic. & Romanar. collatione, tit. 15.) *Jubemus namque auctores quidem ad principes, unà cum abominandis ſcripturis eorum, ſeveriori pœnæ ſubjici; ita ut flammeis ignibus exurantur.* (Vid. Baronium, an. 287. §. 4. & Ant. Benbellonum, p. 68.)

Hoc verò modo à Pontificiis noſtri temporis in ſacros codices ſævitum eſſe quotidiana experientia ſatis jam teſtatum fecit. Vid. Fox Hiſt. Eccleſiaſt. Angl. pag. 929. 1086. 1087. 1101. 1135 1145. 1152. 1153. 1165. Ut ea propemodum rerum facies non ita dudum

[c] An. 225. ſect. 3. [d] An. 302. ſect. 20.

exciterit,

extiterit, qualis Antiochi temporibus deſcribitur, 1 Mac. I. 60. *Ubicunque inveniebatur apud aliquem liber Fœderis, aut ſi quis acquieſcebat legi; edicto Regis afficiebatur morte.* Neque verò illo colore turpitudinem ſuam celare poterunt Pſeudo-Catholici, quòd cum iis ſolummodò libris ita actum fuerit; qui ab hæreticis (ſic enim Orthodoxos appellant Hæretici perditiſſimi) fuiſſent verſi. Nam à veteribus certè Catholicis (quorum ſe ſucceſſores magno cum ſupercilio jactant) manifeſtum eſt hîc eos degeneràſſe: à quibus Judæus Aquila, Symmachus & Theodotion Judaizantes hæretici (quos malâ fide vertiſſe Teſtamentum in odium Chriſtianorum affirmat Epitome Parſoniana [e]) longè aliter [f] ſunt accepti. Quamvis enim multa myſteria Salvatoris (Hieronymo teſte) ſubdolâ interpretatione celaviſſent, nonnulla etiam ad hæreſes ſuas ſtabiliendas, Judaicam puta & Hebioniticam, ſtudiosè pervertiſſent [g]; nunquam tamen Catholici Scripturas ab iis verſas flammis objecerunt [h]: Sed curiosè potiùs legerunt & explanârunt, & per Origenis laborem ἐν ἑξαπλοῖς Eccleſiis dedicârunt. Quid quòd in omnis generis Biblia, in quibus vel leviores lapſus occurrant, hoc modo procedunt Cenſores Pontificii. Sic enim Gregorius Capuccinus (unus ex Deputatis Patribus pro reviſione librorum in Civitate Neapolitanâ) *Biblia* (inquit [i]) *quæ deficiunt in textu, juxta Concil. Trident. Seſſ.* 4. *in decret. de uſu ſacrorum librorum, ſemper comburo; & facio experimentum in* 3 *cap. Geneſis, ubi invenio*; In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram; *& non dicit*, In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, donec, &c. *Ego ſine remiſſione, tanquam textum ſuſpectum, non tranſeo ad ipſam cenſurando, ſed igniendo.* Hæc ſeverus ille Cenſor, quem non [k] Ariſtarchum ſed Phalarin Grammaticum habemus, qui non notam apponat ad malum verſum, ſed totum opus ferro & igne perſequatur.

Operâ & inſtinctu malorum Dæmonum, mortis ſupplicium adverſus librorum Hyſtapſis aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores à Gentilibus conſtitutum eſſe, conqueſtus eſt olim Juſtinus Martyr [l]: ut per timorem ab illis homines (quò minus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam perciperent, ſed in ſervitute eorum retine-

[e] De Verbo Dei, qu. 3. cap. de edit. Græcâ. [f] Hieron. in Apolog. adv. Rufinum, & Præfat. in Job. [g] Epiphanius de menſuris. Athanaſ. in Synopſi. Irenæus lib. 3. cap. 24. [h] Hieron. ubi ſupra. [i] Enchrid. Eccleſiaſt. pag. 166. [k] Cicero in Piſonem. [l] Apolog. 2. pro Chriſtianis p. 64. edit Sylburg.

rentur) abſterrerentur. Auguſtum certè, cùm eſſet Pontifex, noluiſſe Sibyllina à vulgo legi teſtantur Tacitus [m] ac Suetonius [n]. An eâdem jam operâ & inſtinctu malorum dæmonum, Chriſtiano populo Propheticorum librorum lectione à Romanis præſulibus interdictum ſit: judicent alii. Illud quidem negari non poteſt, à ſacrilegii hujus Patronis [o] hoc ipſo argumento interdictum illud defendi; quòd antiqui illi Romani Sibyllina carmina legendi facultatem [p] certis tantùm Magiſtratibus, viris prudentiſſimis, * conceſſiſſent. Ut ab eodem prorſus ſpiritu & hos & illos actos eſſe appareat. (13) *At verò nos* (inquit Chriſtianorum nomine adverſus gentes Juſtinus) *abſque timore non tantùm hujuſmodi ſcripta legimus; verum etiam vobis ad inſpiciendum, quæ in eis traduntur, offerimus, grata acceptaque omnibus fore ſcientes.* Vid. ſupra an. 200. Tertulliani Apologet. cap. 31. Huc etiam referatur, quod Melchior Canus [q], & Jac. Ledeſima proferunt ex Valerio Maximo [r], de Tarquinio Rege; qui M. Tullium Duumvirum, quòd librum ſecreta civilium ſacrorum continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum in mare abjici juſſit. In Sibyllinorum enim librorum cuſtodiâ non bonâ fide rem gerere M. Attilium (ſic enim appellat) viſum, prodit Dionyſius Halicarnaſſeus, lib. 4. Antiquit. Roman.

* *Sanctiora ſacrorum* [gentilium] *tantùm initiati ſciebant*, ut eſt apud Senecam, lib. 15. Epiſtolar. *Multa enim* (inquit Varro [s]) *ſunt vera; quæ non modò vulgo ſcire non eſt utile, ſed etiam tametſi falſa ſint, aliter populum exiſtimare expedit. Et ideò Græci* τελετὰς *ac myſteria taciturnitate parietibuſque clauſerunt.* Ita Ægyptios ſacerdotes, quæ in arcanis condita habebant, ut veritas ignota eſſet, ad multos manare noluiſſe, authores ſunt Diodorus Siculus [t] ac Lucianus [v]: pœnâ iis adjectâ, qui ea in vulgus proderent. Similiter Ægyptios

[m] Annal. lib. 5 [n] In Octavio, cap. 31. [o] Ledeſimâ, cap. 22. ſect. 17. Heskins Parlament, lib. 1. cap. 7. Pereſio de Traditione. [p] Feneſtella (vel potiùs Dominicus Floccus Florentinus) lib. 1. de Magiſtrat. cap. 13. Lactantius lib. 1. Inſtitut. cap. 6. [q] Lib. 3. loc. cap. 3. [r] Lib. 1. de ſervata religione. * Pontificii praxin hanc ab Ethnicis, ut alia multa, hauſerunt. [s] Apud Auguſtin. de Civit. Dei. lib. 4. cap. 31. [t] Biblioth. lib. 1. cap. 2. [v] Dialog. de Sacrificiis, tom. 3. pag. 88. Vid. Herm. Triſmegiſt.

(13) Ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν, ὡς ὁρᾶτε, εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν, ἐπιστάμενοι πᾶσιν εὐάρεστα φανήσεσθαι. Apolog. 2. pro Chriſtianis.

non

non quibuſlibet myſteria ſua commiſiſſe, neque rerum divinarum cognitionem ad profanos detuliſſe, ſed ad eos ſolos, qui erant ad regnum perventuri; & ex ſacerdotibus, iis, qui & educatione & doctrina [x] & genere probatiſſimi judicati fuiſſent, confirmat Clemens Alexandrinus. Hoc ipſum, ne ignari eſſemus, à quibus magiſtris diſciplinam hanc hauſerint Pontificii, diligenter inculcat Jac. Ledeſima, de divinis Scripturis quavis linguá non legendis, cap. 22. ubi Platonem profert; qui Dionyſio ſcribens de quibuſdam ſacris myſteriis, monet ut Epiſtolam eveſtigio concerpat; ne in manus indigni vulgi perveniat. Addere etiam potuiſſet ex Orphei Sacris (quæ inter Poetas Græcos ab Henrico Stephano edita ſunt, par. 2. pag. 481. & citata ſunt ab Ariſtobulo Judæo Peripatetico in Opere ſcripto ad Ptolomæum Philometorem apud Euſebium, lib. 13. præparat. Evangel. cap 7. pag. 388. edit. Græc. à Juſtino Martyre in Cohortat. ad Græcos, pag. 12. & lib. de Monarchiâ Dei, pag. 81. edit. Sylburg. à Tatiano in Orat. contra Græcos, Clemente Alexandrino in Protreptico, pag. 21. edit. Sylburg [y]. Theodorito in Serm. 1. de Curandis Græcorum affect. pag. 15. & 19. edit. Sylburg. Ubi etiam teſtimonia Pindari & Platonis a Cano & Ledeſimâ citata reperiuntur. Eodem carmine uſum eſſe Porphyrium apparet ex Euſebio de Præp. Evang. lib. 3. cap. 5. circa finem) Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις. *Dignis ſancta loquar: procul hinc arcete profanos:* aut Bacchi myſteriis; quod in Epiphanii hymno indicat Sozomenus [z]: aut carminibus Horatii, lib. 3. od. 1. *Odi profanum vulgus, & arceo.* De Cereris ſacris, nullo magis quàm ſilentio ſolennibus, vid. Juſtin. Hiſtor. lib. 5. in ipſo initio, & Theodoretum Serm. 1. de curandis Græcorum affectibus. Hinc grave piaculum à Romanis eſt habitum ſecretiora ſacra in vulgus prodere. Valerius Maximus, lib. 2. cap. 1. *Jus Civile per multa ſæcula inter ſacra cæremoniaſque Deorum immortalium abditum, ſoliſque Pontificibus notum, Cn. Flavius, libertino patre genitus & ſcriba, cum ingenti Nobilitatis indignatione factus Ædilis Curulis vulgavit, ac faſtos penè toto foro expoſuit.* Cicero in Oratione pro Murænâ, ad Ser. Sulpicium Juris conſ. *Si quid fuerit apud majores noſtros in Juris ſtudio admirationis, id enuntiatis veſtris myſteriis totum*

[x] Stromat. lib. 5. [y] Cyrillo Alexandrino, lib. 1. contra Julianum. [z] Lib. 6. hiſt. eccleſ. cap. 25.

contemptum

contemptum eſt & abjectum. Poſſet agi lege, necne, pauci quondam ſciebant. Faſtos enim vulgò non habebant. In magnâ erant potentiâ, qui conſulebantur; à quibus etiam, dies, tanquam à Chaldæis, petebantur. Inventus eſt ſcriba quidam, Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ab ipſis Juriſconſultis eorum ſapientiam compilarit. De eodem Flavio Livius, lib. 9. ſub finem. Anno U. C. 550. *Jus repoſitum in penetralibus Pontificum evulgavit, faſtoſque circa forum in alto propoſuit; ut quando lege agi poſſet, ſciretur.* Vid. eâ de re Plinium, lib. 33. cap. 1. Aulum Gellium, lib. 6. cap. 9. Pomponium de Origine Juris, & Ciceronem ad Atticum, lib. 6. epiſt. 1. Denique ex Canonibus etiam Apoſtolorum teſtimonium proferre poterat Ledeſima. De Conſtitutionibus enim à ſe editis decernit Pſeudo-Clemens, ὡς οὐ δεῖ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά, *quòd non oporteat eas publicare omnibus, ob quædam arcana, quæ in ſe continent:* Niſi quòd hoc ad octo libros ſpecialiter accommodatum (quorum arcana inter apocrypha referri non magnopere dolendum) libros ſacræ Scripturæ ibidem recenſitos omnibus publicandos eſſe non obſcurè ſignificet. Sic etiam Bellarminus [a] ſilentium in Traditionibus requirit; non in Scripturis, quæ toti mundo leguntur. Quid autem de fidis iſtis ſilentiis Chriſtiana Eccleſia olim judicaverit, illa Lactantii reprehenſio ſatis indicat, quam lib. 5. Inſtitut. cap. 20. legimus. *Hinc fida ſilentia* (inquit) *ſacris inſtituta ſunt ab hominibus callidis; ut neſciat populus quid colat.* Tantum abeſt, ut cum Jeſuitis Ethnicorum exemplar Eccleſiæ imitandum commendaverit. Vide hâc de re Melchiorem Canum, lib. 3. cap. 3. fol. 57. & qui eum κατὰ πόδας ſequitur, Jacobum Ledeſimam, cap. 22. à pag. 178. præcipuè verò Barnab. Briſſonium de Formulis, lib. 1.

Verùm enimverò nequaquam primi fuerunt Pontificii, qui hâc in re Ethnicorum callidam ſuperſtitionem imitati ſunt. Majores ipſorum, veteres Hæretici (hâc de causâ non minus quàm Gentiles, ab hominibus Catholicis notati) viam hanc illis jamdudum demonſtrarunt. Illi, cùm ex Scripturis arguerentur, *in accuſationem* converſi ſunt *ipſarum Scripturarum*, quaſi *variè eſſent dicta*, & quaſi *non poſſet ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant Traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per vivam vocem; ob quam cauſam & Paulum dixiſſe* [b]. Sapientiam loquimur inter perfectos, Sapientiam autem non mundi hujus. Irenæus, lib. 3. cap. 2. qui ibidem cap. 3. & 15. hanc

[a] Lib. 4. de Verbo Dei, cap. 8. [b] 1 Cor. II. 6.

ſententiam

ſententiam ſibi non probari innuit. *Doctrina Apoſtolorum* (inquit. cap. 15.) *manifeſta eſt & firma, & nihil ſubtrahens, neque alia quidem in abſcondito, alia verò in manifeſto docentium.* Hæretici non omnia volebant Apoſtolos omnibus revelâſſe; quædam enim palam & univerſis, quædam ſecretò & paucis demandâſſe: quia & hoc verbo uſus eſt Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depoſitum cuſtodi*: & rurſum, *Bonum depoſitum cuſtodi.* [Tertullianus de Præſcript. adv. Hæreticos, cap. 25. quam dementiam, ſic enim cap. 28. appellat, cap. 26. ſolidè refutat, concludens capitis 27. initio, *incredibile* eſſe, *Apoſtolos non omnem ordinem regulæ omnibus ſimpliciter, & plenè* (al. *planè*) *omnibus edidiſſe.*] Hæc eadem Pontificiorum noſtri temporis vox eſt, Scripturam gladium eſſe Delphicum, Lesbiam regulam, naſum cereum, tantis obſcuritatibus involutam, ut nec à vulgo Chriſtianorum legi tutum ſit, nec ſine traditionis adminiculo controverſias fidei poſſit componere. Neque illud etiam prætereunt, myſteria quædam, præſertim ſacra, clam populo rudi habere voluiſſe Apoſtolos, perfectis & majoribus ſeorſim communicanda: ideoque Paulum dixiſſe, 1 Cor. II. *Sapientiam loquimur inter perfectos*: & 2 Tim. I. 14. *Bonum depoſitum cuſtodi.* His enim ipſis firmamentis hâc in causâ utitur Melchior Canus [c]; & eum κατ' πόδας ſecutus Jacobus Ledeſima [d]. Fr. etiam Agricola [e] prius illud teſtimonium 1 Cor. II. in præſenti quæſtione uſurpat; Tho Stapletonus [f], & alii: Ut veterum hæreticorum (quos *Scripturarum lucifugas* non inſcitè appellavit Tertullianus [g]) germanos filios poſſis agnoſcere. Sed iſtos occultarum Traditionum patronos ſuis frui ſomniis ſinamus; nos Catholicæ Eccleſiæ traditiones quas ex ipsâ Scripturâ omnibus qui velint hauriendas proponit amplectamur; quas veteribus illis Hæreticis ſuas [illegible] jactitantibus opponit Irenæus. [h] *Traditionem* (inquit) *Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire.* Et poſt, *Hunc patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ab eccleſiis annuntiari, ex ipſâ Scripturâ, qui velint, diſcere poſſunt, & Apoſtolicam Eccleſiæ traditionem intelligere.* Peſſimè itaque Joannes à Sancto Andrea, Præfat. in Liturgias Sanctorum Patrum ad Cardinalem Lotharingum. * *Quanquam ſi veteres illi* (inquit) *audiendi ſunt; prophanum ab iis ſacris longè vulgus arcendum eſt; quæ alioqui ita recondenda ſunt, ut tum demum, ſi quædam procella emergat*

[c] Loc. Theolog lib. 3. cap. 3. [d] De Divinis Script. quavis linguâ non legendis, cap. 22. §. 28. [e] De Verbo Dei, c. 12. [f] Antidot. in 1 Cor. II. 6. [g] De Reſurrect. carnis; cap. 47. [h] Lib. 3 cap. 3.

vehementior,

vehementior, depromantur; & tanquam Cynoſura dux, navigationiſque magiſtra, inter tempeſtates effulgeant. Quod enim publicatur, labefactatur. Hæc ille, Horatium potiùs quàm veteres Patres ſecutus. *Etſi enim* (ut optimè veteris Eccleſiæ mentem aperuit Auguſtinus [i]) *Catechumenis fidelium ſacramenta non produntur; non ideo fit, quòd ea ferre non poſſunt, ſed ut ab eis tantò ardentiùs concupiſcantur, quanto eis honorabiliùs occultantur.*

Carpocratiani Jeſum dicebant *in myſterio diſcipulis ſuis & Apoſtolis ſeorſim locutum; & illos expoſtulaſſe, ut dignis & aſſentientibus ſeorſim hæc traderent: per fidem enim & charitatem ſalvari*: quemadmodum habet Irenæus, lib. 1. adverſ. Hæreſ. cap. 24. & ex eo Theodoritus, lib. 1. Hæretic. Fabular. Atque hinc illos dicere ſolitos refert Epiphanius [k], τοῖς ἀξίοις ταῦτα καταξιοῦμεν διηγεῖσθαι. *Dignis hæc recenſere dignamur.*

Baſilidiani dicebant myſteria ſua eſſe ineffabilia, *neque multos ea ſcire poſſe, ſed unum à mille, & duos à myriadibus:* (ut eſt apud Irenæum, lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 23. & Theodoritum, lib. 1. hæretic. fabular.) *neque oportere omnino ipſorum myſteria effari, ſed in abſcondito continere per ſilentium* (ut addit ibidem Irenæus) ſimiliter de Baſilide Epiphanius [l], *Jubet* (inquit) *ſolùm de Patre & ſuo myſterio nemini revelare, ſed ſilentio in ſeipſis continere: Uni verò de mille revelare, & duobus de decem millibus.* Hinc inſanæ illæ Agyrtæ voces ab eòdem commemoratæ. Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, οἱ δὲ ἄλλοι πάντες ὗες καὶ κύνες. καὶ διὰ τοῦτο εἶπε, μὴ βάλλητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, μηδὲ δότε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. *Nos homines ſumus; cæteri omnes canes ſunt & ſues. Nolite igitur margaritas projicere porcis, aut dare ſanctum canibus.* Ita nimirum Pontificii perſuaſum nobis eſſe volunt, ſacrarum literarum oracula, religioniſque Chriſtianæ myſteria omnia paſſim vulgò tradere, nihil aliud eſſe, quàm adversùs Chriſti legem ſanctum dare canibus, & inter porcos ſpargere margaritas. Vid. Canum, lib. 3. locor. Theologic. cap. 3. fundam. 4. Harding. artic. 15. §. 7. & art. 16. §. 4. Baſilidis etiam ſectatores, *ad imperitorum & mulierculanum animos concitandos*, peregrina quædam nomina, quaſi de Hebraicis fontibus hauſta, uſurpare conſueverunt; *barbaro ſimplices quoſque terrentes ſono; ut quod non intelligunt, plùs mirentur.* (Hieronymus epiſt. 29. ad Theodorum, quæ Epitaphium Lucinii Bœtici inſcribitur.) Barbara hujuſmodi nomina in mun-

[i] Tract. 96. in Johan. [k] Lib. 1. Panarii, hæreſ. 27. [l] Panar, lib. 1, hæreſ. 24.

dum

dum invexiſſe Nicolaum Antiochenum refert Damaſcenus [m]. Atque ita de Nicolaitis refert Auguſtinus [n], *neſcio quæ barbara principum nomina miſcere eos diſputationibus ſuis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus riſum potiùs faciunt quàm timorem. Verbis illis abuti ſolet immundiſſima hæreſis* (inquit Hieronymus [o]) *apud ſimplices quoſque atque deceptos; ut terrorem faciat novitate ſermonum, &c.* Ita nimirum Principem quendam Caulaucac habuerunt (quemadmodum & Baſilidiani eorum ſoboles ex vocibus Hebraicis Eſai. XXVIII. 10. קו לקו appellatione ſumpta; φαντασιάζειν φιλοτιμούμενοι τοὺς ἀπείρους διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐκπλήξεως, καὶ ἐπιπλάσει τῆς τοῦ ὀνόματος βαρβαρωνυμίας, *in vanas imaginationes impellere conantes imperitos per nominum terriculamenta & confictam barbari nominis appellationem.* [Epiphanius in Panar. lib. 1. hæreſ. 25. κατὰ Νικολαϊτῶν.] Similiter & Heracleonitas invocationes ſuas Hebraicis verbis dicere ſolitos notat Auguſtinus, ad Quodvultdeum, hæreſ. 16.

Marci (hæretici Valentiniani) diſcipulos ſacris ſuis obſcura nomina indidiſſe teſtatur Arnobius; quibus efficerent, ut ſacratiora auguſtioraque haberentur, οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν νυμφῶνα κατασκευάζουσι, καὶ μυσταγωγίαν ἐπιτελοῦσι μετ' ἐπιῤῥήσεων τινων τοῖς τελειουμένοις, &c. ἄλλοι δὲ ἑβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελουμένους. *Quidam enim ex ipſis ſponſale quoddam cubiculum adaptantes, & quaſi myſticum* (munus ſc.) *conficiunt cum quibuſdam profanis dictionibus, iis qui ſacrantur* (i. e. initiantur) *&c. Alii autem & Hebraica nomina ſuperſantur; ut ſtupori ſint, vel perterreant eos, qui ſacrantur, &c.* (Irenæus, lib. 1. cap. 18. & eum ſecutus Euſebius, lib. 4. hiſt. cap. 10. Epiphanius, lib. 1. Panar. hæreſ. 34. pag. 114. edit. Græc. κατὰ Μαρκοσίων. Theodoritus, lib. 1. hæretic. fabular. Nicetas Choniates, lib. 4. Theſauri Orthodoxæ fidei hæreſ. 6. ubi Hebraica hæc nomina à Marci ſectatoribus uſurpari monet, quo majorem ei, qui baptizatur, ſtuporem injiciant) Similiter Pontificii obſcuris & populo ignotis verbis in ſuâ Liturgiâ, ac in Sacramentis etiam (ut *Epphata* in Baptiſmo) utuntur; ſacra ſua linguâ vulgo ignotâ & barbarâ celebranda eſſe defendentes; *ut gravior & magis reverenda eorum majeſtas videatur* [Bellarminus, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 15. §. 34.]

Meſſaliani hæretici, ita linguâ Syrâ appellati à צלי. Græcè verò Εὐχῖται hoc eſt, *Precatores* dicti ſunt. ὅτι ἐξαπατηθέντες (inquit Theodoritus [p]) οἱ τρισάθλιοι, ἔργον μὲν οὐδὲν μετίασι (πνευματικοὺς γὰρ ἑαυτοὺς ὀνομάζουσι) τῇ δὲ εὐχῇ δῆθεν

[m] Lib. de Hæreſ. [n] De Hæreſibus ad Quodvultdeum §. 5. [o] Lib. 9. Comment. in Eſai. c. XXVIII.
[p] Lib. 4. hæretic. fabular.

ὀκλακότες τῆς ἡμέρας τὸ πλεῖστον καθεύδουσι. h. e. *Decepti homines longè miſerrimi, nullum opus aggrediuntur (Spirituales enim ſeipſos vocant) ſed orationi utique vacantes maximam diei partem dormiunt.* [Viva effigies Monachorum & aliorum ex Pontificiis, qui *Spirituales* ſe vocant.] καθ' ἑσπέραν καὶ κατὰ τὴν ἕω (ait de iiſdem Epiphanius [q]) μετὰ πολλῆς λυχναψίας καὶ φώτων συναθροιζόμενοι, ἐπὶ πολὺ τὰ καταλέγματά τινα ὑπὸ τῶν παρ' αὐτοῖς σπουδαίων, καὶ εὐφημίας τινὰς δῆθεν εἰς τὸν Θεὸν ποιούμενοι, ὡς καταλεγμάτων καὶ εὐφημιῶν ὥσπερ Θεὸν ἐξιλεούμενοι, ἑαυτοὺς ἀπατῶσιν. ἡ δ' ἀγνωσία τυφλή τις οὖσα, πάντα ταῦτα δοκήσει οἰήσεως τοῖς πεπλανημένοις παρασκευάζει. h. e. *Ad veſperam & mane multis lucernis ac luminibus incenſis congregantur; & diu per longum tempus lectiones quaſdam per doctos ſuos, & laudes quaſdam in Deum facientes, velut per lectiones ac laudes Deum placantes, ſeipſos decipiunt. Cæterùm ignorantia cæca exiſtens, omnia hæc per opinionis exiſtimationem ſeductis illis efficit.*

Pſalliani ſive Euchitæ (inquit Eraſmus [r]) *auxerunt hæreticorum catalogum: qui in otio degentes incredibilem pſalmorum vim mirâ linguæ volubilitate abſolvebant.* Hæc Eraſmus, addens paulò poſt. *Fortaſſis & hi diſplicent Domino, qui hoc ipſum putant eximiam quandam eſſe pietatem, ore quamplurimum Pſalmorum recitare, quùm nec adſit intellectus, nec pius affectus.*

Oſſenorum & Helceſaitarum Pſeudo-Propheta Elxai (ut eſt apud Epiphanium [s]) dicebat. (19) *Nemo quærat interpretationem; ſed ſolùm in oratione hæc dicat: Quæ quidem ex Hebraicâ linguâ tranſtulit; & vel ex hâc parte deprehendimus, nihili eſſe iſtius hominis commenta. Ita enim orare jubet.* Abar, Anid, Moib, Nochile, Daaſim, Ane, Daaſim, Nochile, Moib, Anid, Abar, Selam; *Quæ hunc ſenſum continent, Tranſeat abjectio à patribus meis propagata, &c.*

Theodoti vel Gnoſtici alicujus videtur illa quæſtio, quæ habetur in Clementis Alexandrini Eclogis [t], πότερον χεῖρον ἀναξίῳ δοῦναι, ἢ ἀξίῳ μὴ παραδοῦναι, &c. (Vid. locum.) Conjuguntur enim cum Excerptis ex Theodoto: quem Theodotum coriarium hæreſiarcham accipio; cujus ſectatorum mores à Pontificiis haud multùm alienos ita depingit antiquus ille author [v], qui librum contra Artemonis hæreſim ſcripſit. (20) *Sa-*

[q] Lib. 3. Panar. hæreſ 80. [r] Ad cenſuras Theolog. Pariſienſ. tit. 19. de precat. vocali, propoſit. 1. [s] Lib. 1. Panar. hæreſ. 19. ante Chriſtum. [t] Pag. 347. edit. Sylburg. [v] Apud Euſebium, lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. ult.

(19) Μηδεὶς ζητείτω τὴν ἑρμηνείαν, ἀλλ' ἢ μόνον ἐν τῇ εὐχῇ τάδε λεγέτω. καὶ αὐτὰ δῆθεν ἀπὸ ἑβραϊκῆς διαλέκτου μετενέγκας, &c.

(20) Γραφὰς μὲν θείας ἀφόβως ῥᾳδιουργήκασι, πίστεως δὲ ἀρχαίας κανόνα ἠθετήκασι. Χριστὸν δὲ ἠγνοήκασιν, οὐ τί αἱ θεῖαι λέγουσι γραφαὶ, ζητοῦντες, ἀλλ' ὁποῖον σχῆμα συλλογισμοῦ, &c.

cras.

cras audacter depravârunt Scripturas; veteris fidei Canonem abrogârunt; Chriſtum ignorârunt; neque quid ſacræ & divinæ literæ de illo dicant, conquiſiverunt; ſed quanam ſyllogiſmi figura ad ſuam impietatem confirmandam reperiretur, ſtudioſè indagârunt. Quòd ſi quiſquam fortè illis aliquod divini eloquii teſtimonium proferat; quærunt utrùm conjunctam aut disjunctam ſyllogiſmi figuram poſſit efficere. Relictis verò & depoſitis ſacrarum literarum ſtudiis omni curâ & cogitatione in Geometriam incumbunt: tanquam ex terrâ editi, de terrâ loquuntur: & Chriſtum, qui ſit de cælo venturus, penitus ignorant, &c. Porrò ipſius Clementis quænam fuerit hâc in re ſententia, verba ibidem ſtatim ſubſequentia (ejuſdem etiam nomine à Damaſceno, lib. 2. parall. cap. 49. citata) apertè teſtantur: ὡς γὰρ ἡ θάλασσα ἀνεῖται πᾶσιν, &c. *Quemadmodum mare omnibus patet, atque alius natat, alius negotiatur, alius piſcatur: & rurſus, quemadmodum terra communis eſt omnibus; atque alius iter facit, alius arat, alius ædificat;* (21) *eodem modo dum ſacra Scriptura legitur, alius in fide, alius in moribus juvatur, alius per literarum agnitionem ſuperſtitio eximitur; pugil denique, ubi Olympicum curriculum agnoverit, doctrinæ beneficio ad certamen ſe comparat, & pugnat, & palmam adipiſcitur, eluſis nimirum & fractis adverſariis, iiſque qui veræ ſcientiæ viam exagitant.* Hæc ille.

Gnoſimachi *omni Chriſtianorum cognitioni ac ſcientiæ ita adverſantur; ut vanum & minùs neceſſarium laborem eſſe dicant eorum, qui ſacris in ſcripturis ſcientiam ullam aut cognitionem inveſtigant: cùm præſertim à Chriſtianis Deus præter bona opera nihil requirat; ut ſit ſatius, ſi quis ſimpliciùs ambulet, nec curioſiùs quicquam perſcrutetur.* Jo. Damaſcenus in lib. de Hæreſibus: & Nicetas lib. 4. Theſaur. Orthodox. hæreſ. 39. qui in hæreſeos illius confutationem ſubjicit. *Si ex erroneæ traditionis veſtræ regulâ, lectione ſacrarum Scripturarum contenti, nullâ ſcientiæ & cognitionis habitâ ratione, vitam noſtram inſtituiſſemus; quid tandem, quæſo, utilitatis ex illis reportaſſemus? aut quonam modo, quod credimus, id oratione ſciſcitantibus explicare potuiſſemus?*

[x] Apollinariſtarum (vel aliorum damnatorum hæreticorum) eſt illa ſententia, ab Athanaſio (vel quiſquis ille fuerit, gravi certè & antiquo ſcriptore) confutata in diſceptatione adversùs hæreticos [tom. 2.

[x] Vid. ſupra an. 360.

(21) ὅπως καὶ τῆς γραφῆς ἀναγινωσκομένης, ὁ δὲ ἄλλος δεισιδαιμονίας διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τῶν μὲν εἰς πίστιν, ὁ δ' εἰς ἦθος ὠφελεῖται, ἀπαλλάττεται πραγμάτων.——Ἀναστρέφει γὰρ ἡ γνῶσις, &c.

edit. Commelin. pag. 248.] (22) *Omne ſacrarum literarum ſtudium ſupervacaneum eſſe; tum quòd propria cuique fides ſufficiat, tum quòd inquiſitio obſcuriores nobis res ipſas reddit.* [Vid. ſupra an. 360.] Item, (23) *Sacrarum Scripturarum oracula auribus quidem audienda; ita tamen ut verborum ſenſus non perpendatur, nec dictorum conſequentia ſpectetur, nec ad pium quo edita ſunt ſcopum attendatur.* [Vid. pag. 259. & an. 360.] An verò illa accuſatio, pag. 260. quæ τὰς λέξεις δεχόμενον καὶ μὴ καταμανθάνοντα τὰ σημαινόμενα. attingit, Pontificiorum hæreſin non jugulet, penès ipſos judicium eſto.

In Judæis etiam illud perſtringit Hieronymus [y], quòd *ambulaverint in tenebris, ita ſcripturas ſanctas, quaſi cæci palpantes parietem; verba tantùm in eis & folia, non ſenſum fructumque quærentes, qui tenetur in literis: abſque ſenſu & intelligentiâ ſcripturarum, tantùm verba meditantes, quæ decantant memoriter.* Addit ibidem Hieronymus, *ſolam verborum meditationem, ſimplicitatem eſſe abſque prudentiâ, quæ vicina ſtultitiæ eſt.* Certè illorum Rabbinos circa annum Domini 552. ſacrorum librorum in linguâ populo intellectâ recitationem prohibere conatos, conſtat ex Juſtiniani Imp. Novell. Conſtitut. 146. [In Authenticis, collat. 9. tit. 28. Vid. ſupra in ſententiis Hebræorum circa fin. & Imperatorum, ex Jure Civili.] Qui conatus, licèt eo tempore Juſtiniani Imp. authoritate repreſſus fuerit, prævaluit tandem: atque etiam Romanæ Synagogæ Rabbinis (ne negari poſſet cum Eccleſiæ hoſtibus hic conſpirare iſtos) luculentum argumentum præbuit ejuſdem moris in Chriſtianâ Eccleſiâ retinendi. Sic enim horum exemplum præſcribit nobis, Romanenſium Coryphæus, Rob. Bellarminus [z]: *Uſque ad hanc diem in Synagogis Judæi Scripturas Hebraicè legunt; cùm nulli nationi hoc tempore lingua Hebraica ſit vulgaris.* Quaſi verò Judæorum & Antichriſtianorum conjuratio adversùs Dominum & Eccleſiam ejus maximo nobis eſſe deberet argumento ad ſocia arma cum illis conjungenda. A Judæis interim, quorum adhuc cordibus hæret velamen cæcitatis, Biblia ſancta perlegi ferè ab incunabulis, fatetur Poſſevinus [a]. Quidni igitur hîc eos ſequatur Bellarminus, qui in ſacris peragendis ſequendos ſibi proponit. Cæterùm de Hebræorum traditione de initio Geneſeos non

[y] Lib 6. Comment. in Eſai, cap. LIX. [z] De Verbo Dei, lib. 2 cap. 15. [a] Biblioth. ſelect. l. 4. c. 6.

(22) Περιττὴν εἶναι τὴν περὶ τὰς ἁγίας γρα- ἐμποιούσης ἡμῖν τῆς ζητήσεως.
φὰς ἀποφαινομένων διατριβὴν, ὡς ἀρκούσης (23) ὥστε γὰρ συγχωρεῖν τοῖς μὲν ὠσὶν ἀκούειν,
[illegible] τῆς [illegible] πίστεως, καὶ μᾶλλον [illegible] τῇ δὲ καρδίᾳ μὴ συνιέναι, &c.

legendo

legendo à juvenibus, vid. Mercerum in Geneſ. fol. 4. *b.* & Capitonem in Hexaemeron, fol. 6, 7, 8. & Origenem (vel quicunque author fuit) prologo Homil. in Cantic. Canticorum, propè initium, (inter Opera Hieronymi) ubi reliquam ſcripturam vel pueris conceſſam apertè intelligimus.

Turcæ ſimiliter (quos Bellarminum prætermiſiſſe non oportuit, à Reginaldo & Giffordo [b] Turcopapiſtis hâc in causâ nequaquam prætermiſſos) eandem inſiſtunt viam. Ita enim de ſacerdotibus eorum (Papiſticis ſimillimis) ſcribunt Bartholomæus Gyorgievitz [c] & Antonius Geuffræus [d] [lib. 2. de Turc. relig. & cæremoniis.] *Non magna in ipſis doctrina requiritur. Satis erit, ſi Alcoranum & Muſſaphum noverint legere. Illi autem, qui etiam interpretari ſecundùm textum noverint, peritiſſimi habentur: quoniam non vulgari linguâ Turcicâ, ſed Arabicâ à Mehemmeto ſunt tradita: quòd nefas eſſe putant, ſi vulgari linguâ interpretata deſcriberentur.* [Christophorus Richerius, de Turcarum moribus, lib. 2. *Arabicas* (inquit) *voces Turci à pueris ediſcere ſolent, cùm primùm ſuâ religione imbuuntur. Legem enim Arabicè conſcriptam habent, & in omnibus publicis privatiſque rebus Arabicis literis utuntur.*] *Solent enim Turcæ*, ut refert Gerlachius [e], *ab incunabilus pueros docere Alcoranum legere, crebrâque iteratione memoriæ ipſorum imprimere; quòd credunt lectionem ejus, etiam non intellecti, infinita præmia in altero ſæculo habituram eſſe.* De Turcarum ignorantiâ (quam evidens argumentum eſſe ait infidelitatis hujus ſectæ) ita ſcribit Septemcaſtrenſis, *de moribus Turcorum*, cap. 21. *Licèt maximæ ſint aſtutiæ ad omne opus malum perficiendum; & in rebus naturalibus magnam & quaſi ſupernaturalem habeant practicam & experientiam: tamen in his quæ ad ſalutem pertinent, & ad res ſpirituales cognoſcendas, tam ſtolidi, tamque inepti ſunt; ut videantur ad modum beſtiarum uſu rationis carere, & quaſi ſaxa indurati, nihil ſpiritualis intelligentiæ poſſe capere.* Addit ibidem, eos de cæremoniis legis ſuæ & inſtitutis nullam ſcire dare rationem. Sacerdotes verò quicquid dicunt, quidve præcipiunt, ita velle ab omnibus obſervari, quaſi præceptum Dei; ut nemo audeat vel in minimo contradictionem vel reſiſtentiam facere. Denique Turcæ linguâ Arabicâ, quam pauci inter illos intelligunt, preces fundunt, & multiplici in precibus utuntur battologiâ. [Sutlivius in Turcopapiſmo, lib. 2. cap. 9.]

[b] Calvino-Turciſm. lib. 4. cap. 7. pag. 766. 778. [c] Inter Hiſtor. Saracen. cum Alcorano an. 1550. excuſ. pag. 183. [d] Parte 1. Aulæ Turcicæ, anno 1577. Baſil. edit. pag. 44. [e] In Mart. Cruſii Turco-Græcia, lib. 7. pag. 502.

Sacerdotibus Turcicis ſatis eſſe confirmat Bellonius [f], ſi Alcoranum legere & Turcicè ad verbum interpretari nôrint. Alibi [g] tamen Alcoranum linguâ Arabicâ primùm conſcriptum eſſe, & deinde in Turcicum idioma converſum dicit.

Phariſæi accuratiorem cæteris hominibus legis notitiam ſibi arrogabant, quemadmodum confirmat Joſephus [h]. Atque hinc eſt quòd plebi ita ſuperbè inſultaverint, Joan. VII. 49. *Turba hæc, quæ non novit legem, execrabilis eſt.* Ipſi nimirum *cæci, cæcorum duces* eſſe voluerunt (Mat. XV. 14.) ſeque Legis interpretes profeſſi, *cognitionis clavem ſuſtulerunt: ipſi non introiverunt; & eos, qui introibant, prohibuerunt* (Matth. XXIII. 13. Luc. XI. 52.) *Claves ſcientiæ apud illos ſunt, qui libros Prophetarum & legis habeant in manibus,* ait Origenes [i]. Et Author Operis Imperfecti in Matthæum (quod Chryſoſtomo tribuitur.) *Regnum* (inquit [k]) *cælorum dicuntur Scripturæ; quia in illis inſertum eſt regnum cælorum. Janua eorum, intellectus earum. Vel regnum eſt beatitudo cæleſtis: janua autem ejus eſt Scriptura, per quam introitur ad eam. Clavicularii autem ſunt ſacerdotes, quibus creditum eſt verbum docendi & interpretandi Scripturas. Clavis autem eſt verbum ſcientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis: Adapertio autem eſt interpretatio vera. Vide quia non dixit* [hîc Chriſtus:] *Væ vobis, qui non aperitis regnum cælorum, ſed qui clauditis. Ergo non ſunt ſcripturæ clauſæ, ſed obſcuræ quidem, ut cum labore inveniantur; non autem clauſæ, ut nullo modo inveniantur. Neque enim abſcondita eſt* (ut paulò pòſt addit Author) *in ſcripturis veritas, ſed obſcura; non ut non inveniant eam, qui quærunt eam, ſed ut non inveniant eam, qui quærere eam nolunt: ut ad illorum quidem gloriam pertineat, qui inveniunt eam; quia deſideraverunt eam, & quæſierunt, & invenerunt; ad illorum autem condemnationem, qui non inveniunt eam; quia nec deſideraverunt eam, nec quæſierunt, nec invenerunt. Nec poteſt eis eſſe excuſatio condemnationis ignorantiæ veritatis; quibus erat inveniendi facultas, ſi fuiſſet quærendi voluntas. Nam ſi veritas ſalus & vita eſt cognoſcentium ſe; magis debet quæri quàm quærere.* Hoc deinde ad ſui temporis Hæreticos, Arianos (unde intelligitur hanc partem Operis a nobis citati ab homine Ariano nequaquam profectam) ita Author accommodat. *Sic & modò hæretici ſacerdotes claudunt januam veritatis. Sciunt enim quoniam ſi*

[f] Obſervat. lib. 3. cap. 30. [g] Lib 2. cap. 32. [h] Antiq. Judaic. lib. 17. cap. 3. & de bello Judaico, lib. 1. cap. 4 [i] Lib. 4. περὶ ἀρχῶν. [k] Homil. 44.

manifeſtata

maniestata fuerit veritas, eorum Eccleſia eſt relinquenda; & ipſi de ſacerdotali dignitate ad humilitatem venient popularem. Ideo quando legunt in populo ſuo aliquid tale, Qui me miſit, major me eſt ; *perversâ interpretatione claudunt januam veritatis, dicentes, Filium minorem Patre; cùm ſecundum diſpenſationem carnis dicatur minor. Et nec ipſi intrant in veritatem ſcripturæ, propter avaritiam; neque alios intrare permittunt, propter ignorantiam. Quid ergo ignorans populus excuſabilis erit? Abſit. Si enim veſtimenta empturus, gyras unum negotiatorem & alterum, &c.* Vide locum: *Et ſi velles ſcripturarum ingredi veritatem* (ſic enim lego in Codice MS. Bibliothecæ noſtræ) (1) *non peteres orationibus, non quæreres in ſcripturis, non pulſares bonis operibus, non interrogares ſacerdotes, nunc iſtos, nunc illos* [*non inveſtigares*] *qui veri ſint Clavicularii Scripturarum, qui falſi. Sed iſta non fiunt, quia verbum Dei non creditur: quia nec promiſſio beatitudinis ejus deſideratur, nec judicium comminationis ejus timetur.* Et iſtam ſanè ſupinam negligentiam à Pontificiis Doctoribus ut maximè ſalutarem populo commendari etiamnum cernimus; qui patrum ſuorum (Phariſæorum & Arianorum) inſiſtentes veſtigiis, cæcorum duces eſſe volunt (ipſi plerunque cæciſſimi) clavemque ſcientiæ populo auferentes, à Scripturarum lectione arcent; ab ipſis ſolis veritatem ut expectent, mandant; in eorum dogmata ne inquirant, ſeverè interdicunt; quaſi ipſi ſoli omnium hominum ſapere videantur.

Priuſquam à Phariſæis diſcedamus, illud etiam attexendum duximus, quod ad Matth. XXIII. 5. (ubi in illis notat Dominus, quòd Phylacteria ſua dilatent) obſervat prædictus Author [1] Operis imperfecti. *puto* (inquit) *quòd illorum tunc Scribarum & Phariſæorum exemplo, & nunc multi aliqua nomina Hebraica Angelorum confingunt, & ſcribunt, & alligant ſibi; quæ non intelligentibus linguam Hebraicam metuenda videntur. Sic ergo & iſti vani ſunt, ſicut illi fuerunt: quoniam perſonæ illorum de mundo receſſerunt, non mores. De hominibus itaque noſtri temporis exponentes, de illis videmur exponere. Ergo ſacerdotes ex eo, quòd ab hominibus volunt videri juſti, phylacteria alligant circa collum, quidam verò partem aliquam Evangelii ſcriptam. Dic ſacerdos inſipiens: Nonne quotidie Evangelium in Eccleſiâ legitur, & auditur ab hominibus? Cui ergo in auribus poſita Evangelia nihil proſunt; quomodo eum poterunt circa collum ſuſpenſa ſalvare? Deinde ubi eſt virtus Evangelii, in figuris lite-*

[1] Homil. 43.

(1) Nam pro non ubivis habent editiones impreſſæ.

rarum

rarum, an in intellectu ſenſuum? Si in figuris, bene circa collum ſuſpendis: ſi in intellectu, ergo meliùs in corde poſita proſunt, quàm circa collum ſuſpenſa. Hæc ille.

Donatiſtis hæreticis olim impegit D. Auguſtinus [m], quòd timerent ne ſæculi Reges ſacrorum codicum eloquia nôſſent. *Sed velitis* (inquit) *nolitis, Eccleſiam intrant & le..ionibus aurem admovent.* (Eſpenſæus Epiſcopus, lib. de ſex Tract. pag. 98.) Donatiſtæ ſanè, licet ipſorum majores ſanctos codices flammis tradiderunt (ut apparet ex Auguſtino, lib. 1. contra literas Petiliani, cap. 27.) hoc tamen crimen Catholicis objicere nunquam deſierunt. Adversùs hos ita ſcribit Auguſtinus in libro de unitate Eccleſiæ, cap. 3. *Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati utrique conſentimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Hic fortè dicturi ſunt: Quid quæris in libris, quos ignibus tradidiſti? Ad hoc reſpondeo. Quid times, ne legantur iſti libri; ſi eos ab ignibus cuſtodiſti? Eos certè ille tradidiſſe credatur, qui eis lectis non conſentire convincitur.* Hæc Auguſtinus; eodemque modo & nos Donatiſtas noſtrorum temporum provocare poſſumus. Nec minùs juſtè illos premere poſſumus eâ accuſatione, quâ olim Donatiſtas Optatus Milevitanus. *Illud prætermittere nequeo* (inquit ille [n]) *quod nec Deo eſt placitum, nec à veſtris cultoribus excuſari, nec ab aliquo homine defendi poteſt. Per judicia ſæcularia & leges publicas, divinæ legis inſtrumenta executione officiorum à plurimis eripienda eſſe dixiſtis; volentes ſoli habere, quod pax in communione poſſederat.* [Ita videlicet Romana Eccleſia omnes ab ipſius communione alienos Scripturarum poſſeſſione prorſus privandos eſſe vult, teſtibus Rhemenſibus in præfat. §. 13.] Huc etiam illud Auguſtini (epiſt. 119. ad Januarium, cap. 18.) de hymnis & pſalmis canendis, referri poteſt. *De hâc* (inquit) *re tam utili ad movendum piè animum, & accendendum divinæ lectionis (dilectionis* ſubſtituerunt contra omnium exemplarium fidem Lovanienſes) *affectum, varia conſuetudo eſt; & pleraque in Africâ Eccleſiæ membra pigriora ſunt; ita ut Donatiſtæ nos* (ſicut Papiſtæ nos) *reprehendant, quòd ſobriè pſallimus in Eccleſiâ divina cantica Prophetarum; cùm ipſi ebrietates ſuas ad Canticum pſalmorum humano ingenio compoſitorum, quaſi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non eſt tempus, cùm in Eccleſiâ fratres congregantur, ſancta cantandi; niſi cùm legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clarâ voce precantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur?*

[m] Vid. Auguſtini, lib. 2. contra Petiliani literas, cap. 92. [n] Lib. 6.

Aliis verò particulis temporum quid melius à congregatis Chriſtianis fiat, quid utilius, quid ſanctius, omnino non video.

Pelagio quidem objicit Hieronymus [a], quod ſcripſerit *ſcientiam legis etiam fœminas habere debere; cùm Apoſtolus doceat eſſe tacendum mulieribus in Eccleſiâ; &, ſi quid ignorant, domi viros ſuos debere conſulere. Nec ſufficit tibi* (inquit ibid. Hieronymus) *dediſſe agmini tuo ſcientiam ſcripturarum, niſi earum voce & canticis delecteris. Jungis enim & ponis in titulo, quòd & fœminæ deo pſallere debeant. Quis enim ignorat, pſallendum eſſe fœminis in cubiculis ſuis, & abſque virorum frequentiâ & congregatione turbarum? Verùm tu donas, quod non licet; ut quod verecundè facere debeant, & abſque ullo arbitro, magiſtri authoritate proclament.* Hæc Hieronymus, οὐ δογματικῶς, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς (ut loquitur Baſilius [b]) differens. Cantum fortaſſe in fœminis non alium reprehendit, quàm qualem intelligit Concilium Laodicenum, cap. 15. decernens: (1) *Quòd non oportet ampliùs præter eos, qui regulares Cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum aſcendere & in Eccleſiâ pſallere.* Auguſtinus [c] ſanè Victorianæ villæ Dominam cum ancillis ſuis & quibuſdam Sanctimonialibus ad veſpertinos hymnos & orationes ex more veniſſe atque hymnos cantâſſe innuit; quod in aliis quoque factitatum (quæcunque fuerit loci, ubi commoratus eſt Hieronymus, conſuetudo) ex iis quæ in ſuperioribus prolata ſunt, apparet. [d] Rem confirmat Ambroſius, Hexaemer. lib. 3. cap. 5. *Reſponſoriis* (inquit) *pſalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum conſonus undarum fragor reſultat*: Eccleſiam mari aſſimilans. Auguſtinus etiam epiſt. 109 ad fœminas ſcriptâ (ex quâ fecerunt Regulam 3. Monachorum in fine tom. 1.) rem extra dubium ponit. *Pſalmis* (inquit) *& hymnis cùm oratis Deum; hoc verſetur in corde, quod profertur in voce,* (al. *ore*) *& nolite cantare niſi quod legiſtis eſſe cantandum; quod autem non ita ſcriptum eſt ut cantetur, non cantetur.* Studium verò Scripturarum in fœminis quis magis quàm ipſemet Hieronymus commendavit? *Hieronymus ſtudium ſacrarum literarum etiam in fœminis commendat*, ait Eraſmus. [e] Vid. epiſtolam ejus 140. ad Principiam virginem (Explanatio eſt Pſalmi 44.) ubi ſe ac muliebrem ſexum à calumniis hâc in re defendit. Sanè Pelagius (vel quiſquis fuerit epiſtolæ ad Demetriadem Author Pelagianus, quæ Auguſtino [f] & Hieronymo [g] perperam aſcripta eſt) primam Vir-

[a] Lib. 1. adverſùs Pelagianos. [b] Epiſt. 64. [c] De civit. Dei, lib. 22. cap 8. [d] Vid. Ambroſ. Præfat in Pſalm. [Bene tamen canunt.] & Baronium, an. 60. collat. cum Appendice tomi 10. [e] Ap. Alphonſum, lib. 1. hæreſ cap. 13. [f] Tom. 2. epiſt. 142. [g] Tom. 4 edit. Baſil. vel 9. edit. Victorii, epiſt. 1. p. 4.

(1) Πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων.

ginis curam primumque ſtudium eſſe debere monet, *ſcire voluntatem Domini ſui, & quid ei placeat, quidve diſpliceat, diligenter inquirere; ut ſecundùm Apoſtolum* (Rom. XII.) *rationabile Deo reddat obſequium, totumque vitæ ſuæ curſum ex ejus poſſit ordinare ſententiâ. Impoſſibile eſt enim* (inquit) *ei quenquam placere, cui quid placeat ignorat: fierique poteſt, ut etiam obſequendi voto offendat, qui quomodo obſequi debeat, antea non didicit.* Hinc ibidem Demetriadem virginem ita affatur. *Quanquam omne vitæ tuæ tempus divino debeas operi conſecrare; & nullam prorſus horam ſpirituali profectu vacuam eſſe conveniat; cùm tibi in lege Domini die ac nocte meditandum ſit* [h]*: debet tamen aliquis eſſe determinatus & conſtitutus horarum numerus, quo pleniùs Deo vaces.* [Vid. ſupra an. 390. in fine Appendicis teſtimoniorum Hieronymi.] Et poſtea, *Propter quod maximè ſanctarum tibi ſcripturarum ſtudium diligendum eſt, illuminanda divinis eloquiis anima, & coruſcante Dei verbo Diaboli repellendæ ſunt tenebræ. Citò enim fugit ille ab eâ animâ, quam ſermo divinus illuminat, quæ cæleſtibus ſemper cogitationibus occupatur, in qua aſſiduum eſt Dei verbum, cujus vim nequam ſpiritus non poteſt ferre.* At verò qui adversùs Pelagianæ iſtius Epiſtolæ venena antidotum tranſmiſerunt Catholici Doctores, Auguſtinus [i] quidem & Alipius ad Julianam Demetriadis matrem, Hieronymus [k] verò, & Proſper [l] ad ipſam Demetriadem, nihil his admonitionibus ſubeſſe periculi monuerunt. Immò potiùs Proſper piæ virginis ſtudium in eo comprobat, quòd teſtimoniis ex paginis & Novi & Veteris Teſtamenti ſe ſuperſedere velle ſignificans, rationem hujuſmodi mox attexat. *Præſertim cùm mihi ſermo eſſet ad ſanctimoniam tuam; cui ex formulâ eorum, quæ commemoravimus, omnia ſe aut recordanti offerent aut legenti.* Planiùs verò (& pleniùs quam ipſe Pelagius) Demetriadem ad Scripturarum ſtudium incitat ipſe Hieronymus (ut ſupra ad an. 390. ex Epiſtolâ ejus 8. ad Demetriadem oſtenſum eſt) ubi inter alia ſic eam jejunare debere monet; *ut nec in lectione, nec in pſalmis, nec in vigiliis, ſolito quid minus* faceret. Addit tamen ibidem (quod fortaſſe ad ſuperioris loci contra Pelagianos illuſtrationem faciet.) *Novi ego in utroque ſexu, per nimiam abſtinentiam, cerebri ſanitatem quibuſdam fuiſſe vexatam; præcipuèque in his, qui in humectis & frigidis habitavere cellulis: ita ut neſcirent quid agerent, quòve ſe verterent, quid loqui, quid tacere deberent. Certè ſi rudes ſecularium literarum, de tractatibus hominum diſertorum quippiam legerint; verboſitatem ſolam diſcunt, abſque notitiâ Scripturarum; & juxta vetus elogium, cùm loqui neſciant, tacere non poſſunt.* (Niſi de

[h] Pſal. I. [i] Auguſt. epiſt. 143. [k] Epiſt. 8. ad Demetriadem. [l] Inter Ambroſii epiſtolas, lib. 10. epiſt. 84.

fœminis

fœminis docentibus ſcripturas loquatur Hieronymus, lib 1. contra Pelagianos; textus ab eo citatus ex 1 Tim. II. ad rem non facit,) *Docentque ſcripturas, quas non intelligunt: & cùm aliis perſuaſerint, eruditorum ſibi aſſumunt ſupercilium, priùs imperitorum magiſtri, quàm doctorum diſcipuli. Bonum eſt igitur obedire majoribus, parere perfectis; & poſt regulas ſcripturarum, vitæ ſuæ tramitem ab aliis diſcere: nec præceptore uti peſſimo, ſc. præſumptione ſuâ. De talibus fœminis & Apoſtolus loquitur* [m]: Quæ circumferuntur omni vento doctrinæ; ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. Hactenus Hieronymus. Auguſtinus & Alipius (in Epiſtola ad Julianum) virus illud Pelagianæ doctrinæ admiſtum patefacit; *Deum, præter quòd nobis revelat ſcientiam, nihil ultra nos adjuvare, ut ea quæ facienda diſcendo novimus, etiam diligendo faciamus.* Hoc peſtiferum dogma latiùs explicat Auguſtinus(epiſt.107.ad Vitalem) Deum ſc. *per legem ſuam, per ſcripturas ſuas, operari ut velimus, quas vel legimus vel audimus; ſed eis conſentire vel non conſentire ita noſtrum eſſe, ut ſi velimus fiat; ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Hæc eſt illa* (inquit ibi Auguſtinus) *Pelagianorum mala, malè diffamata, meritoque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata, ſententia: quâ dicunt gratiam Dei ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrinâ.* Hinc commotus Hieronymus, lib. 1. adv. Pelagianos ita ſcripſit. *Dicis, ſine peccato eſſe non poſſe, niſi qui ſcientiam legis habuerit: per quod magnam partem Chriſtianorum excludis à juſtitiâ; & qui prædicator es impeccantiæ, omnes propè peccatores eſſe pronuntias. Quotus enim quiſque Chriſtianorum habet legis ſcientiam; quàm in multis doctoribus Eccleſiæ aut raro aut difficulter invenias.* Verùm quid de hujuſmodi Doctoribus (quibus Romana Eccleſia referta eſt) ſentiat ipſe Hieronymus, ex Commentariis ejus in I. cap. Epiſt. ad Titum intelligere licet. *Hic locus* (inquit) *adversùs eos facit, qui inertiæ ſe & otio & ſomno dantes,* (Pontificiorum ad exemplum) *putant peccatum eſſe, ſi Scripturas legerint; & eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quaſi garrulos inutileſque contemnunt; non animadvertentes Apoſtolum, poſt catalogum converſationis Epiſcopi, etiam doctrinam ſimiliter præcepiſſe.* Denique ex teſtimoniis ſupra ex Hieronymo (an. 390.) prolatis apparet, illum non minùs à populo Chriſtiano Scripturarum ſtudium requirere quàm Pelagium (aut certè Pelagianum Authorem Annotationum in Paulinas Epiſtolas, quæ D. Hieronymo olim aſcriptæ ſunt) qui in illa Apoſtoli verba Coloſſ. 3. [*Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter.*] ita annotat. *Hic oſtenditur verbum Chriſti non ſufficienter ſed abundanter etiam*

m 2 Tim. III.

Laicos habere debere, & docere ſe invicem vel monere. Videant potiùs Pontificii, annon ipſi in Pelagianorum caſtra concedant; qui exaggerare ſolent, ut olim Julianus, hæreticus Pelagianus (quod ex libro illius 3. contra Auguſtinum ſcripto repetit ipſe Auguſtinus lib. 5. contra Julianum, cap. 5.) quàm ſit difficilis, paucisque conveniens eruditis, ſanctarum cognitio literarum. Verba ejus paulò explicatiùs repræſentat Beda, lib. 1. Expoſitionis in Cantica Cantic. non procul ab initio. *Julianus Pelagianus* (inquit) *in libro de Amore docet clauſa legis ſacramenta ſolos intueri poſſe eos; quos oculatos & eruditio reddidiſſet & pietas: oblitus gratiæ Dei, quæ etiam illiteratis & idiotis ſcripturarum arcana revelavit.*

Celſus etiam, Epicuræus Philoſophus, Chriſtianorum accerrimus hoſtis, in Romanenſibus noſtris jam revixit; adversùs quem ita pugnat Origenes. (2) *Ideo prophetiarum auctores ſcriptis eas tradiderunt aſſervandas poſteris; ut lectores admirarentur tanquam divina oracula, & proficerent non tantùm ex admonitionibus reprehenſionibuſque; verum etiam ex prædictionibus; & ex earum eventu agnoſcentes divinum ſpiritum fatidicum, juxta pietatis doctrinam ſe exercerent obediendo legi ac prophetis. Certè ipſi prophetæ, quicquid erat opus mox ab auditoribus intelligi, & quicquid ad corrigendos mores faciebat, abſque ullis involucris propoſuerunt eis ita ut Deus voluit. Quicquid autem arcanum erat, & diſpiciendum ampliùs, ut vulgari captu ſublimius, id figuris obſcurioribus convelaverunt, ænigmatis, allegoriis, paræmiis ac parabolis; ut non ab ignavis inveniretur & ſegnibus, ſed à virtutis ac veritatis ſtudioſis perſcrutatoribus; & inventum juxta divinam doctrinam in uſum proprium verteretur. At præclarus hic Celſus, velut iræ impotens, quòd propheticas voces intelligere non valeat, convitiis eas impetit, dicens oſtentari jactarique obſcura quædam ac fanatica, eóque intellecta ſapienti nemini; ſed ſtultis & præſtigiatoribus occaſionem uſurpandi ea in quamlibet ſententiam.* (3) *Mihi videtur verſutè dixiſſe, volens quantum in ſe eſſet, arcere lectores à diligentiùs diſcutiendis & examinandis prophetarum ſenſibus.* Hactenus Origenes contra Celſum, lib. 7. non minùs (ſi non multò etiam magis) Pontificios quàm illum feriens.

(2) Διὸ καὶ οἱ κατ' αὐτοὺς ἀπογραψάμενοι τὰς προφητείας αὐτῶν ἐφύλαξαν ἵνα καὶ οἱ μεταγενέστεροι ἀναγινώσκοντες θαυμάζωσιν ὡς λόγους Θεοῦ, καὶ ὠφελούμενοι —— τὴν κατὰ λόγον εὐσέβειαν ἀκούοντες διατελῶσι πειθόμενοι τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις. οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἦσαν αὐτόθεν νοηθῆναι τοῖς ἀκούουσι χρήσιμα, καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἠθῶν ἐπανορθώσει, χωρὶς πάσης ἐπικρύψεως, κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ, εἰρήκασιν. ὅσα δὲ μυστικώτερα ἦν καὶ ἐποπτικώτερα, &c.

(3) Καὶ πανούργως μοι ἔδοξε ταῦτ' εἰρηκέναι, κωλύειν, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, βουλόμενος τοὺς ἐντυγχάνοντας ταῖς προφητείαις βασανίζειν καὶ ἐξετάζειν αὐτῶν τὸν νοῦν.

Julianus

Julianus Apoſtata, cùm ex piis & religioſis parentibus eſſet ortus; (4) *ab ineunte ætate, ut ritus Eccleſiæ poſtulat, initiatus, ſacras literas didicit, & in iiſdem ab Epiſcopis & aliis viris eccleſiaſticis educatus fuit*; ut eſt apud Sozomenum [n]. Ita S. Pigmenium Presbyterum illum à pueritiâ ſacris literis erudiviſſe in Martyrologiis [o] Bedæ, Uſuardi, Adonis, & Galeſinii legimus. Poſtmodùm verò Chriſtianæ fidei deſertor, hoc objecit Chriſtianis, quod nobis hodie Pontificii. *Ex omnibus veſtris elegiſtis pueros, & ut in ſcripturis exercerentur, operam dediſtis, etiamſi videantur magis ad ſervilitatem nati.* Contra quem Cyrillus, lib. 7. (idemque pro nobis contra Romanenſes) *Pueri etiam* (inquit) *in ſacris enutriti literis, ſtatim fiunt religioſiſſimi, etiamſi minùs eloquentes. Dicit illos minimè differre à ſervis, quia non ſunt tam diſerti. Fortaſſis ob hoc ſolum cenſet admirationem contingere, contemptâ omni aliâ virtute, propter quam Deo quis familiaris fit, & ad ſummam pervenit nobilitatem.* Hactenus Cyrillus. Idem Julianus in libro, quem inſcripſit Cyniſmum, dum docere inſtituit, quatenus fabulæ ſacræ ſint effingendæ, ait, *Veritatem in ejuſmodi rebus occultandam eſſe*, hiſque utitur verbis. Φιλεῖ γὰρ ἡ φύσις κρύπτεσθαι, καὶ τὸ κεκρυμμένον τῆς τῶν θεῶν οὐσίας οὐκ ἀνέχεται γυμνοῖς εἰς ἀκαθάρτους ἀκοὰς ῥίπτεσθαι ῥήμασι. *Natura amat in abſtruſo latere; occultaque Deorum eſſentia non patitur ſe planis & apertis verbis impuris hominum auribus inculcari. Videtur Imperator* (inquit Socrates, lib. 3. hiſtor. Eccleſ. cap. 19. vel 23. ut in Græco eſt, ubi locus ille Juliani citatus eſt) *eam de ſacris diviniſque ſcripturis habere opinionem; quòd illarum ſermones myſtici ſint, quódque arcanam quandam intelligentiam complectantur: ſed ægrè propterea fert, quòd non omnes eandem de illis opinionem concipiunt; inque eos Chriſtianos inſultat, qui ſimpliciter earum oracula accipiunt.* (5) *At verò neque vulgi ſimplicitatem tantoperè inſectari debuiſſet, neque illius* (ſc. vulgi) *gratiâ in ſacras literas tantâ inſolentiâ invehi; neque propterea eas odiſſe, atque adeo ſenſus ſententiaſque præclaras in illis comprehenſas deteſtari; quod non omnes eas pro ejus arbitrio intelligant.* Hæc contra Julianum Socrates. Sanè Melchior Canus [p], & eum ſecutus Jacobus Ledeſima [q], religionis arcana occultanda eſſe confirmant præclaro hoc ex Porphyrio [r] (ſic namque Juliani ſententiam,

[n] Hiſt. Eccleſ lib. 5. cap. 2. [o] Ad IV. Cal. April. [p] Lib. 3 cap. 3. [q] Cap. 22.

(4) Ἐκ νέου ἐμυήθη κατὰ τὸν θεσμὸν τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὰς ἱερὰς γραφὰς ἐπαιδεύθη, &c.

(5) —— Οὐκ ἔδει δὲ τοσοῦτον καταφρονεῖν τῆς ἁπλότητος τῶν πολλῶν, οὐδὲ προφάσει δι' ἐκείνους κατὰ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, &c.

uterque

uterque Porphyrio errore aſcribit, ſatis profectò idoneo ejuſmodi religionis Magiſtro) producto teſtimonio. *Amat natura celari; nec divina myſteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas.*

Pythagoræ quoque & ſectatoris ejus Lyſidis authoritate ſententiam ſuam confirmant Canus & Ledeſima: quaſi digitum intendentes ad fontes, unde interdictum illud, ne Laici ſcripturas attingerent, emanavit. De Pythagoricis ita ſcribit Jamblichus de vitâ Pythagoræ, cap. 32. *Quæ præcipua imprimis & continentiſſima* (συνεκτικώτατα) *doctrinarum in eâ ſectâ ſunt firmamenta, inter ſe arcana omnes ſemper ſervabant cum exactâ* ἐχεμυθίᾳ, *ſeu loquendi erga externos eoſque qui ab ipſorum vitæ inſtituto alieni eſſent, continentiâ; quæ* ἀνέκφορα *enunciari fas non eſt, ſine ullo ſcripto poſteris ſucceſſoribuſque in memoria conſervantes; quæ ſimul ceu Deorum myſteria tradebant. Quamobrem nihil eorum, quæ alicujus momenti eſſent, egrediebatur. Jam quæ longo temporis ſpatio tum docebantur, tum diſcendo percipiebantur, intra privatos tantùm parietes cognoſcebantur. Cùm externis verò, & (ut ſic dicam) profanis ſi quando uſus ferret congrediendum eſſe; nequaquam ſua ſacra enunciabant, ſed per ſymbola & arcanas teſſeras obſcurè latenterque ſibi mutuò ſenſa mentis velut ænigmatibus ſignificabant.* Porrò extat [r] Lyſidis Pythagorici epiſtola, quâ Hipparchum objurgat, quòd Philoſophiæ myſteria cum prophanis & indoctis communicâſſet [s]. Λέγοντι δὲ (inquit Lyſis) πολλοί σε καὶ δαμοσίᾳ φιλοσοφέν· ὅπερ ἀπαξίωσε Πυθαγόρας, ὅς γε τᾷ Δαμοῖ τᾷ αὐτῶ θυγατρὶ τὰ ὑπομνάματα παρακαταθέμενος, ἐπέσκαψε μηδενὶ τῶν ἐκτὸς τᾶς οἰκίας παραδόμεν. ἁ δὲ δυναμένα πολλῶν χρημάτων ἀποδόσθαι τὼς λόγως, οὐκ ἐβουλήθη, πενίαν δὲ καὶ τὰς τῶ πατρὸς ἐπισκάψιας ἐνόμιζε χρυσῶ τιμιωτέρας. φαντὶ δὲ ὅτι καὶ Δαμὼ θνάσκοισα Βιστάλᾳ τᾷ ἑαυτᾶς θυγατρὶ τὰν αὐτὰν ἐπιστολὰν ἀπέστειλεν. ἄμμες δ' ἄρσενες ἐόντες οὐ γνησίως αὐτῷ προσφερόμεθα, ἀλλὰ παραβάται τᾶν ὁμολογιᾶν γιγνόμεθα. *Multi verò dicunt, publicè te etiam Philoſophari: id quod facere Pythagoras averſatus eſt: qui cùm Damoni filiæ commentaria ſua commendaret, juſſit ne cui extra domum ea traderet: Illa verò cùm multis pecuniis vendere hujuſcemodi libros poſſet, noluit: ſed inopiam patriſque mandata auro pretioſiora cenſuit. Aiunt autem eandem morituram Biſtuliæ ſuæ filiæ hoc idem præceptum dediſſe. At nos cùm ſumus viri, non rectè nos erga illum gerimus; ſed conventorum ſumus tranſgreſſores.* Et alibi in eadem Epiſtolâ: ὅσιον χ' ἆμιν κρατῆσαι (inquit Lyſis) τῶν τῶν θείων καὶ σεμνῶν παραγγελμάτων, μηδὲ κοινὰ ποιῆσαι τὰ σοφίας ἀγαθὰ τοῖς μηδ' ὄναρ τὰς ψυχὰς κεκαθαρμένοις. οὐ γὰρ θέμις ὀρέγειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα. οὐδὲ γὰρ βεβάλοις τὰ τᾶν Ἐλευσινίαιν θεαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι. κατ' ἴσον δὲ ἄδικοι καὶ ἀσεβέες ἀμφότεροι οἱ ταῦτα πράξαντες.

[r] In Appendice Diog. Laertii. [s] Vid. Diog. Laertium ab Henrico Stephano editum p. 594. & 875. & Jamblichum de vitâ Pythagoræ, c. 17. [t] Vid. Jamblichum, loc. cit.

Pium

Pium (vel *poſſibile*) *eſt*, inquit, *me quoque divinorum & graviſſimorum ejus præceptorum eſſe memorem; neque ſapientiæ bona iis facere communia, qui ne per ſomnium quidem animos habent à ſordibus repurgatos. Siquidem fas non eſt quibuſvis offerre, quæ tantis laboribus comparata ſunt: non magis, quàm duarum Eleuſiniarum Dearum* (Cereris & Proſerpinæ) *myſteria profanis exponere. Similiter namque injuſti ac impii ſunt utrique, qui talia deſignant.* Hactenus Lyſis. Dicebant Pythagorici alii μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητά. *non eſſe omnibus pandenda omnia*: ut ex Ariſtoxeno in 10. παιδευτικῶν νόμων refert Laertius [v]; quod Caſaubonus (in notis) ex Proclo de iis maximè exponit, quæ ad Deos pertinent. Huc illud referatur ex Cicerone [x]: *Nec tu me celas, ut Pythagoras ſolebat alienos: nec conſultò dicis occultè, tanquam Heraclitus.* Collationis hujus apodoſin ex Tho. Moreſino [y] accipe. *Sic Papa cuſtos unicus, ut ait, præceptorum & ſcriniorum Dei, & interpres, qui omnia jura in pectoris ſcrinio habeat; & in quo eſt omnis ſufficientia, licèt ignaro & inſufficiente, extra familiam & fani ſui limites, i. e. raſura ſtigmata, tam legem, quàm lectionem & interpretationem legis divinæ egredi non permittit; anathemate laïcos feriens qui conentur, Biblia aut legere aut penès ſe habere,* (in his etiam longè durior Pythagoricis) *ſatis eſſe dicens, ſi laici crederent ut ſicut mater Eccleſia, etſi penitus ignorent, quid Eccleſia ſentiat.*

Ad Eleuſinia ſacra quod attinet (quibus Chriſtiana Eccleſia, ſi Canum & Ledeſimam audiat, ſimilia eſt habitura) ab Ariſtophane in Nebulis ἄῤῥητα ἱερὰ, i. e. *non dicenda ſacra* appellantur. Hinc ſi quando conveniſſent inter ſe aliqui ſecreto de re quápiam arcanâ tractantes; parœmiam hanc uſurpari ſolitam refert Duris (apud Zenodotum in Proverbiorum Collectione) Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια, ſupple καθ' ἑαυτούς, h. e. *Attici Eleuſinia inter ſeſe.* Pauſanias in Atticis de rebus Eleuſiniis agens, τὰ δ' ἐντὸς τοῦ τείχους (inquit) τοῦ ἱεροῦ, τό τε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν, καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν ὁπόσων θέας εἴργονται, δῆλα δήπου μηδὲ πυθέσθαι μετεῖναί σφισιν: h. e. *At quæ intra ſacrum parietem ſervantur, ſcribere ſomnio prohibemur. Iis enim, qui initiati non fuerint, non tantùm eorum aſpectu interdictum eſt; verùm etiam ne percontari quidem aut audire fas quicquam eſt.* Hinc & illud Catulli;

> *Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,*
> *Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.*

Et Juvenalis Sat. 2.

> *Talia ſecreta coluerunt orgia tedâ*
> *Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotyton.* (Proſerpinam.)

[v] Lib. 8 p. 577. [x] De Naturâ Deorum, l. 1. [y] Lib. de depravatæ religionis origine & incremento.

Unde

Unde Horatius in Epodis Caniniam ſagam ſibi minitantem inducit, quòd ſacra Cotyttia ipſi commiſſa videns divulgaverit. *Inultus ut tu riſeris Cotyttia Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis.* Alcibiades, ut tradit Plutarchus, accuſatus fuit, quòd ſacra Cereris enunciâſſet. Unde Clemens Alexandrinus in Protreptico (p. 4. edit. Sylburg.) τί δ' εἴ σοι καταλέγοιμι τὰ μυστήρια; οὐκ ἐξορχήσομαι μὲν, ὥσπερ Ἀλκιβιάδην λέγουσιν, ἀπογυμνώσω δὲ εὖ μάλα ἀνὰ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον, τὴν γοητείαν τὴν ἐγκεκρυμμένην αὐτοῖς, &c. *Quid ſi tibi recenſeam myſteria? Non propalabo quidem, ut aiunt olim Alcibiadem; ſed per verbum veritatis, præſtigias, quæ in eis latent, rectè aperiam.* Et poſt [z], cùm ex Orpheo τὰ κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια repetîſſet, & Eleuſiniorum ſacrorum ſymbola commemoraſſet; ita concludit. Ἄξια μὲν οὖν νυκτὸς τὰ πλάσματα καὶ πυρὸς καὶ τοῦ μεγαλήτορος, μᾶλλον δὲ ματαιόφρονος τῶν Ἐρεχθειδῶν δήμου. *Noctè certè ac tenebris iſta myſteria digna ſunt, & magnanimo illo, immò verò leviſſimo Erecthidarum populo.* Inter Ethnicorum Idololatrarum ſuperſtitiones, Sapient. XIV. 23. κρύφια μυστήρια, i. e. *occulta myſteria* (*obſcura ſacrificia* reddit vetus Interpres) recenſentur. De myſteriis Eleuſiniis plura vide in Commentar. Lud. Vivis ad Auguſtin. de Civit. Dei, lib. 7. cap. 20. & Barnab. Briſſon. lib. 1. de Formulis, pag. 1. Caſaubonum contra Baronium, p. 549, 550, 555. fin. & Diogenem Laertium, lib. 2. p. 154. in Ariſtippo. Illa tantùm Epilogi loco attexere libet, quæ Macrobius habet (ut antea Lyſis) in Somnio Scipionis, lib. 1. cap. 2. quare Philoſophi fabulis uti ſoleant; ediſſerens. *Quia* (inquit) *ſciunt inimicam eſſe naturæ apertam nudamque expoſitionem ſui: quæ ſicut vulgaribus hominum ſenſibus intellectum ſui vario rerum tegmine operimentoque ſubtraxit; ita à prudentibus arcana ſua voluit per fabuloſa tractari. Sic ipſa myſteria figurarum cuniculis operiuntur; ne vel hæc adeptis nuda rerum talium ſe natura præbeat: ſed ſummatibus tantùm viris ſapientiâ interprete veri arcani conſciis, contenti ſint reliqui ad venerationem figuris defendentibus à vilitate ſecretum. Numenio denique inter Philoſophos occultorum curioſiori offenſam numinum, quòd Eleuſinia ſacra interpretando vulgaverit, ſomnia prodiderunt viſas ſibi ipſas Eleuſinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere proſtantes, admirantique & cauſas non convenientis numinibus turpitudinis conſulenti reſpondiſſe iratas, ab ipſo ſe adyto pudicitiæ ſuæ vi abſtractas & paſſim adeuntibus proſtitutas.* Hactenus Macrobius.

Julius Firmicus, non ille Chriſtianus, qui de errore profanarum Religionum ſcripſit, ſed alter Aſtrologus, in totius Operis ſui perora-

z P.g. 6.

tione Mavortium Lollianum Proconſulem ſic alloquitur. *Tu verò præcedenti admonitione conventus, ac religioſâ jusjurandi auctoritate commonitus, hos libros puro animo purâque mente cuſtodi; ne imperitis & ſacrilegis auribus ſcientia iſtius Operis intimetur. Celari enim & abſcondi pluribus tegumentis natura divinitatis ab initio voluit; ne omnibus facilis eſſet acceſſu, neve cunctis patefactâ majeſtatis ſuæ origine panderetur. Hoc etiam nos in his libris facere conveniet; ut ſcilicet eorum lectio religioſis tantùm pateat, profanis autem & ſacrilegis denegetur; ne veterum occultanda commenta nefariis quodammodo editionibus polluamus.* Hæc ille lib. 8. cap. 33. [prorſus ut Julianus.]

Porphyrio (in Epiſtolâ ad Anebonem Ægyptium ſacerdotem) quærente, *cur ſacerdotes utantur nominibus quibuſdam nihil ſignificantibus;* Jamblichus [a] reſpondet (1) *omnia ejuſmodi nomina ſignificare aliquid apud Deos, quamvis in quibuſdam ſignificatio nobis ſit ignota, &c.* Cùm autem quæreretur, *curnam inter nomina divinorum barbara cæteris anteponeret?* cauſam aſſignat Jamblichus, (2) *quia ſacrarum gentium, velut Ægyptiorum Aſſyriorumque, totum Dii ſermonem approbaverunt, tanquam ſacris maximè congruentem: quia antiquior primuſque extitit modus iſte loquendi: quia denique qui prima nomina divinitus acceperunt, ita nobis ſervanda perpetuò tradiderunt; noſque ita ipſam traditionis regulam ritè deinceps conſervare debemus.* Excipiente verò Porphyrio [b], *illum qui vocem audit nominum divinorum, ad ſignificata reſpicere; ideoque ſufficere notionem ipſam eandem ubique manentem, qualiſcunque ſit dictio;* reſpondet Jamblichus (3) hunc in modum. *Non eſt tale, quale tu putas: ſi enim nomina ex hominum pacto conventuque poſita eſſent; nihil intereſſet alia pro aliis commutare. Sin autem natura rerum accommodata fuerint; quæ huic maximè congruunt, hæc & diis maximè ſunt amica. Ex his perſpicuè patet ſacrarum gentium vocem rationaliter cæteris eſſe præpoſitam: Neque enim prorſus eandem mentem ſervant nomina in aliam linguam in-*

[a] De myſter. Ægypt. §. 7. cap. 4. [b] Cap. 5.

(1) ἡμῖν μὲν ἄγνωστα, —— τοῖς μέντοι θεοῖς πάντα σημαντικά ἐστιν οὐ κατὰ ῥητὸν τρόπον.

(2) Διὰ τί γὰρ τῶν ἱερῶν ἐθνῶν ὥσπερ Αἰγυπτίων τε καὶ Ἀσσυρίων οἱ θεοὶ τὴν ὅλην διάλεκτον ἱεροπρεπῆ κατέδειξαν.

(3) Εἰ μὲν γὰρ ἦν κατὰ συνθήκην κείμενα τὰ ὀνόματα, οὐδὲν διέφερε τὰ ἕτερα τῶν ἑτέρων μεταλαμβάνειν. εἰ δὲ τῇ φύσει συνήρτηται τῶν ὄντων, τὰ μᾶλλον αὐτῇ προσεοικότα καὶ τοῖς θεοῖς ἐστι δήπου προσφιλέστερα. ἐκ δὴ τούτων καταφαίνεται, ὡς εὐλόγως καὶ ἡ τῶν ἱερῶν ἐθνῶν προκρίνεται φωνὴ πρὸ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων. οὐδὲ γὰρ πάντως τὴν αὐτὴν διασώζει διάνοιαν μεθερμηνευόμενα τὰ ὀνόματα, &c.

terpretata: ſed ſunt gentibus ſingulis propria quædam, quæ gentibus aliis per vocem ſignificari non poſſint. Accedit ad hæc, quòd ſi ſignificationum proprietates per aliam linguam interpretari poſſumus; non tamen eandem conſervant permutata potentiam. (4) *Habent inſuper nomina barbara multam emphaſin, i. e. inſinuationis demonſtrationiſque efficaciam, habent & conciſam brevitatem; minimum verò ambiguitatis, & varietatis, multitudiniſque verborum: propter hæc omnia ſuperis maximè congruunt. Depone igitur ſuſpiciones à veritate cadentes; quibus ſuſpicaris Ægyptiam ibi conferre linguam duntaxat, ubi Ægyptius eſt, vel uſus Ægyptiâ linguâ, qui tunc invocatur. Potiùs autem exiſtimato, quoniam primi omnium Ægyptii præſentiam participationemque Deorum ſortiti ſunt; ideò Deos invocantem potiſſimùm approbare, quando Ægyptio ritu vocantur. Neque verò dicendum eſt barbara hæc obſcuraque divinorum nomina eſſe quædam præſtigiatorum faſcinatorumque machinamenta. Quo enim pacto quæ maximè conjuncta ſunt diis, noſque etiam conjungunt, & quaſi æquales cum ſuperis vires habent, phantaſtica figmenta erunt;* (5) *ſine quibus nullum in ſacris opus efficitur! &c. Quemadmodum veritatem conſecuti ſunt primi, qui leges nobis de religionis ſanctimoniâ tradiderunt, ſic perſeveramus in eis: ſiquid enim aliud in ſacris legibus atque ritibus Deo placet; firmitas ipſa maximè Deo placet, & præcipue congruit. Oportet igitur ritus adorationis antiquos tanquam ſacros conſervare ſemper intactos; neque demere quicquam, neque aliunde quid addere. Fermè namque & hâc cauſſâ nuper extitit, ut omnia & numina & vota debilitata jam ſint; propterea quòd propter ipſam prævaricationem & innovandi cupiditatem permutata ſunt ſemper, & permutari non deſinunt. Græci namque naturâ rerum novarum ſtudioſi ſunt, ac præcipites uſquequaque feruntur, inſtar navis ſaburrâ carentis, nullam habentes ſtabilitatem; novaque inventionis elocutionem transformare ſolent.* (6) *Barbari verò ſicut moribus graves firmique ſunt; ſic & in eiſdem ſermonibus firmiter perſeverant: ob quam ſane ſtabilitatem & ipſi Diis ſunt amici, & orationes offerunt illis acceptas; quas nulli ullâ unquam ratione fas eſt permutare.* Hactenus Jamblichus, ejuſmodi proferens argumenta, qualia pro Latinâ ſuâ Liturgiâ adverſus

(4) Ἔχει δὲ καὶ τὰ βάρβαρα ὀνόματα πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, &c.

(5) Ὧν χωρὶς οὐδὲν ἱερατικὸν ἔργον γίνεται.

(6) Βάρβαροι δὲ μόνιμοι τοῖς ἤθεσιν ὄντες, καὶ τοῖς λόγοις βεβαίως τοῖς αὐτοῖς ἐμμένουσι, διόπερ αὐτοί τε εἰσὶ προσφιλεῖς τοῖς θεοῖς, καὶ τοὺς λόγους αὐτοῖς προσφέρουσι κεχαρισμένους. διαμείβειν δ' αὐτοὺς κατ' οὐδένα τρόπον οὐδενὶ ἀνθρώπων θεμιτόν ἐστιν.

nos

nos uſurpat Jacobus Ledeſima. [Nempe *Romanenſes Sacerdotes Ægyptios ſecuti ſuis myſteriis extraneas adhibent voces, gravi impoſitâ pœnâ, ſi ſecus quis fecerit, aut enodare alio idiomate myſteria attendat Miſſæ: ut quæ enucleata Diis grata non ſint futura; ſed quæ vileſcere apud plebem ſint incœptura, continuò detectis involucris, & vanitatis tacitæ latebrâ.* Tho. Moreſinus.]

Ethnicus Sacerdos ſacrificaturus, verſus, meditato & ſolenni precationis carmine, verbis priſcis ex annalium vetuſtate erutis, numina & Deos precatus, vota effundebat; quam precationem plerunque tergeminabat. [Alexander ab Alexandro, lib. 4. Genial. Dier. cap. 17. & Lilius Giraldus in Hiſtor. Deorum, Syntagm. 17.] Hinc duos ritus mutuati ſunt Pontificii. I. Priſcum idioma mutare cum intelligibili apud eos non licet. Latinum enim non intellectum cum vulgari quod intelligitur, commutare, à temporibus Caroli Magni hucuſque piaculum ſemper fuit habitum. II. Precum illa reiteratio & βαττολογία, (de cujus origine ſupra ad an. 1080. dictum eſt.) retenta eſt: *eóque evaſit res* (inquit Tho. Moreſinus) *ut dicerent, quicunque dixerit tot Pater Noſter, cum totidem Ave, & uno vel pluribus Credo, coram hujus vel illius dei imagine, ſingulis diebus ſtatis vel interciſis; habebit Indulgentiarum millia, vel centena millia annorum, &c. Sed cùm non quàm multæ, ſed quantâ cum fide preces fiant, καρδιογνώστης ille ſpectare ſoleat; omnibus in univerſum in omni vitâ cum Chriſto ſemper orandum erit, ita quidem ut preces ponderentur non numerentur. Athenodoruſque Philoſophus multùm eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent.* Moreſinus.) Ethnicorum praxin Romanæ conſentaneam fuiſſe agnoſcit Alphonſus Salmeron. [e] *Omnis* (inquit) *religio externa, etiam in Idololatriâ, minimè propriâ & vulgari linguâ utebatur in ſacris, ſed alienâ & externâ. Sic Babylonii, Romani, Græci. Igitur noſtri Germani non debent exigere ab Eccleſiâ jus ſacra celebrandi in linguâ vulgari.*

Denique ut recentiorum Hæreticorum cum Eccleſiâ Romanâ concordiam demonſtrem: fuit illa blaſphema inſani Swenckfeldii vox; [f] *Scripturam mortuam eſſe literam, necnon* [g] *incertam & flexibilem doctrinam, quæ ſe in varios ſenſus trahi pateretur.* Unde illa hæretica fanaticorum hominum nata eſt concluſio; [h] *Scripturas, quarum tot*

[e] In 1 Cor. XVI. [f] Lib. de ſacrâ Scripturâ. [g] Lib. de Evangelio.

jam, non diverſas modò, verùm & contrarias, interpretationes adferri videmus, faceſſere jubebimus. Non oportet Legis aut Scripturæ eſſe peritum, ſed à Deo doctum, &c. Quid verò Pontificii? Eccleſiam Dei clamant eſſe vivum pectus Chriſti, Scripturam autem quaſi mortuum atramentum; ideoque majorem eſſe fidem habendam viventi Eccleſiæ, quàm per ſe velut mortuis codicibus; potiùs conſultis, mandatis, inſtitutis, præceptis atque exemplis, quàm literarum monumentis, quàm ſcriptionibus, quàm chartulis, quàm macrocollis, quàm membranulis ſtandum eſſe. Sic Ludovicus Canonicus Lateranenſis in Oratione ad Concilium Tridentinum, Dilingæ anno 1563. impreſſâ. Scripturas [i] eſſe velut naſum cereum; qui ſe horſum, illorſum & in quam volueris partem, trahi, retrahi, fingique facilè permittit; & tanquam plumbeam quandam Lesbiæ ædificationis regulam, quam non ſit difficile accommodare ad quidvis volueris. Atque hinc populum Chriſtianum à Scripturarum cognitione (quas ignotæ linguæ velamine abſcondunt) abducunt; fidemque implicitam Laicis ſufficere perſuadent. Addunt [k], Evangelicam legem, teſtante Ezechiele Prophetâ, non ſcriptam, ſed inditam eſſe cordibus, Spiritu Sancto interiùs docente adeòque. Eccleſiæ ſuæ Prælatis, imprimis Romano Pontifici (qui omnia jura in pectoris ſui ſcrinio concluſa habet) licèt indoctis & ſacrarum literarum ignaris, propter cathedræ dignitatem Spiritûs Sancti afflatum (uti Swenkfeldiani) velut hæreditarium faciunt.

[h] Apud Hoſium de expreſſo Dei verbo, & lib. 1. contra Brentii. Prolegom. pag. 438. [i] Pighius Hierarch. lib. 3. cap. 4. Cenſur. Colonienſ. [k] Petrus Sotus contra Brentium, & Hoſius, lib. 3. contra Prolegom. Brentii, pag. 559, 560. Vid. Kemnitii Examen, ex Andradio & Lindano.

CAPUT

CAPUT X.

Adverſariorum Teſtimonia.

GEorgius Caſſander in Defenſione libelli contra Calvinum. *Optandum videtur; ut juxta Apoſtolicum mandatum, & priſcum Eccleſiæ morem in linguâ vulgari preces peragerentur.* Priſcum autem eſſe hunc Eccleſiæ morem pluribus teſtimoniis confirmat idem in Liturgicis ſuis, cap. de linguâ quâ lectiones & preces in divinis officiis & celebratione myſteriorum concipiuntur.

Aquinas Comment. in 1 Cor. XIV. *Quantum ad fructum devotionis, privatur is, qui non in ſpeciali intelligit ea quæ orat.* Rhemenſes tamen in 1 Cor. XIV. preces ignotas ad ædificationem non minùs, ad devotionem ſæpe magis valere, quàm cognitas, aſſerunt. Additque Coſterus Jeſuita, *Ad conſolationem plurimùm adjuvare.*

Caietanus Comment. in 1 Cor. XIV. *Melius eſt orare in mente diſtinctè intelligente ea, quæ orat, quàm confuſè.*

Joannes Cuſpinianus in Auſtriâ ſuâ (in vitâ 6. Marchionis) *Hodie pſallitur in Cœnobiis; pſallitur & cantatur ſine intellectu, ſine eruditione, ſine (quod pejus eſt) mente.*

Lindanus Panopl. lib. 4. cap. 78. *Quis hujus ætatis muſicam cum illâ priſcâ componat? Quæ nunc cantantur omnia, non tam ad populi intelligentiam erudiendam; quod priſcos ubique ſpectâſſe indubitatum eſt.* Unde Eraſmus de Amab. Concord. Eccl. *Poſſit illud modulatæ Muſicæ genus citra pietatis jacturam omitti, ſi placet: curandum eſt, ut illa Muſica ſit templo Dei neceſſaria, &c.* Vid. eund. in 1 Cor. XIV. De origine ejus vid. Bellarm. de bonis Operibus, cap. 17.

Agrippa de Vanit. Scient. cap. 18. *Hodie cum Miſſæ ipſius Canone obſcœna cantiunculæ pares vices habent.* De his quoque Lindanus conqueritur Panopl. lib. 4. cap. 78. Vid. Eſpenſæum Comment. in 1 Tim. digreſſ. 1. pag. 225.

Qualis ſit ignorantia in idiotis Pontificiis, vid. Rhemenſes in Luc. XI. & XII. At, ut Bernardus de præcepto & diſp. cap. 17. & 18. *Quomodo eſt vera ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas?* Vid. Claud. Eſpenſæum in 2 Tim III. contra Carbonarii fidem, &c. (& de ſcripturis vernaculis) Xaverius Jeſuita, lib. 1. Epiſt. *In quibuſdam*

Neophytorum vicis Chriſtiani Indigenæ quidam ſunt deſtituti Sacerdotibus; qui nihil aliud nörunt, niſi ſe eſſe Chriſtianos.

Cæremonias veteris Legis non probare uſum peregrinæ linguæ in ſacris, vid. Eraſmum, tom. 9. pag. 705. Ibid. pag. 629. reſpondet ad argumentum de margaritis coram porcis non projiciendis. (Confer Innocentii ſententiam ſupra, ad an. 1199.)

A Pontificiis Germanicæ Tranſlationes variæ noſtro ſæculo prodierunt: Utriuſque Teſtamenti, interprete Dietembergero; Veteris, interprete Joanne Eckio; Novi, interprete Hieronymo Emſero (teſte Poſſevino in Tract. de novis Tranſlationibus, col. 939) De his vid. Sixtum Senenſem.

P. Gregorius Tholoſanus de Republ. pag. 751, 752, &c.

Andreas Maſius in Joſuam, pag. 24, 25. (de principibus) 158, 159. ubi lupum auribus tenet; ſed pro nobis tandem concludit.

Sutor apud Eraſmum, tom. 9. pag. 628.

Arias Montanus in epiſt. de variis lectionibus.

Caninius noſtram ſententiam tuetur, pag. 37, 39.

Coccius, tom. 2. pag. 922. ex Scoto, & 923. ex Tho. Argentinenſi.

Hardingus, artic. 3. §. 1, 28, 31. pag. 456.

Cornelius Agrippa de Vanit. Scient. cap. 100. Luthero infenſus, cap. 6.

FINIS.

JACOBI

Jacobi Uſſerii Armachani
DISSERTATIONES II.
viz,
De Pseudo-Dionysii Scriptis,
ET
De Epiſtolâ ad Laodicenos.

Jacobi Uſſerii Armachani Diſſertatio de Scriptis Dionyſio Areopagitæ ſuppoſitis.

DIonyſii nomine circumferuntur [a] libri quidam *de Hierarchiâ cæleſti, & Eccleſiaſticâ, de divinis Nominibus, de myſticâ Theologiâ, atque Epiſtolæ undecim*: Quæ quidem Opera Dionyſio Areopagitæ Pauli diſcipulo à nonnullis magni nominis hominibus attribuuntur; & nominatim à Michaele Syngelo in Dionyſii Encomio, Suidâ in Lexico, Adone, Gregorio Turonenſi, Dionyſio Carthuſiano, Ambroſio Camaldulenſi, Marſilio Ficino, Pachimere, Joanne Novio in Apologia, &c. Non defuerunt contra, Viri doctiſſimi, qui certiſſimas protulerunt demonſtrationes, quibus non eſſe hunc verum Dionyſium appareat. Eas nos ordine hic ſubjiciemus; Præmiſſis quatuor illis Argumentis olim contra Dionyſium adhibitis; quæ ex Theodoro Presbytero in Bibliothecâ ſuâ recenſet Photius Conſtantinopolitanus Patriarcha.

I. Εἰ ἦν γνησία, πῶς ἐκ ἐμνήσθησαν τῶν ἐν αὐτῷ ῥητῶν ὁ, καὶ χρησιμῶν τινες τῶν μεταγενεστέρων πατέρων; Nullus admodum Antiquus Author horum librorum meminit: quod ſatis arguit libros iſtos non ejus Antiquitatis fuiſſe, ac ſeculi, cujus Dionyſius Areopagita fuit. Multa in illis occurrunt, quæ contra veteres hæreticos faciant, præſertim Arianos; quæ certè Patres Nicæni non omiſiſſent, ſi tales libri extitiſſent, & illorum Author fidem aliquam habuiſſet. Atque inde Conſtantinum Philoſophum, (qui Romam ſub Adriano juniori Papâ venit) dicere ſolitum refert Anaſtaſius (in Epiſt. ad Carolum:) quòd ſi Sanctos priores, qui hæreticos vix, & quodammodo cum fuſte decollaverunt, Dionyſium contigiſſet habere, cum acuto illos gladio proculdubio trucidâſſent. At contrà, excipit Duræus, cum aliis non-

[a] Vide Illyricum Centuriâ prima, lib. 2. pag. 625. mendac. Papiſticorum, pag 38. & de Miſſa contra Fabrum Auguſtan. Whitakerum de ſcriptura quæſt. 6. cap. 12. pag. 432. Humfredum contra rationem quintam, pag. 514. Rainoldum collat. cum Hart. cap. 8. Divil. 2. pag. 417. Mornæum de Miſſa, lib. 1. cap. 2. Hoſpinianum de Origine Monachatus, pag. 111. Martyrem loc. commun. de Miſſâ n. 9. 892. p & 80, 81. Lubbertum de principiis Chriſtianorum Dogmatum, lib. 7. cap. 10. pag. 665. Sculretum Medullæ Patrum lib. 11. cap. 9. pag. 383.

nullis Papatûs propugnatoribus; Dionyſium citatum eſſe ab Origene in Joannem homiliâ primâ, (quæ ſecunda eſt inter homil. in varios locos Novi Teſtamenti) & Gregorio Nazianzeno, 38. Orat. εἰς τὰ γενέθλια. Origenem verò Eraſmus diſertè negat ex hoc Dionyſio aliquid citare: Sic enim ſcribit in Annot. in Act. XVII. *Deinde mirum, ſi tam Priſcus Author fuit, & tam multa ſcripſit, à nemine Veterum ſeu Græcorum, ſeu Latinorum fuiſſe citatum; non ab Origene, non à Chryſoſtomo; ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit.* Et homiliam iſtam Origenis non eſſe evidenter comprobat Sixtus Senenſis, tum ex Manichæorum, tum ex Arianorum nominibus in eâ commemoratis, quæ multò poſt Origenem exorta ſunt. Et ex Prologo Maximi apparet, à veteribus Dionyſio huic objectum eſſe; quod illius Euſebius & Origenes non meminere. Nazianzenus Authorem quendam laudat, quem minimè nominat: Budæi ſolummodo conjectura eſt (in Commentariis linguæ Græcæ) Dionyſium intelligi; eáque non ita probabilis. Nicetas [b] in commentario in Gregor. Nazianzenum, Athanaſium intelligendum monet: idque multò rectiùs, ut apparet ex Orat. Nazianzeni in laudem Athanaſii, collata cum iis, quæ idem Athanaſius ſcripſit in tractat. de ocmmuni eſſentiâ Patris, Filii, & S. S. & de humanâ naturâ ſuſceptâ. Nazianzeni verba ex orat. in nativitat. Chriſti ſunt hujuſmodi: [c] Οὕτω μὲν ἓν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς σεραφὶμ συγκαλύπτεται, καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα, καὶ θεότητα. ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε, καὶ ὑψηλότατα: quæ ita paraphraſticè exponit Nicetas; [d] *Sic* (inquit) *ſe habet ſancta Trinitas; (quam ego Sancta Sanctorum voco, ut omnem ſanctitatem in ſe complectentem;) quæ quidem & à Seraphim contegitur, ac tribus ſanctitatibus, atque unâ dominatione celebratur. Nam juxta magnum Athanaſium, Eximia hæc Animalia eò quòd ter dictionem hanc* SANCTUS *proferunt, tres perſonas abſolutè oſtendunt; rurſus eò quod ſemel duntaxat nomen hoc* DOMINUS *clamant, Eſſentiam unam declarant.* Hæc ille. Citatur etiam Dionyſius in quæſtionibus ad Antiochum, quæ Athanaſii nomine circumferuntur: Sed eas Athanaſii non eſſe, vel inde manifeſtum eſt, quòd ab earum Authore ipſe Athanaſius citetur; (quæſt. 33.) & ab eo etiam diverſa Sententia proferatur. Quin & eas Sixtus Senenſis quarto bibliothecæ Sanctæ, eo etiam argumento

[b] Vid. pag. 880, & 1123. [c] Pag. 617. [d] Pag. 992.

Athanaſii

Athanaſii non eſſe concludit, quòd in quæſt. 4. Myſtica Theologia Dionyſii allegetur, quam Athanaſii ſeculo ignotam opinatur. Videmus igitur Duræi exceptiones nullius eſſe momenti: quod ipſi Papiſtæ non obſcurè etiam ſignificant cùm; alias rationes, quibus vim hujus Argumenti eludant, ſubinde excogitant. Objiciunt enim; Ambroſius Camaldulenſis, &c. nec Origenem, nec Ambroſium memoráſſe; quia nec iſte Ambroſius, nec Origenes, nec Euſebius omnium Eccleſiaſticorum libros viderit, ac noverit: Nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec Ambroſius allegant propter difficultatem, & quia fuerunt abſconditi ab Hæreticis. Ita hæc ſimplex reſponſio eſt ingenua confeſſio, & concors nobiſcum conſenſio; cauſas etiam reddens cur non legerint. Bellarminus etiam (de Monachis, lib. 2. cap. 5.) non modò nullum temporibus Apoſtolicis vicinum Authorem proferre, aut nominare potuit, qui horum librorum meminit; ſed ingenuè etiam fatetur Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Hieronymo, aliiſque Gregorio Romano antiquioribus Patribus incognitos fuiſſe, quantum ex eorum operibus colligi poteſt. Quod etiam confirmat Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtolâ ad Carolum Regem: *Notandum eſt* (inquit) *quòd licet tantæ gloriæ, tantæ ſcientiæ, ſive Antiquitatis iſte S. Dionyſius fuerit, nunquam tamen aliqua Opuſcula eum edidiſſe, niſi fallor, quæcunque Orthodoxorum Scripta traditio prodit, priuſquam Romani Pontifices, Gregorius, Martinus, & Agatho dictorum ejus in conſcriptis ſuis mentionem fecerint. Unde ego veram eſſe Græcorum opinionem conjicio, perhibentium libros ejus à prioribus Hæreticis occultatos, donec longo poſt tempore ex opuſculis ejus ſolus Codex, qui nunc habetur, eſt Romæ repertus; cæteriſque non inventis, in Græciam aſportatus.* Hæc Anaſtaſius. Hinc igitur manifeſtum eſt verum quod aſſerit P. Martyr, p. 892. (in loco de Miſſâ) Gregorium Romanum (qui ſexcentis poſt Chriſtum elapſis Annis Pontificis R. locum, & nomen in Eccleſia obtinuit) primum omnium Scriptorum Dionyſii mentionem feciſſe; & evincit, eos antiquiſſimis temporibus inauditos fuiſſe, nec eſſe Areopagitæ γνησίους. Quod autem Bellarminus [e] ut neceſſarium nobis objicit, ab hæreticis ſuppreſſos fuiſſe; Conjectura tantum eſt, & quidem levis admodum; quandoquidem nullo modo ſit veriſimile ab ipſius Dionyſii ad Gregorii uſque tempora latere aut ſupprimi potuiſſe: cùm Epiſcopi ſcripta ſua apud Eccleſias reponere

[e] Bell. de Monachis, pag. 142.

ſoliti eſſent: Neque credibile eſt Hæreticos potuiſſe omnia Exemplaria ad ſe undiquaque corradere. (Cujus rei nemini unquam quidem Gregorius, aut Agatho ſuſpicionem dederunt.) Vel ſi corraſiſſent, eò quod ejuſmodi eſſent genuina Dionyſii ſcripta, quibus ipſorum hæreſes oppugnarentur (neque enim alia excogitari poteſt cauſa) videtur certè aut in æternum ſuppreſſuros, aut ſaltem egregiè interpolatos fuiſſe emiſſuros. Cur enim Dionyſio Areopagitæ [inter hæreticos (*forte* Severianos) ſolummodo latitanti] non obtingeret, quod Dionyſio Corinthio [publicè proſtanti] uſu venit; ſicut ipſe (apud. Euſeb. lib. 4. cap. 23.) conqueritur: *Fratribus ut ſcriberem rogantibus, ſcripſi Epiſtolas; ſed illas miniſtri Diaboli zizaniis, alia eximentes, alia verò adjicientes, repleverunt; quibus Væ in extremum judicium eſt repoſitum.*] Sanè ſi ita ſe res haberet, ac Papiſtæ nobis conantur perſuadere; non immerito potuiſſet opinari Eraſmus, cum eruditiſſimis Græcis, qui Vallæ fuerunt temporibus, ex Apollinaris hæretici Officinâ iſta prodiiſſe. Nec defuerunt etiam antiquitus, qui hæreſis libros hoſce inſimulabant; ut apparet ex [f] Maximi Prologo in Dionyſium circa med. Quid quòd ipſe Gregorius [g] (cujus Authoritas fundamentum Bellarmini eſt, quo Dionyſium hunc Apoſtolicum eſſe evincat) non indicat fuiſſe illum Dionyſium Areopagitam? ut Valla, & Eraſmus monuerunt. [h] Citatur quidem à Gregorio in homiliâ de centum Ovibus (hom. 34. in Evangelia) ſed ita, ut Cardinalis Cajetanus (in Act. XVII.) eo Argumento moveatur de libris Dionyſii dubitare; quod Gregorius (in homiliâ 33. de 10. drachmis) non audeat aſſerere Authorem horum librorum fuiſſe Dionyſium Areopagitam: Sed dicat; *Fertur Dionyſius Areopagita, (Antiquus, videlicet, & Venerabilis Pater,) dicere; quòd ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum miniſterium vel viſibiliter, vel inviſibiliter mittuntur, &c.* At verò, ſi credidiſſet Gregorius, Hierarchiam illam, quæ nuper ex tenebris emerſerat, à Dionyſio Pauli diſcipulo fuiſſe editam; illam proculdubio per omnia ſequeretur. At illud non facit; ſed ipſos quidem Angelorum ordines aliter deſcribit, quàm iſte Dionyſius. Poſteriorum verò Scriptorum, qui à Papiſtis objiciuntur, Authoritas non eſt tanta, ut ra-

[f] Potiùs Joannis Scythopolitani; vide ſententias illas in Anaſtaſii ὁδηγῷ pag. 241, 339, 341. [g] Nullus ante Gregorium Magnum librorum Dionyſii meminit. [h] Vide Junium contra Bellarm. de Monachis, cap. 5. c. 18. 21. pag. 223, 224.

tionibus

tionibus contrà prolatis par eſſe poſſit. Cujuſmodi ſunt [i] Synodus VI. (3. ſc. Conſtantinopolitana, poſt 680. à Chriſto nato annos habita:) VII. cap. 2. (Profana, videlicet, illa Synodus Nicæna II. quæ 800. fere poſt Chriſtum annos ad Imaginum cultum ſtabiliendum coacta eſt) & VIII. (viz. Conſtantinopolitana IV. habita 870. poſt Chriſtum annos;) Martinus I. in Concilio Romano. Agatho in Epiſtolâ ad VI. Synodum, cap. 2. ad Conſtantinum 4. Imp. & Tiber. Auguſt. Sophronius Patriarcha Hieroſolymæ ad Sergium Patriarcham Conſtantinopol. Act 11. Sextæ Synodi. Nicolaus Papa 1. in Epiſtolâ ad Michalem Imp. Maximus, qui Annotationes ſcripſit in Dionyſium (in quibus etiam Dionyſii Alexandrini Archiepiſcopi in eundem Scholia [k] citat;) Damaſcenus de Orthodoxâ fide, lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 18. Nicephorus, lib. 2. cap. 2. Euthymius in Panopliâ, parte 1. tit. 2. Serm. 57. Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtolâ ad Carolum Calvum. Hilduinus in Epiſtolâ ad Ludovicum Pium, &c. Alanus etiam Copus Dial. 2. Dionyſii omnes libros eſſe Germanos probat, teſtimonio Theophylacti [l], (in Luc. XII. 53.) ſcilicet, ut Lucas probat in Actis Apoſtolicis, qui de libris nihil dixit: Tantummodo enim loquitur de Dionyſii mentis illuſtratione per Pauli prædicationem, & de Converſione à Dialecticiæ tendiculis, & Gentilium erroribus.

II. Alterum Argumentum à Theodoro adductum etiam in Prologo Joannis Sycopolitæ (qui alias Maximo tribuitur) ſuperiori affine eſt; ὅτι Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἀναγραφὴν ποιησάμενος τῶν συγγεγραμμένων τοῖς μακαρίοις πατράσιν ἡμῶν βιβλίων, οὐδεμίαν ταύτης μνήμην ἐποιήσατο. Euſebius Scriptores Antiquos diligenter perſequitur, & quos libros, aut Epiſtolas ſinguli ediderint, nominatim indicat; Dionyſius etiam Corinthiorum Epiſcopus (qui ſub Commodo circa annum Dom. 185. vixit) de Dionyſio Areopagitâ

[i] In Liberati Breviario, cap. 10. Vol. 2. Concil. Venet. edit. pag. 780. citatur Dionyſius Areopagita Corinthiorum Epiſcopus; ſed illud Areopagita redundat. [k] Videlicet τοῦ μεγάλου Διονυσίου τοῦ Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου, τοῦ ἀπὸ ῥητόρων. Scholia in B. Dionyſium ſibi cognominem. Sed (ut Scultetus recte obſervat) dubium quis, & cujus ætatis Dionyſius iſte Scholiaſtes fuerit. De veteri ſane illo nihil tale commemorat Euſebius, aut Hieronymus: (quorum temporibus Dionyſii Areopagitæ nihil extitiſſe certum eſt:) Et de illo etiam nota eſt Baſilii Magni cenſura in Epiſt. 41. ad Maximum Philoſoph. pag. 802. *Nos iſtius Viri omnia non amplectimur. Sunt quæ prorſus damnamus; Habent enim quædam ſemina impietatis.* Eadem ipſa verba habet Anaſtaſius Sinaita in ὁδηγ. pag. 340. ex cujus fide hoc citatum à Maximo, ait Fr. Turrianus, & eum ſecutus Baronius. [l] Pag. 420.

ſcribens;

ſcribens, quomodo à Paulo primum ad fidem converſus, deinde Athenienſium Epiſcopus factus eſt, declaravit: neuter tamen horum librorum meminit. Hieronymus etiam & Sophronius in Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo, & Gennadius de viris illuſtribus, Scriptorum præcipuorum, qui per 500 à Chriſto annos in Eccleſiâ claruerunt, Catalogum pertexentes, Dionyſii Areopagitæ non meminerunt. At quis putet eos, qui veterum libros ita ſtudioſè collegerunt, ut ne Epiſtolam quidem ab Eximio aliquo, & Pio Viro ſcriptam prætermiſerint, libros à Pauli diſcipulo, de rebus tam mirificis conſcriptos, fuiſſe omiſſuros? Hoc Argumentum non Vallam & Eraſmum ſolùm, ſed etiam Cardinalem Cajetanum movit; ut de libris hiſce dubitarent: quòd vix credibile putarent, Euſebium, & Hieronymum, cùm de libris Dionyſii Epiſcopi Corinthiorum multam mentionem faciant, tacituros fuiſſe de Dionyſio Pauli diſcipulo, ſi tantum Voluminum numerum reliquiſſet. At Bellarminus (de Monachis, lib. 2. cap. 5.) nobis perſuadere vult, Argumentum hoc ſibi maximè favere. Nam cùm Hieronymus, & Seculi Superioris Patres non citent hæc Opera; *Signum eſt* (inquit) *Authorem hunc non extitiſſe ipſorum tempore* (ſanè!) *Ex Gregorio autem conſtat eum non eſſe illis poſteriorem; ideòque ſequitur neceſſariò eſſe longè antiquiorem.* Quînam verò hoc ex Gregorio colligitur? *Gregorius ſc. Dionyſium citans, vocat antiquum & venerabilem Patrem: non autem vocaret Antiquum hominem, ſuo ſeculo proximum.* Mirum Jeſuitæ acumen! At oſtendat (1.) Neceſſe eſſe, nullos eſſe *Antiquos* & *Venerabiles Patres* appellandos, niſi qui ante Annos ducentos vixerint; tot enim anni inter Hieronymum & Gregorium magnum interceſſerunt. (2) Gregorium appellaſſe Authorem librorum, qui ex hæreticorum latibulis (ut vult Bellarm.) nuper lucem aſpexerant, antiquum, & venerabilem Patrem; aliter, quàm ex eorum Hypotheſi, qui illum veluti Dionyſium Areopagitam Pauli diſcipulum, Eccleſiæ obtruſerunt. Sed eâ de re ſatis in Superioris Arg. tractatione dictum eſt.

III. Πῶς τῶν κατὰ παράδοσιν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ διὰ μακροῦ τοῦ χρόνου αὐξηθέντων παραδόσεων, ἡ βίβλος αὕτη λεπτομερῶς τὴν ἐξήγησιν ποιεῖται; ὁ μὲν γὰρ μέγας Διονύσιος σύγχρονος ἦν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν πράξεων, τοῖς ἀποστόλοις: ἃ δὲ ἡ βίβλος περιέχει, τὰ πλεῖστα τῶν κατὰ παράδοσιν, καὶ εἰς ὕστερον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντων περιλήψεων τὴν ἀναγραφήν. ἀπίθανον ἦν, φησὶ, μᾶλλον δὲ ἀκατάλληλον, τὰ μετὰ πολὺν χρόνον τῆς τελευτῆς τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντα, Διονύσιον ὑπολαμβάνειν ἀναγράψαι. In libris hiſce de multis

multis agitur, quæ in primâ illâ Apoſtolorum ætate, & aliquandiu pòſt nondum fuerunt in uſu; ſed aliquot demùm ſeculis pòſt inſtituta, atque recepta. In lib. *de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ* multa ſcribit de Templis, de Altaribus, de Locis Sacris, de Choro, de Catechumenis extra fores Templi ſtatuendis. Atqui temporibus Apoſtolorum (quibus vixit Dionyſius) & 100 annis poſtea, non habuerunt Chriſtiani tam ſolennia templorum ædificia; Sed initio in domibus conveniebant eâ ſimplicitate, quam Lucas teſtatur adhibitam Act. 1. 13. & 12. 12. & 20. 8. Coacti enim ſunt in locis abditis atque occultis convenire propter tyrannos, atque ibi preces & conciones habere. Dionyſius autem ille Suppoſititius in Epiſtolâ ad Demophilum, oſtendit ſuo tempore ſolennia fuiſſe templa, Judaico ſimilia, quæ haberent ἅγια ἁγίων, & adyta eâ ſanctificatione à reliquo templo diſtincta, ut in illa ne Monachis quidem (nedum Laicis) liceret ingredi. Deinde in *Eccleſiaſticâ Hierarchiâ* plurimorum meminit Ordinum, ut Pontificum, Præſulum, Sacerdotum, Monachorum, &c. quorum nomina temporibus Apoſtolicis ignota erant. Monachos, ut medium quendam ordinem inter Clericos & Laicos facit, & multis Ceremoniis conſecratos meminit; cum ne Monachi quidem ulli uſque Conſtantini Magni fere tempora, ſpatio trecentorum prope Annorum à Chriſti natali in rerum Naturâ prorſus fuerint. Et quidem Papiſtæ dant (quod etiam Hieronymus in Epiſt. Pauli, & Epiſt. ad Euſtochium; & Ruffinus, lib. 1. hiſtor. cap. 8. confirmant) Paulum & Antonium fuiſſe primos Monachorum Parentes; qui poſt Dionyſium Areopagitam Seculis aliquot floruerunt. Tonſuram verò eorum, cujus Dionyſius iſte meminit, probari non poteſt, vix ſexcentis poſt Chriſtum Annis introductam fuiſſe; niſi quòd generaliter Patres monuerint eos, qui ad Clerum pertinebant, ne vanos illos homines imitarentur, qui Capillis longis gloriabantur. Ut hinc evidentiſſimè appareat, paulo ante Gregorium primum hos libros Dionyſii nomine fuiſſe editos. Præterea Suſceptorum in Baptiſmo meminit; quorum ne minimum quidem Veſtigium, multis poſt Dionyſium luſtris, ex ullo Veterum Scriptorum ſeu Græcorum, ſeu Latinorum oſtendi poteſt; licet evidentiſſimè ceremonias omnes in Baptiſmo uſitatas deſcribant. Denique multas Ceremonias novas, Paulino ſeculo incognitas, & inaniſſimas ſpeculationes ingerit: *Mihi, autem*, inquit Eraſmus, *non videtur priſcis illis temporibus tantum fuiſſe Chriſtianarum Ceremoniarum, quantum ille deſcribit, numerum.*

IV. Ne-

IV. [a] Πῶς μέμνηται τῆς τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος; Ὁ μὲν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν ἀποστόλων ἐνήκμασε χρόνοις. Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸ διὰ μαρτυρίου ἤθλησεν ἀγῶνα· ὃς καὶ πρὸ βραχὺ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολὴν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει. In libro *de divinis Nominibus*, cap. 4. citat ex Ignatii Epiſtolâ ad Roman. ſuaviſſimam illam ſententiam, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Jam verò Ignatius hanc Epiſtolam miſit ad Romanos, cùm in Itinere eſſet Romam profecturus ad certam mortem, imperante Trajano, (ut Euſebius, in Chronico teſtis eſt, & in Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 36. & Hieronymus in Catalogo) circa annum illius nonum, ut refert Michael Syngelus in Dionyſii Encomio. At Dionyſius Areopagita occiſus eſt ſub Domitiano, priuſquam Trajanus ad Imperium perveniret; ut teſtantur Methodius in Martyrio Dionyſii Areopag. Symeon Metaphraſtes in illius vitâ: Hilduinus in vitâ ejuſdem. Nicephorus, lib. 2. Eccleſiaſt. Hiſt. Hiſtoria Lombardica, & Jo. Trithemius. Quomodo verò potuit ex Ignatio citare, quod Ignatius tum nondum ſcripſerat? Michael Syngelus in Dionyſii Encomio, & eum ſecutus Suidas, ſub Trajano etiam Dionyſium paſſum volunt: Sed cùm profiteatur Syngelus ſe colligere hoc ex citatione ſententiæ Ignatianæ; nihil hac in re, contra Hiſtoriæ conſenſum valebit illius Authoritas. At verò neceſſe eſt, ut liber hic *de divinis Nominibus* ſcriptus fuerit ante Trajani tempora; ſi, ut fingitur [o], ad Timotheum Epiſcopum Epheſi ſcriptus fuerit: Timotheum enim ſub Domitiano Martyrium perpeſſum refert Cedrenus. Et quo tempore Ignatius ſcripſit, mortuum eſſe Timotheum, apparet ex ejuſdem Ignatii Epiſtolâ ad Epheſios; ubi Oneſimus ipſorum Epiſcopus memoratur, qui Timotheo ſucceſſit. Aut igitur Dionyſius noſter Ignatii ſententiam illam non citavit, (quam in libro illius hodie legimus) aut ad Timotheum jam vitâ functum librum ſuum conſcripſit. Atque hoc

[a] *Anno Dom. 532. inter Catholicos & Severianos juſſu Imperatoris habita eſt Collatio. In ea cum heretici Dionyſii Areopag. ſcripta inter alia commemoráſſent; Catholici de falſitate Authoris excipiunt: quod illa neque Cyrillus, neque Athanaſius agnoverit.* (Petavius in Chronolog lib. 13. fin. pag. 844.) Vide egregium locum apud Baronium, an. 532. 537, 538, 539. & Tom. 2. Conciliorum, pag. 599. edit. poſtremæ Binii, & nota ex Apolinariſtarum officinâ iſta primum prodiiſſe, & à Severianis primùm allegata, à Catholicis rejecta fuiſſe. [o] Jo. Cypariſſiot. Decad. 2. cap. 2. Dionyſius in Epiſt. ad Titum, &c. Alter verò Dionyſius hæc ediſſerens ait, *eos qui apertam theologiam, & velis nudam audierunt, typos cogitatione ſuâ formare, qui ad intelligentiam Auditores adjuvent.*

etiam

etiam antiquitus objectum eſſe, ut librum hunc Dionyſii non eſſe probaretur, teſtatur Maximus in Scholiis ad hunc locum: Καὶ ἐν τούτῳ (inquit) τινὲς οἴονται διαβάλλειν εὑρηκέναι τὸ παρὸν σύνταγμα, ὡς μὴ ὂν τοῦ Θείου Διονυσίου· ἐπειδὴ Ἰγνατίου λόγον μνημονεύει ἐσχάτου ὄντος αὐτοῦ, &c. Nec ipſe Maximus aliter hunc nodum potuit ſolvere, quàm ut diceret, vel citationem illam à ſtudioſo aliquo in Margine annotatam, irrepſiſſe in textum; vel uſitatum hoc fuiſſe Ignatio Apothegma, & ſæpius ab eo ſcriptum; cujus rei argumentum (admodum frigidum) affert, quod Dionyſius non dicat, Γράφει δὲ τοῖς, (ſc. Romanis, ſed ſimpliciter) Γράφει δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. Vide Papir. Maſſon. in Annal. Franc. p. 70,71. infra à nobis exſcript. p. 167, 168. & Vedelium in Notis ad Ignatii epiſtolas (E. 2. 4.) pag. 126. ad. 130. quæque apud eoſdem pro Hypotheſi; & Franciſcum Combefis notis in Andream Hieroſolym. pag. 359,360. Sunt & alia certiſſima Argumenta hinc petita, ab Illyrico prolata, quæ evidenter evincunt Dionyſium iſtum ſuppoſititium eſſe. Citat in ſuâ *Hierarchia* Joannis Evangelium, & Apocalypſim; idque ita, tanquan ſi ea ſcripta jamdiu fuiſſent pars ſacræ Scripturæ: At contrà, ſi credimus hiſtoricis, utrumque Joannes paulò ante mortem ſuam ſcripſit; defuncto jam Dionyſio ante 14. annos, aut circiter. Inter Epiſtolas iſtius Dionyſii eſt una ad Polycarpum ſcripta; quæ eum ita alloquitur tanquam jam Doctorem, & Epiſcopum, & ἱεράρχην ſalutat. Jam teſtantur Scriptores Dionyſium eſſe paſſum in Galliis, Anno Dom. 96. & Polycarpum 168, vel 166. ſuæ verò ætatis 86. Unde liquidò apparet, Polycarpum tempore paſſionis Dionyſii adhuc impuberem fuiſſe.

V. Dionyſius ad Timotheum ſcribens *de divinis Nominibus*, cap. 3. affirmat, ſe cum Timotheo & multis fratribus Mariæ Virginis demortuum Corpus conſpexiſſe: Unde etiam hoc à Nicephoro citatur, lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 22. & Damaſceno de dormitione Deiparæ. Si hoc audiviſſet, & crediſſet Epiphanius; in hæreſ. Antidicomar. non dixiſſet ignorare ſe, mortuane eſſet Maria, an non. Et Commentitiam omnino fabulam eſſe, temporis ratio demonſtrat [p]. Jeſuitæ Rhemenſes in Chronologicâ tabulâ in Act. Apoſt. fatentur, Anno Chriſti 51. Dionyſium à Paulo converſum

[p] Baſilius in lib. de Spiritu S. cap. 29. citat Alexandrini Dionyſii ſecundam ad ſibi cognominem epiſtolam.

fuiſſe. Ita 17. Anno poſt Chriſti Aſcenſum, Dionyſius adhuc Senator Athenienſis fuerit. Quod etiam ex tempore, quo Paulus aſcendit cum Barnabâ ad Hieroſolymitanam Synodum (Act. XV. 4. Gal. II. 1.) collato cum Itineribus, quæ poſtea ſuſcepiſſe dicitur per Derben, Lyſtram, Phrygiam, Galatiam, Myſiam, Macedoniam, priuſquam Athenas veniens Dionyſium convertit (Act. XVI. 1. & XVII 34.) apparet; & à Laur. Codomano, lib. 4. Chronolog. cap. 31. amplius confirmatur. Inquiramus jam quo tempore mortua eſt Maria. Melito de tranſitu Mariæ, aſſumptam illam aſſerit anno altero poſt Chriſti Aſcenſionem; quem idcirco Beda reprehendit. Nihilominus Elizabethæ moniali hoc ab ipsâ Mariâ revelatur: ut ſcribit Antonin. hiſt. part. 1. tit. 6. cap. 3. & Vincentius Speculi hiſt. lib. 7. cap. 80. & à calculo illo parum recedit Marianus Scotus in Chronico. Nicephorus, lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 3. Mariam ſcribit cùm Chriſtum peperit, 15. annorum fuiſſe: Annos autem 59. vixiſſe; quod etiam Euodii teſtimonium confirmat. Ita Anno Chriſti 44. fuerit mortua. Euſebius in Chronico refert, nonnullos habere, revelatum ſibi fuiſſe, Mariam aſſumptam Anno Chriſti 48. Atque ita defendunt Papiſtæ (ut legimus in novo Sacerdotali, part. 1. pag. 156.) Mariam concepiſſe 14 anno ætatis ſuæ, peperiſſe 15. mortuam eſſe 63. Et Rhemenſes (annot. in Act. I. 14.) aſſumptam Virginem fuiſſe narrant 48 anno Chriſti, 15 Anno poſt illius Aſcenſionem. Vel Rhemenſibus igitur teſtibus (qui omnium longiſſimè Mariæ vitam extendunt) Maria antè mortua eſt, quàm Dionyſius ad fidem Chriſtianam à Paulo converſus fuit; ideóque cum fratribus, Mariæ ex hâc vitâ decedenti non adfuit. Quò magis miranda eſt eorum tum inſcitia, tum impudentia; qui non ſolùm aſſumptionem corporis Mariæ aſtruere conantur ex Dionyſii Areopagitæ Epiſtolâ ad Timotheum, quæ nulla habetur; (legerunt ſc. hâc de re Dionyſium ſcripſiſſe ad Timotheum, atque inde novam Epiſtolam commenti ſunt; cùm in libro de divinis Nominibus ad Timotheum ſcripto illud tantùm reperiatur:) Sed etiam de ſuo illi affingunt, XII. Apoſtolos à ſe invicem in varias Mundi partes diſtractos miraculosè conveniſſe, præter Thomam, qui triduo demum poſt Virginis mortem affuit, &c. De hâc fabellâ ne verbum quidem in Dionyſio reperitur. Nominatim quidem narrat Jacobum fratrem Domini, & Petrum adfuiſſe; quod nequaquam veriſimile eſt de duobus Apoſtolis tantùm notaturum fuiſſe, ſi

omnes

omnes adfuiſſent. Nec ullo modo defendi poteſt Jacobum fratrem Domini Mariæ ſepulturam celebrâſſe; ſiquidem Anno 3. vel (ut alii volunt) 10. poſt Chriſti Aſcenſionem, regnante Claudio, interfectus eſt; quod & Genebrardus ait in Chronologiâ ſuâ, & Euſebius in Chronico.

VI. Solent Apoſtoli, & Prophetæ plurimum inculcare ſuam immediatam Vocationem; ut ſuam doctrinam apud Auditores confirment. Optimo ergò jure, neceſſitatéque id ipsâ poſtulante, Deóque præcipiente, Apoſtolorùm diſcipuli ipſorum Authoritatem in docendo citare debebant, ac teſtari, ſe hæc aut illa coràm à ſelecto Chriſti Organo Paulo audiſſe, eóque auditores debere illis plenâ fide aſſentiri. At Dionyſius Pauli Præceptoris, & aliorum Apoſtolorum aut nunquam, aut rarò meminit; alios interim Doctores multos, & Hierotheum Præceptorem ſubinde inducit. Alicubi ait; *Euchariſtia eſt juxta inclytum Præceptorem noſtrum* τελετῶν τελετὴ· non Paulum, ſed Hierotheum Præceptorem intelligens, ut annotat Scholiaſtes. Mox de Chriſmate; *Atque ideo Præceptores noſtri iſtud quaſi æquale ſacro Synaxeos myſterio conjunxère.* Pòſt de Monachis; *Sancti noſtri Patres* (inter quos ſanè Paulus non fuit) *divinis eos appellarunt nominibus, partim Therapeutas, partim Monachos.* Nec, ſi Dionyſius iſte diſcendi cupidus fuit, neceſſe habuit ſeſe in Diſciplinam Hierotheo (homini obſcuro, in Eccleſiâ planè ignoto) dedere; cum per integrum biennium Paulum quaſi domi habere potuerit. Ille enim mox poſt Areopagitæ converſionem, Corinthi diu, & Epheſi diutiùs docuit; quæ loca facilè Athenis adiri poſſunt. Quis verò, quando, ubi fuit Gentium iſte Hierotheus?

VII. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, cap. 7. de infantum baptiſmo verba faciens; *hac de re* (inquit) *ea dicimus, quæ divini noſtri Præceptores* ἐκ τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως *(veteri edocti traditione) ad nos pertulerunt.* Quibus verbis homo incautus, ſe Apoſtolorum diſcipulum minime fuiſſe prodidit: quippe quum, non veteri traditione, ſed ab ipſo Chriſto Apoſtoli doctrinam baptiſmi acceperint. Neque enim ſi eodem cum Apoſtolis tempore vixit Dionyſius; eorum traditionem *Antiquam* appellare potuit: & ſi potuiſſet, illud quidem dicere non potuit, Apoſtolos edoctos fuiſſe veteri traditione Apo-

 ſtolorum.

ſtolorum. Et cùm (& hìc, & in *Hierarchia* initio) ſuos præceptores (plurali numero) iſtam doctrinam ab Apoſtolis accepiſſe dicit; ſatis oſtendit, per plures ſibi invicem ſuccedentes præceptores, eam doctrinam ab Apoſtolis ad ſe perveniſſe. Si fuit Pauli diſcipulus; qui ante eum ſcriberent libros, habere multos Majores non potuit; imo ſi Beſſarioni (lib. 2. cap. 3. defenſionis Platonis) credimus, Dionyſius hic neminem ante ſe habuit divinarum rerum Scriptorem, præter Apoſtolum Paulum, & Hierotheum Athenarum Pontificem. Unde ergo Dionyſio noſtro tot Scriptores, Duces, Doctores, Pontifices, Præceptores, Patres? Eritne cuiquam credibile, iſta tam multa ſine verbo, traditione quâdam evulgâſſe? aut iſtos eum tanquam ignobiles, & Anonymos producere noluiſſe?

VIII. In *Hierarchiâ Eccleſiaſticâ*, Timotheum vocat filium (quod idem eſt uſu Scripturæ, & Eccleſiæ, ac diſcipulus) eúmque docet multa myſteria; cùm tamen fuerit Timotheus in Evangelio frater major, à Paulo ad fidem ante Areopagitam converſus, Paulóque adhuc vivo celebris doctor, ac Epiſcopus; denique Dionyſio authoritate, gravitate, eruditione, omnique dignitate par (ſi non ſuperior.) Timotheus diutiſſimè, & familiariſſimè cum Paulo Apoſtolo vixit, ab eóque plenè eruditus eſt: familiaris etiam fuiſſe ſcribitur Johanni Apoſtolo, qui diutiùs Dionyſio vixit, & plerunque Epheſi, & in Aſiâ Minori fuit, ubi & Timotheus egit. Quomodo ergò iſte Dionyſius auſus fuiſſet docere Timotheum, tantos Præceptores habentem; ut ille potius hunc Dionyſium docere potuerit, quàm ab eo doceri: Et non potiùs millies repetendo petiiſſet, ut ſibi Timotheus vel de hâc re, vel de aliâ ſuam, aut Pauli, Joanniſve Sententiam præſcriberet?

IX. Dictio, & forma Orationis non eſt ſimplex, & ſincera; ſed arguta nimis, & inflata, obſcura, affectata, & parum apoſtolica. Et ille tumidus, horridus, obſcurus, improprius, & intricatus Stylus nequaquam tempore Apoſtolorum Athenis fuit uſitatus; ſed 300 demum poſtea annis in Græciâ, & etiam Romæ cœpit eſſe in uſu. Epiſtola ad Lectorem in Dionyſii Carthuſiani Commentar. ſuper Dionyſium Areopagit. dicit, hunc Dionyſium, quiſquis fuit, eſſe aſperiorem, multis mendis anteà ſcatuiſſe, vix intelligibilem, nonnullis etiam Theologis faceſſere negotium. Ignorâſſe illum linguam Hebraicam liquet ex his verbis (in Eccleſiaſt. Hierarch.) de

de interpretatione Seraphim; *Si, ut aiunt, qui Hebraicam linguam callent, &c.*

X. Nec illa Pauli diſcipulo conveniunt, dubitare de ſuâ doctrinâ, & ignorare utrum à vero receſſerit. *Si hæc* (inquit in Epilogo *de divinis Nominibus*) *vel minùs rectè, aut minus ſufficienter ſe habent, & ab ipſa veritate vel omnino vel ex parte deficimus: erit profectò humanitatis tuæ corrigere non ſponte ignorantem.* In primo etiam cap. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* præcipit Timotheo, ut non omnibus revelet ſua ſcripta. Non ſunt igitur Apoſtolica.

XI. Nullum ex Apoſtolis, aut eorum diſcipulis videmus tam de induſtriâ tuliſſe *(fortè* luſiſſe) in tradendâ Eccleſiæ doctrinæ ſubtilibus, imo intricatis, ac præter Authorem ipſum, vix alii cuiquam explicabilibus ſpeculationibus, & argutiis. At nihil minùs certè convenit iſti ætati, cui Dionyſius tribuitur; ut in quâ homines rudes rerum, de Chriſto, de Regno Dei, de Juſtitiâ, & Salute æternâ, ſingulari ſimplicitate, & perſpicuitate, non ſubtilitatum involucris, doceri neceſſe fuit. Quod quidem judicium, ut minimè dubium, aut fallax, etiam de reliquis libris Apocryphis Eccleſia perpetuò pronunciavit: quod videlicet Stylus eorum & dicendi forma ab elocutione Apoſtolicâ procul abſit. Scribendi verò genus, quo Dionyſius iſte utitur, præſertim *de divinis Nominibus*, & *Hierarchiâ cæleſti*, inanis Philoſophiæ potiùs doctrinam continet, quam Chriſtianiſmi puram doctrinam, ac ædificatione prorſus caret. In *Myſticâ* etiam *Theologiâ* Platonizat plus quàm Chriſtianizat. *Effundit ænigmata,* (ait de illo Marſilius Ficinus) *concinit Dithyrambos.*

XII. In libris *de cæleſti Hierarchiâ* divinam ſanè rem tractat, ipſum ordinem cœleſtis Reipublicæ; Argumentum & difficultatis, & audaciæ pleniſſimum. Paulus Apoſtolus (qui in tertium Cœlum raptus eſt) 2 Cor. XII. 4. iſta, & hujuſmodi reliqua omnino ἄῤῥητα eſſe dicit; præterea, ait nefas eſſe homini, ea loqui. Unde ergo aut auſus eſt Dionyſius iſta enunciare, ſi ſciret; aut ſcire potuit? Unde tandem tam mirificam ſcientiam adeptus eſt? Num ex revelatione? Unde conſtat? Cur non Apoſtolis iſta potiùs revelata ſunt; ſi modò noſtrâ intereſſet ea ſcire? Si non interfuit; cur hæc myſteria Dionyſius evulgavit? Paulo ſc. ſapientior fuit: Ita ut de hujuſmodi

hominibus

hominibus Nazianzenus pronunciat, 34. Orat. (quæ ſecunda eſt de Theolog.) *Quin & Paulo*, inquit, *præſtabiliorem eſſe te demus; ut Angelorum vel Archangelorum ordinem cognitionemque teneas.* Irenæus, lib. 2. cap 54. præclaram ſententiam habet contra iſtos Hierarchiarum Scriptores; *Nihil ſanùm dicunt*, (inquit) *delirant; non oportet iis credere, & Moſen, ac Prophetas relinquere. Dicant nobis, quæ ſit inviſibilium natura; Enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum; demonſtrent Thronorum Sacramenta; & doceant diverſitates dominationum, Principatuum, Poteſtatum, atque Virtutum: Sed non habent dicere.* Auguſtinus etiam in Enchirid. ad Laurent. cap. 58. affirmat ſe neſcire ordines Angelorum, & eorum differentias, qui Throni, quæ Dominationes, qui Principatus, quæ Virtutes. *Dicant* (inquit) *qui poſſunt; ſi modò probare poſſunt, quod dicunt.* At hæc omnia, & alia etiam multa Dionyſius ſuperſtitiosè, & curiosè de Angelis explicat: ſed nihil probat; nec rationem, nec authoritatem affert. In Antiquâ verò Eccleſiâ vidimus tale argumentum fuiſſe Arcanum, & ignotum, & inauditum, necdum à quoquam pertractatum. Præterea Gregorius Magnus aliter Angelorum ordines deſcribit, quàm iſte Dionyſius; ſimiliter Bernardus etiam: ut Eckius fatetur, in Homil. 4. de Feſt. Michaelis. At ſi tanta fides hujus Dionyſii, tantaque authoritas hujus libri, illi nunquam aliter de rebus hiſce ſcripſiſſent; cùm in eo inventarium quoddam haberent totius Cœli ſupellectilis, & Angelicorum ſubſelliorum.

XIII. In ſeptima *Epiſtolâ*, quæ eſt ad Polycarpum, ſcribit ſe fuiſſe in Ægypto; cùm eſſet celebris illa Solis eclipſis per totum Orbem terrarum, eo tempore, quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus mortem in Cruce obiit. At Origenes, tractat. 35. in Matthæum, ait tenebras illas, quarum mentio fit, Matth. XXVII. 45. in Judaicâ tantùm [q] terrâ fuiſſe. Origenes igitur aut libros Dionyſii non vidit; aut non tantum illis detulit, quantum Papiſtæ tribui volunt. Quin & Laur. Valla (in Act. XVII.) deridet eorum ineptiam, qui, quaſi non fuerit in vicinis civitatibus illa Eclipſis,

[q] Julius Africanus, ejus σύγχρονος, & familiaris, toto mundo factas putavit iſtas tenebras. (In Georgii Cedreni Chronico, pag. 155. ex Græcis Collectaneis Euſebianis Scaligeri, pag. 63.)

quam

quam volunt fuiſſe Athenis, faciunt Dionyſium de eâ ſcribentem literas ad alium. Maximus in Scholiis, pag. 319. ait Julium Africanum, & Euſebium in Chronographiis ſuis meminiſſe hujus Eclipſeos: quorum alter (Euſebius) cùm teſtem advocet ejus rei Phlegontem: Alter (Africanus) apud Georgium Syncellum in Græcis Euſebianis Scaligeri, pag. 63. neuter tamen Dionyſium commemorat; qui teſtis tamen omnium maximè opportunus fuiſſet, utpote *αὐτόπτης*, ſi tum uſpiam extitiſſet.

XIV. In libro *de divinis Nominibus* citat Clementem Philoſophum, dicentem, Quòd *exemplaria rerum principalia, aut ideæ, ſeu cauſa formales ſint relativa.* Pachymeres ait, Interpretes quoſdam Clementem Romanum hic intellexiſſe. At nullus fuit alius Clemens Philoſophus, quàm Alexandrinus, qui ducentis poſt Chriſtum annis vixit. Videmus etiam omnino quòd, locus ille citatus in fine 8. lib. Stromatum eſt; ubi Clemens dicit, cauſas, præſertim formalem, eſſe relativam. Vide Matthæi Galeni Areopagitica, fol. 12, 52, 53, 54. & 91. *b.*

XV. Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, & Johannes Scotus in Epiſtolis ad Carolum, affirmant Dionyſium, qui in Galliam miſſus eſt ad prædicandum Evangelium, fuiſſe Dionyſium Areopagitam. Nec fortè ratio ex computo temporis contradicit, *ſicut aliqui objicere voluerunt*; inquit Author Lombardicæ Hiſtoriæ. At Galli, inter quos Apoſtolatu ſuo functos dicitur, ita negligenter Apoſtoli ſui ſcripta conſervârunt; ut ad annum uſque Domini 825. iiſdem caruerint. [1] Anno enim 10. Ludovici Pii, Galliarum Regis, Caroli magni F. (inter cætera munera) delati ſunt ei à legatis Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani libri Dionyſii *de cœleſti Hierarchiâ*; qui ut ſummo gaudio ſunt excepti; ita homines cæci, ſurdi, infirmi, plus minus novendecim, eâ nocte in illâ Eccleſiâ ſunt curati; Ut Jacobus de Voragine in legendâ aureâ, & Antoninus, part. 2. tit. 16. cap. 2. authores ſunt. [2] Ea verò tum temporis fuit Gallo-

[1] Vide Sigebert. Chronogr. an. 824. & Baron. an. 824. §. 30. (cum noſtris collectaneis de Johanne Scoto in fine lib. de B Patriar.) & tom. 5. Surii pag. 627. [2] Inter alios libros à Paulo Papâ circa an. 767. ad Regem Pipinum miſſos fuiſſe Dionyſii Areop. libros Græcè ſcriptos conſtat ex 25. Pauli epiſtolâ (à Gretſero editâ) cujus initium; *A Deo inſtitutæ præcellentiæ.*

rum

rum inſcitia; ut ne verba quidem Dionyſii poſſent intelligere, priuſquam Johannes Scotus (qui ex Hiberniâ in Gallias conceſſerat) in Latinam linguam traduxiſſet. Eundem Scotum, quemadmodum & Anaſtaſium Bibliothecarium, Joan. Saracenum, & alios, argumentis, quæ nonnulli contra Dionyſii libros produxerant, ſatisfeciſſe, refert Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ ſanctæ; qui licèt eo loco libros Dionyſii tanquam veros ac proprios illius fœtus agnoſcat; tamen lib. 4. (ut antea diximus) Quæſtiones ex Veteri & Novo Teſtamento Athanaſii non eſſe eo argumento confirmat; quòd in illis Theologia Myſtica Dionyſii allegetur, Athanaſii ſeculo, ut arbitratur, ignota. Ex his omnibus duo iſta colligimus, 1. Novis, & vix credendis miraculis, atque mendaciis huic Dionyſio autoritatem Pontificios conciliare. 2. Nonnullos & ante noſtra tempora fuiſſe, qui de libris Dionyſii dubitarent: Id quod ex IV. illis primis objectionibus, quas ex Theodori Presbyteri diſputationibus adduximus, evidenter apparet: de quibus quid Photius [t] ſenſerit, non obſcurè illâ ſuâ cenſurâ ſignificavit: πάντας τέσσαρας ἀπορίας διαλῦσαι ἐπαγγειλάμενος, βεβαιοῖ (τό γ' ἐπ' αὐτῷ) γνησίαν εἶναι τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. Maximus etiam (vel potiùs Joannes Sycopolita) in prologo teſtatur fuiſſe, qui negarent libros hos fuiſſe Dionyſii Areopagitæ; ἀλλὰ πρός τῶν μεταγενεστέρων. Theodorus Gaza, in præfat. in Problemata Alexandri Aphrodiſæi ad Nicolaum V. ſtatim ab initio, libros *de Hierarchiâ* non eſſe Dionyſii Athenienſis Viri doctiſſimi ſignificat. Idem facit Laurentius Valla in Annot. in Act. XVII. addito etiam, quoſdam ſuæ ætatis eruditiſſimos Græcos collegiſſe, authorem horum librorum fuiſſe Apollinarem. Item Johannes Coletus, concedente ipſomet Hardingo in Replicâ adv. Juel. fol. 44. Eraſmus Roterod. & in Annotationibus ſuis in Acta, & contra cenſuras Pariſienſium; [v] & Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis S. Chriſti in Comment. Actuum Apoſtolicorum, & tertii libri Regum. Inprimis verò memorabile eſt, quod refert Eraſmus ſuâ memoriâ de Guilhelmo Grocino Anglo, *viro* (ut ait) *incomparabili, Eccleſiaſticarum conſtitutionum obſervan-*

[t] Ita Poſſevinus (in Photio, pag. 91.) *Opera B. Dionyſii ut Pſeudepigrapha videntur ab eo notari* [v] *Plurimum utique Laurentii, ſed multo magis Eraſmi judicio tribuendum puto*: Inquit hac in cauſa Roffenſis contra Velenum, pag. 1357. Opinatur tamen Eraſmus in principio method. perveniendi ad veram Theologiam (Tom. 5. operum ipſius. pag. 3.) Dionyſium hunc Auguſtino antiquiorem, *Et ante Auguſtinum* (inquit) *opinor, Dionyſius quidem de div. nominibus.*

tiſſimo

tiſſimo penè uſque ad ſuperſtitionem, ſcholaſtica Theologiæ ad unguem docto, naturâ etiam acerrimi judicii, demum in omni diſciplinarum genere exactè verſato. Circa initium regni Henrici VIII. auſpicaturus Londini in Æde Paulinâ, magnâ celebritate, Enarrationem cœleſtis Hierarchiæ, meditatâ præfatione multum aſſeveravit, hoc opus eſſe Dionyſii Areopagitæ; vehementer deſtomachans in eorum impudentiam, qui diſſentirent. Verùm ubi jam aliquot hebdomadas eſſet profeſſus; atque, ut fit, propiùs, ac familiariùs introſpexiſſet Autoris ingenium; priuſquam Operis dimidium confeciſſet, non dubitavit apud eoſdem auditores παλινῳδεῖν priorem ſententiam; ingenuè profitens, ſibi, verſo calculo, nequaquam videri id opus eſſe Dionyſii Areopagitæ. [x] Hæc annotâſſe neceſſarium fuit, ut occurreretur tum Bellarmino, qui nullo modo veriſimile putat, [y] tot Patres non potuiſſe videre id, quod nunc Valla & Eraſmus vidiſſe ſe dicunt (neque enim recens fuit hæc controverſia, & à paucis agitata;) tum etiam Pariſienſibus Theologis, qui (cenſurâ ſuâ in Epiſt. præpoſita Eraſmi Paraphraſi in 1 Epiſt. ad Corinth.) aiunt neminem hâc de re dubitare præter ineruditos, temerarios, & novitatum ſtudioſos: (cùm viri doctiſſimi, & Papiſticarum ſuperſtitionum tenaciſſimi libros hoſce ψευδεπιγράφους arguant.) Noſtros igitur inſimulare non poſſunt Pontificii; quòd Dionyſii libros ideo tantùm commentitios eſſe clament, quia contra ipſos teſtimonium dicant. Ceremonias enim plurimas habet Dionyſius, quibus Romanenſes non utuntur (ut Exempli gratiâ, cap. 3. *Hierarch. Eccleſ.* quod ait, ſolitos fuiſſe Cadaver ſalutare, & oleo perfundere:) & in rebus, quæ ſubſtantiæ ſunt, noſtras partes tuetur. *Hierarchia* enim *Eccleſiaſtica*, cap. 3. in Actione Cœnæ ſacræ, quam ἱερουργίαν συμβολικὴν nominat, Communionem publicam proponit, non privatam; eamque non dimidiatam, ſed integram; & theatricis geſticulationibus liberam: Scripturæ item lectionem factam eſſe vernaculè, ac preces ſimiliter publicas eodem in loco commemorat; ut alia omittamus. Nos [z] quidem Bellarmino [a] non inviti concedimus, libros hoſce nec

[x] Ex Matthæi Galeni Areopagiticis intelligere licet; alios Pontificios de libris hiſce dubitâſſe.
[y] Ad hoc vide reſponſionem Fr. Junii contra Bellarm. de Monachis, pag. 222, 223.
[z] Dionyſii ſcripta citantur ab Authore quæſt. ad Antiochum (tomo 2. Athanaſ. Græco-lat. pag. 277.) Jobio, vel Jovio Monacho (in Bibliothecâ Photii, p. 312. edit. Græc.) & Ephræmio Antiocheno (ibid. p. 4 o.) Juſtiniani temporibus (ibid. p. 406.
[a] De Euchariſt. lib. 2. cap. 4. de gratiâ & libero Arbitr. lib. 5. cap. 25. De verbo Dei, lib. 4. cap. 7. (ubi à Pauli tamen diſcipulo hæc profecta, pro certo affirmare non audet.)

recentes eſſe, nec contemnendos: ſed nunquam protulerunt Pontificii argumentum, quo à Dionyſio Pauli diſcipulo ſcriptos fuiſſe perſuaderent. Multa quidem Patrum nomina allegant [b], quæ Dionyſium antiquum quidem, non autem Apoſtolicum evincunt. At urgent [c], apparere illud exipſis libris; in quibus multorum meminit, & nonnullorum dicta proponit, qui temporibus illis floruerunt; quorum & Actuum liber, & Epiſtolæ Pauli meminerunt. Quibus, cum Eraſmo contra Pariſienſium cenſuram, reſpondemus: Eum, qui hos libros ſcripſit, id ſtudio curâſſe [d], ut ab illo magno Dionyſio ſcripti viderentur. Nec id videri poteſt abſurdum; quum illo ſeculo ejuſmodi libris falſò celebrium virorum titulo commendatis undique ſcaterent omnia. *Tum enim* (inquit Eraſmus) *piis etiam viris perſuaſum erat, Deo gratum eſſe, ſi tali fuco populus ad aviditatem legendi provocaretur.* Vid. Delrii diſquiſit. Magic. lib. 6. pag. 519, 520. & Stephanum de Sampayo (T.11.6.11.) fol.26, &c. & Calvinum in Act. XVII. v. ult. Hamelman de traditionibus, pag. 731, 732, 743. Chemnitium, part. 1. loc. theolog. fol. 2. Guilh. Eiſengreyn Centenario 1. Hiſt. Eccleſiaſticæ. Matthæum Galenum in Areopagiticis; ubi Dionyſii ſcripta à noſtrorum objectionibus vindicare conatur (teſte Baronio in Martyrolog. Roman. Oct.9. pag. 456, & 458. vide eund. in Annalibus ad an. 109.) Et Godefridum Tilmannum in Apologia, quam præfixit Pachymeræ Paraphraſi in Dionyſium à ſe Latinè converſæ (de quâ T.1.7.6. p 640.) & Michael. Syngelum in Cenſur. de hoc lib., pag. 104. Magdeburgenſes Centur.4.cap.10. col.1129. de Dionyſii ſcripto ita ſtatuunt: *Probabilibus ducti rationibus, maximè quæ ex ſtatu, formâ, gubernatione, ritibus Eccleſiæ, quos in Hierarchiis liber iſte, Dionyſii Areopagitæ inſcriptus nomine, depingit; & judicamus, & pronunciare non dubitamus, ad hoc Quartum Seculum id genus ſcripti pertinere, à quocunque tandem Authore conſarcinatum.* Hæc illi. Ego potiùs ad Quintum Seculum retulerim. * Vid. pag. 161. in Joanne Scythopolitâ. Sed ſi Apollinarius Hæreticus Author ſit (ut Græci ſentiunt apud Laurentium Vallam in Act. XVII.) tum rectè ſentiunt Magdeburgenſes. Fertur Dionyſii ad Apoſtolum Paulum *Epiſtola*; ſed non eſt ejus; ut ipſamet Epiſtola clamat. In Jacobi de Vora-

[b] Vide Garetii præfat. in Claſſes ſuas de Euchar. [c] Ambroſius Camaldulenſis præfat. in tranſlat. librorum Dionyſii. [d] Vide cap. 2. & 3. de divinis Nominibus.

gine

gine Legendâ Aureâ multa ex hâc Epiſtolâ citantur in Vitâ Petri (cap. 84.) & Pauli (cap. 85.) Godefridus Tilemannus, Carthuſianus, Paraphraſi Georgii Pachymerii in Dionyſii Epiſtolas Latinè à ſe verſæ comitem dedit.

* *In loco ſtellulâ notato (uti & ſupra §. 4.) Cl. Uſſerius Lectorem ad Bibliothecam ſuam Theologicam remittere videtur. Operis legendi copia olim mihi data fuit, impræſentiarum verò denegatur. Locum interim ejuſdem egregium de Joannis Scythopolitani & Dionyſii Alexandrini in Areopagitam Scholiis; quem antea in uſum Cl. V. Gulielmi Cave Hiſtoriæ ſuæ Literariæ inſerendum deſcripſi, hic loci exhibere non inconſultum duximus: id ſolum præfati Illuſtriſſimum Primatem in Opere prædicto Apollinarem Hæreticum Authorem fuiſſe ſcriptorum Areopagitæ ſuppoſitorum probare imprimis conari.*

Joannes Scythopolitanus ſcripſit in Dionyſium Areopagitam Scholia pariter ac Maximus. Verùm in libris Dionyſii ab anno 1562. incluſivè editis ſimul confuſa ſunt Joannis & Maximi Scholia: quæ non in antiquioribus ſolùm quæ Cypariſſioti tempore ferebantur, editionibus fuerunt diſtincta: Sed etiam in utroque, quo uſus eſt ipſe Morellius, Codice: In quorum altero ad marginem appoſita ſunt (Joannis Scythopolitani) ſine nomine Scholia: in altero verò ſeorſim (poſt abſolutum textum integrum Dionyſii) Maximi nomine inſignita Scholia, eò breviora, quòd ab amplioribus Joannis, cum quibus ea conjunxit Morellius, ſeparata fuerant. Porrò vulgata illa Scythopolitani Scholia eadem illa ipſa ſunt, quæ Dionyſio Alexandrino ab aliis ſunt attributa; quod ex ſententiâ à Cypariſſioto ex Dionyſii Scholiis citatâ patet; quæ in Scholiis iſtis totidem verbis reperitur. Iſtam verò ſententiam Scythopolitani, non Maximi eſſe; liquet ex Latinâ Verſione Scholiorum Scythopolitani à Roberto Epiſcopo Lincolnienſi factâ, & in Bibliothecâ Collegii Corporis Chriſti apud Oxonienſes MS. aſſervatâ; in quâ reperitur.

Ejuſdem de Epiſtolâ ad Laodicenſes Diſſertatiuncula.

Tertullianus contra Marcionem, lib. 5. cap. 11. *Prætereo hîc & de aliâ Epiſtolâ; quam nos ad Epheſios præſcriptam habemus, Hæretici verò ad Laodicenos.* Et cap. 17. cui vetus Inſcriptio hæc attexebatur (teſte Pamelio) *De Epiſtolâ ad Laodicenos ſive ad Epheſios; Eccleſiæ quidem* (inquit Tertullianus) *veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos. Sed Marcion ei titulum aliquando interpolare geſtiit; quaſi & in iſto diligentiſſimus Interpolator. Nihil autem de Titulis intereſt; cùm ad omnes Apoſtolus ſcripſerit, dum ad quoſdam.* Hactenus Tertullianus.

Epiphanius, Hæreſ. 42. pag. 142. lin. 2. à Marcione locum hunc productum notat ex Epiſtolâ ad Laodicenos. Εἷς Κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν, quod habetur in quarto Capite ad Epheſios, pag. 163. lin. 4. προσέθετο δὲ (inquit de Marcione) ἐν τῷ ἰδίῳ Ἀποστολικῷ καλουμένῳ, καὶ τῆς καλουμένης πρὸς Λαοδικέας εἷς, Κύριος, μία πίστις, &c. συνᾳδόντως μετὰ τῆς πρὸς Ἐφεσίους. ὦ Μαρκίων καὶ ταύτας τὰς κατὰ σοῦ μαρτυρίας ἀπὸ τῆς λεγομένης πρὸς Λαοδικέας συνήγαγες κατὰ σοῦ μαρτυρίας. Et paulò poſt, p. 164. lin. 16. Οὐ γὰρ ἔδοξε τῷ ἐλεεινοτάτῳ Μαρκίωνι ἀπὸ τῆς πρὸς Ἐφεσίους ταύτην τὴν μαρτυρίαν λέγειν, ἀλλὰ τῆς πρὸς Λαοδικέας, τῆς μὴ οὔσης ἐν τῷ Ἀποστόλῳ. Ubi nota, inter Epiſtolas Paulinas à Marcione receptas ſeptimo loco collocatam eſſe Epiſtolam ad Epheſios; quæ apud nos ordine eſt quinta; ſecundùm Epiphanium (pag. 138, 141, 162.) Unde illa ab eo citata Teſtimonia eadem habentur in noſtrâ ad Epheſios Epiſtola: quæ eadem Marcioni Epiſtola fuit ad Laodicenos, ſecundùm Tertullianum (ubi ſupra.) Præter hanc tamen ad Epheſios Epiſtolam, putat Epiphanius recepta etiam eſſe à Marcione Epiſtolæ ad Laodicenſes Fragmenta. Ἔχει δὲ καὶ τῆς πρὸς Λαοδικέας μέρη, inquit, pag. 138. lin. 21. E quibus tamen unicum illud à ſe productum reperit.

Jacobus

Jacobus Pamelius, Annot. 259. in lib. 5. Tertulliani adv. Marcionem. *Fortaſſis* (inquit) *occaſionem dedit Marcioni hujus Tituli huic Epiſtolæ imponendi; quòd legiſſet, Col.* 4. Salutate fratres, qui ſunt Laodiceæ. Et cùm lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc: facite ut & in Laodicenſium Eccleſiâ legatur. Legatur vobis & ea, quæ eſt Laodicenſium. Quæ autem Marcionem moverint, iſta fuiſſe videntur.

I. Supracitata Apoſtoli ſententia ex Col. IV. collata cum his duabus rationibus: (1.) Quòd Epiſtola ad Coloſſenſes ejuſdem ſit argumenti cum eâ, quæ ſcripta eſt ad Epheſios (quod etiam notat Chryſoſtomus initio Homil. X. in Coloſſ. IV.) nec quicquam differat ab eâ, niſi quòd in hâc ſit aperta ſignificatio Judaicarum Ceremoniarum, ad Epheſios verò tenuis earum mentio: quod ad finem Explicationis Epiſtolæ ad Coloſſenſes notat Adamus Sasbout. Cùm igitur eædem res eodem ferè modo & ordine in utrâque Epiſtolâ tractarentur; ut altera videri poſſet Explicatio alterius: (Eſt enim Epiſtola ad Coloſſenſes quaſi Epitome Epiſtolæ ad Epheſios; ut Epiſtola ad Epheſios Epiſtolæ ad Romanos;) jure mandare videatur Apoſtolus; ut utraque Epiſtola ab utriſque legeretur. (2.) Quòd utraque Epiſtola eodem tempore ſcripta videatur; & per eundem nuncium Tychicum quemadmodum ad VI. Caput Epiſtolæ ad Epheſios notat Hieronymus ex Collatione Coloſſ. IV. 7, 8. cum Epheſ. VI. 21, 22. Ex quâ etiam colligit Adamus Sasbout Epiſtolam ad Coloſſenſes planè eodem tempore, loco & impetu ſcriptam eſſe; quo ſcripta eſt illa ad Epheſios: ut in quâ ſuccurrerent Paulo eadem verba ex propinquâ cogitatione de præcedente Epiſtolâ. Contra tamen Baronius, anno 59. §. 19. collat. cum anno 60. §. 9. Confer & Theodoreti Argumentum in Epiſtolam ad Epheſios, Eraſmus (qui multa habet de ſuppoſititiâ ad Laodicenſes Epiſtola) initio Annot. in cap. I. ad Epheſ. *Certe* (inquit) *ſtylus tantum diſſonat à cæteris Pauli Epiſtolis; ut alterius videri poſſit: niſi pectus atque indoles Paulinæ mentis hanc prorſus illi vindicaret.* At tamen ſtylus planè convenit cum Epiſtolâ ad Coloſſenſes.

II. In

II. In utriuſque Epiſtolæ Argumento, quod extat apud Oecumenium (vide & Theophylactum) ita ſcriptum eſt tam de Epiſtolâ ad Epheſios, quàm de illâ quæ eſt ad Coloſſenſes. Ταύτην ἐπιϛέλλει ἀπὸ Ῥώμης, οὔπω μὲν ἑωρακὼς αὐτοὺς, ἀκούσας δὲ περὶ αὐτῶν. Et de Epiſtola ad Coloſſenſes confirmat id Joannes Chryſoſtomus, Hom. 1. in eam Epiſtolam (reclamante tamen Theodorito, & ex eo Baronio, anno 60. §. 14.) De Epiſtolâ verò ad Epheſios id collegiſſe videantur ex Epheſ. I. 15. & III. 2, 4. Certum verò eſt Paulum antea Epheſios vidiſſe; quippe apud quos biennio commoratus ſit; & ad vincula proficiſcens, ſolenni modo benedixit, Act. XX.

III. In antiquis Exemplaribus, illud ἐν Ἐφέσῳ (cap. I. ver. 1.) defuiſſe apparet ex illis Baſilii verbis circa med. lib. 2. adv. Eunomium. Τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλων, ὡς γνησίως ἡνωμένοις τῷ ὄντι δι᾽ ἐπιγνώσεως, ὄντας αὐτοὺς ἰδιαζόντως (i. e. per excellentiam) ὠνόμασεν, εἰπών. Τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Οὕτω γὰρ καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι, καὶ ἡμεῖς ἐν τισι τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν. (Sic enim citat Candarius in Scholiis ad Epheſ. I.) vel (ut eſt in Græcâ Baſilii Editione, pag. 668. lin. 13.) ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν. Hinc Hieronymus in Comment. ad Epheſ. I. *Quidam* (ait) *curioſius, quàm neceſſe eſt, putant ex eo quòd Moyſi dictum ſit (Exod. 3.)* Hæc dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me; *etiam eos qui in Epheſo ſunt ſancti & fideles, Eſſentiæ vocabulo nuncupatos. Alii verò ſimpliciter, non ad eos qui ſunt, ſed qui Epheſi ſancti & fideles ſint, ſcriptum arbitrantur.* Theodorus Beza in fine Notarum in Epiſtolam ad Epheſios ſuſpicatur verba illa [ἐν Ἐφέσῳ] ideò ſublata; quod non tam ad Epheſios ipſos propriè miſſa fuerit Epiſtola, quàm Epheſum, ut ad cæteras Aſiaticas Eccleſias tranſmitteretur.

De Epiſtola ad Laodicenſes plura habet Jacobus Pamelius, Annot. 259. in lib. 5. Tertulliani adverſus Marcionem. Bellarminus in Recognitione Controverſiarum ſuarum. Pontificii in Colloquio Ratisbonenſi. Baronius anno 60. §. 12, 13, 14. (quem etiam vide de Epiſtolâ ad Epheſios, anno 59. §. 19, 20, 21.) Sixtus Senenſis, Biblioth. Sanct. lib. 2. in Paulo. Commentatores

tores in poſtremum Caput Epiſtolæ ad Coloſſenſes. Zegerus tum in Epanorthote (ubi ait, non ſibi probabile judicari Marcionis judicium) tum in Scholiis. Salmeron, pag. 357. lin. 8. & Beza (ubi uterque ait; Malè ab Epiphanio citari eam, quæ extat, ſuppoſititiam Epiſtolam: cùm in ea citata ab Epiphanio ſententia non reperiatur, ſed in Epiſtolâ ad Epheſios) Ambroſius Catharinus, Cajetanus, Claudius Guilliaudus, Joannes Gagneus, Eraſmus. Quibus adde etiam Theodoritum, Oecumenium, & Chryſoſtomum.

F I N I S.

AUCTARIUM
Hiſtoriæ Dogmaticæ
JACOBI USSERII ARMACHANI

DE

SCRIPTURIS

ET

SACRIS VERNACULIS.

Authore HENRICO WHARTON.

LONDINI,

Apud Ricardum Chiſwell, ad inſigne Roſæ Coronatæ in Cœmiterio Paulino, MDCLXXXIX.

AUCTARIUM Hiſtoriæ Dogmaticæ JACOBI USSERII ARMACHANI DE Scripturis & Sacris Vernaculis.

CAPUT I.

IN diſponendis Authorum Judæorum, quos citat ætatibus Illuſtriſſimus Primas, calculum communiorem ſequitur. An verior ſit iſta, parùm conſtat niſi ex ipſorum Authoritate Judæorum; quibus fabulas fabulis nectere, & temporum ſeriem immanibus parachroniſmis perturbare ſolenne eſt. Veri ſanè haud abſimilis eſt iſta Judæorum traditio quoad ætatem primorum Doctorum, quæque haud adeò facilè confutari queat; dignis tamen fide teſtibus caret, & pro arbitrio conficta videtur. Neque deſunt Eruditi, qui Onkelon, Jonathanem, & hujuſmodi alios Doctores longè inferioris ætatis, quàm quæ à Judæis ponitur, eſſe contendunt; atque eorum Paraphraſes multis poſt Chriſtum ſeculis confectas autumant. Mihi potior videtur ſententia Paraphraſes ipſas reverâ antiquas eſſe; verùm Authorum nomina iis pro lubitu appoſuiſſe Judæos. Utut ſit, & in his & in aliorum Rabbinorum, (quos teſtes adhibet Cl. Uſſerius) Hiſtoriâ texendâ non parùm diſcrepant ipſi Judæi, quique Judæos ſequuntur, Chriſtiani. Plures Onkelon

æquè ac Jonathanem Chriſti tempora præceſſiſſe, ſaltem illi coævos fuiſſe, volunt: Alii, quorum ſententiam refert Uſſerius, illum Titi Imperatoris nepotem faciunt (ea eſt enim Judæorum mendacum ambitio; ut ferè omnes Rabbinos ſuos Romanis Imperatoribus conſanguineos fuiſſe jactitent) Quidam illum Magni Gamalielis familiarem ponunt, cujus proinde exequias ſuperſtes curaverit. Nonnulli denique eundem cum R. Akila (qui ſub Antonino Imp. floruiſſe noſcitur) alii eundem cum Aquilâ Pontico (qui claruit circa annum 130.) fuiſſe aſſerunt. Nec minor equidem Authorum diſſentio de Jonàthane; quem pars Scriptorum potior Onkeli condiſcipulum fuiſſe tradunt: aliqui tamen integras tres ætates illis interponunt; adeò ut Hillel præceptor fuerit Jonathanis & Joannis ben Zaccai, Joannes iſte præceptor R. Eleazaris & R. Joſuæ, quibus diſcipulus fuiſſe dicitur Onkelos. Recepta eſt opinio Jonathanem triginta ante Chriſtum natum annis Paraphraſin ſuam elucubrâſſe; cùm tamen nonnulli eundem cum Theodotione (qui vixit anno Chriſti 180.) fuiſſe ponant. Longum eſſet,ſi varias Scriptorum de reliquis, qui à Cl. Uſſerio laudantur, Doctoribus Hebræis ſententias in medium proferrem. Id ſolum adnotandum duxi, illorum teſtimonia ex Pirke Aboth ferè omnia produci, adeóque incertæ admodùm fidei eſſe. Liber enim iſte, quamvis non contemnendæ ſit ætatis, ab audaculo tamen quodam Judæo eſt compoſitus; qui ſententias Veterum Doctorum traditione perpetuâ conſervatas ſcripto conſignare præ ſe ferens, Lectoribus fucum facere meritò cenſeri poſſet. Novimus enim quàm fluxæ fidei ſit traditio; quæ cum ubique anceps & lubrica ſit, apud Judæos planè adulterina eſt & commentitia. Majoris forſitan momenti ſunt teſtimonia, quæ ex Talmude Judaico adducta ſunt, licèt ipſa etiam ſint meritò ſuſpecta. Neque enim ante annum Chriſti 505. finitum eſſe Talmud conſtat; ante centum plùs minùs annos à Rau Aſcè, Scholæ (uti fertur) Babylonicæ Rectore, inchoatum. Hucuſque autem ſententias Doctorum incorruptâ traditione tranſmiſſas fuiſſe parùm credibile eſt. Denique quod Quartum Eſdræ librum ab Uſſerio citatum ſpectat; iſte à falſario quodam Judæo longè poſt Chriſti tempora confictus videtur. Neque tamen inutilia ſunt prorſus, de quibus ſuſpicionem movimus, teſtimonia. Saltem enim recentiorum Judæorum hâc de re ſententiam declarant, quidque iſti majores ſuos ſenſiſſe exiſtimarunt, notum faciunt: Argumentum ſanè

adverſùs Traditionis patronos, quales ſunt Pontificii, non infirmum. Valeant itaque, quantùm valere poſſunt.

Certiora ſunt, quæ ex Joſepho & Philone proferuntur. Summam iſti in rebus Judaicis explicandis diligentiam præſtitere; quæque probè, ſi unquam alii, nôrunt ſuæ gentis inſtituta, pari gravitate retulerunt. Plura Joſephi teſtimonia dedit Armachanus; unicum tamen compendio refert; quod cùm maximè inſigne ſit, pleniùs ſubjiciendum duximus.

Lib. 2. contra Apionem. *Moſes, ne ignorantiam, velut aliquam deprecandæ pœnæ ſpeciem relinqueret,* (1) *longè pulcherrimum nobis maximéque neceſſarium diſciplinæ genus legem ipſam eſſe voluit; nec ſatis id futurum putavit, ut ſemel, iterum, aut ſæpiùs eam audiiſſemus, niſi hebdomadis quoque ſingulis, ab alio quolibet opere feriatos omnes, ad illam dum recitaretur audiendam, animoque penitus informandam convenire juberet.*

Idem, ſeu quiſquis fuerit Author orationis Panegyricæ in Maccabæos Fratres elegantiſſimæ, certè Judæus, illos à patre in divinæ legis ſcientiâ diligenter inſtitutos refert. Sic enim Juvenes patrem laudant. (2) *Ille nos docuit ſuperſtes adhuc, Legem & Prophetas. Abelem à Caine occiſum prælegit nobis, Iſaacum victimæ loco ſacrificatum, Joſephum carceri incluſum. Narravit nobis zelotem Phineam. Edocuit nos res geſtas Ananiæ, Azariæ & Miſaelis, in ignem conjectorum. Laudavit & Danielem in ſpecu leonum, quem beatum prædicavit. Nobis in memoriam revocavit Iſaiæ Scripturam, dicentem, &c.*

Ex Philonis lib. 1. de Judæorum ab Ægyptò egreſſu egregium haberi teſtimonium in Euſebio, lib. 8. Præpar. Evang. cap. 7.

(1) Κάλλιστον καὶ ἀναγκαιότατον ἀπέδειξε παιδευμάτων νόμον, οὐκ εἰσάπαξ ἀκροασαμένους, οὐδὲ δὶς ἢ πολλάκις, ἀλλ᾽ ἑκάστης ἑβδομάδος τῶν ἔργων (τῶν ἄλλων ἔργων, ap. Euſeb. præp. l. 8. c. 8.) ἀφεμένους, ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν τοῦ νόμου ἐκέλευσε συλλέγεσθαι, καὶ τοῦτον ἀκριβῶς ἐκμανθάνειν.

(2) Ὃς ἐδίδασκεν ἡμᾶς ἔτι ὢν σὺν ἡμῖν τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας. τὸν ἀναιρεθέντα Ἄβελ ὑπὸ Κάϊν ἀνεγίνωσκεν ἡμῖν — ὑπεμίμνησκε δ᾽ ἡμᾶς τὴν Ἠσαΐου γραφὴν, &c. circa fin.

monet Reverendiſſimus Primas. Locus eſt iſtiuſmodi. (3) *Hoc in magni cujuſdam & eximii operis loco ponendum Legiſlator putavit; ut non cæteris modò rebus tam intermittendis quàm gerendis idonei, ſed etiam ut patriarum legum & conſuetudinum gnari peritique forent. Quid igitur ſeptimis illis diebus inſtituit? Eos nimirum eundem in locum unà convenire voluit; ut ſilentio ſummâque eum modeſtiâ conſidentes, legum recitationi aures accommodent, itaque nihil ipſos omnino fugiat. Atque hunc illi conveniendi ſimul conſidendique morem ſic perpetuò retinent, ut multitudo quidem univerſa ſileat; niſi cùm ea quæ leguntur, fauſtis ac lætis acclamationibus proſequuntur: è Sacerdotibus autem vel Senioribus aliqui, ſacras Leges palàm recitans, omnes ſigillatim exponat; donec altâ jam veſperâ diſcedant univerſi, tum divinorum mandatorum inſtructi cognitione, tum etiam admodum pietate aucti. Nunquid hoc quovis ſtudii genere magis tibi neceſſarium videtur? Enimverò cauſæ nihil eſt, quamobrem iſtos legum Ennarratores de rebus agendis conſulant;* (ſeu potiùs, Neceſſe igitur non habent, ut Myſtas de rebus agendis conſultum veniant,) *quorum ut reſponſis careant; nihil tamen, vel apud ſe unquàm, earum ignoratione perperam molientur. Quemcunque enim ipſorum appellaveris* (melius, compellaveris) *ac de patriis inſtitutis percontatus eris; cùm reſpondere per ſeſe commodè ac facile poterit; & ejuſmodi ſanè videbitur, qui ſeu vir uxorem, ſeu liberos pater, ſeu famulos dominus, legum notione informare queat.*

Apponi etiam meretur locus Philonis in libro de Agriculturâ, quo neceſſitatem intellectûs in precibus adhibendi aſſerit. Sic igitur ille libro dicto, paulò ante med. *Duo chori, ille quidem virorum, iſte verò mulierum, ex adverſo invicem ſtantes, alternam Deo harmoniam modulenter.* (4) *Virorum equidem chorum ducet Moſes, i. e. intellectus perfectus; mulierum Maria, i. e. ſenſus purificatus.*

(3) Πρὸς ἔργου μεγάλου καὶ θαυμαστοῦ τινος ᾠήθη δεῖν ὁ νομοθέτης, αὐτοὺς μὴ τ᾽ ἄλλα μόνον ἱκανοὺς εἶναι δρᾷν ἀσαύτως, ἀλλ᾽ ἔτι καὶ τῶν πατρίων νόμων καὶ ἐθῶν ἐμπείρως ἔχειν —— τοῦ μηδένα ἀγνοῆσαι χάριν. — τῶν Ἱερέων δέ τις ὁ παρὼν ἢ τῶν γερόντων εἷς ἀναγινώσκει τοὺς ἱεροὺς νόμους αὐτοῖς, καὶ καθ᾽ ἕκαστον ἐξηγεῖται μέχρι σχεδὸν δείλης ὀψίας. — ἆρ᾽ οὖν οὐ δοκεῖ ταῦτα παντὸς σπουδάσματος μᾶλλον ἀναγκαῖα αὐτοῖς; — ὅντινα αὐτῶν κινεῖς, καὶ περὶ τῶν πατρίων διαπυνθάνῃ, προχείρως ἔχει καὶ ῥᾳδίως εἰπεῖν, &c.

(4) Χρήσονται δὲ ὁ μὲν τῶν ἀνδρῶν χορὸς ἡγεμόνι Μωυσῇ, νῷ τελείῳ. ὁ δὲ τῶν γυναικῶν Μαριάμ, αἰσθήσει κεκαθαρμένῃ. Δίκαιον γὰρ νοητῶς καὶ αἰσθητῶς τοὺς εἰς τὸ θεῖον ὕμνους — ποιεῖσθαι, καὶ τῶν ὀργάνων ἐμμελῶς κρούειν ἑκάτερον, τὸ τοῦ νοῦ καὶ αἰσθήσεως, &c.

Juſtum

Juſtum enim eſt intelligibiliter & ſenſibiliter Deo hymnos dici, gratiarum actionem imperturbatè fieri, & utrumque inſtrumentum concinnè pulſari, tàm Intellectum quàm Senſum, in ſolius Dei Servatoris laudem & gloriam.

Philoni & Joſepho Euſebium adjiciam, quo nemo è Chriſtianis antiquis Judæorum diſciplinam meliùs novit. Is libro Præparationum Evangelicarum duodecimo omnia in civitate bene inſtitutâ à Platone requiſita inter Judæos reperiri probans; iſtud etiam, quod Plato in primis flagitat, illis non deeſſe aſſerit, quòd pueri patriis legibus & diſciplinâ diligenter inſtruantur. Sæpius id diſciplinæ genus à Judæis maximopere excoli affirmat, præſertim verò, cap. 17. ubi hæc habet: (5) *Quem ſanè morem Juniores omnes pietatis ac religionis præceptis informandi, etiam olim Hebræi tenuerunt, & hucuſque tanquam patrium aliquod inſtitutum Judæa natio ſummâ diligentiâ ſtudioque conſervat.*

Conſuetudinem iſtam Judæos ſequentibus etiam ſeculis conſtanter retinuiſſe, Theodoreti & Maimonidis autoritas confirmat. Ille igitur poſtquam linguam Hebraicam Judæis vernaculam eſſe jamdiu deſiiſſe præfatus eſſet, adeò ut cuncti linguis cujuſque gentis, in quâ verſabantur, uterentur: hæc habet. *Judæorum igitur liberi Hebraicam linguam nequaquam à primâ nativitate uſurpant, linguam autem illis, apud quos nati ſunt, propriam.* (6) *Dein adoleſcentes facti literarum Hebraicarum characteres erudiuntur. Literarum ſcientiam nacti, harum ope S. Scripturam, quæ Hebraicâ linguâ exarata eſt, addiſcunt.* Maimonides (7) autem, cui ſoli inter Rabbinos, ſanum fuiſſe cerebrum videtur; morem apud Judæos à Patribus receptum & religiosè obſervatum fuiſſe tradit; ut quilibet Judæus unicum ſaltem eumque integrum S. Scripturæ Codicem manu propriâ deſcribere teneretur; etiamſi plures aliunde Codices poſſideret vel ære emptos, vel dono datos, vel hæreditate tranſmiſſos.

(5) Ὃ δὴ καὶ πράττειν συνήθεις παισὶν Ἑβραίων, ἐξ ἁπαλῆς ἡλικίας τοὺς νέους ἀπαρτίζας τοῖς τῆς θεοσεβείας παιδεύμασιν ἀναβι-φων, &c.

(6) Μειράκια γινόμενα διδάσκεται τῶν γραμμάτων τοὺς χαρακτῆρας. μανθάνει δὲ διὰ τῶν γραμμάτων τὴν θείαν γραφὴν τῇ ἑβραΐδι γεγραμμένην φωνῇ. Quæſt. 60. in Geneſin.

(7) Locus non occurrit. Vide tamen More Nevochim, *lib. 3. cap. 56.*

Verùm enimvero non melius dignoſci queat Eccleſiæ Judaicæ ſententia de Scripturis vernaculâ linguâ legendis, quàm ex innumeris ferè, quæ à Judæis adornatæ ſunt, Scripturarum Verſionibus. Voluit Deus, ut populus legem ſibi divinitus datam jugi memoriâ tenerent & excolerent. Id Moſi, id Prophetis omnibus in mandatis dederat; ut populum ad aſſiduum legis ſtudium excitarent. Patribus familias ſub gravi pœnâ injunctum eſt, ut filios eam edocerent: Sacerdotibus juſſum, ut eam populo ſtatis temporibus ſolenniter prælegerent; Regibus, ut exemplar ejus ſibi compararent, quod aſſiduâ lectione & meditatione tererent; omni denique hominum ordini, ut eam jugi ſtudio ſibi familiarem facerent. Quoties itaque lingua Judæis, ſeu captivitate, ſeu peregrino incolatu, mutata eſt; toties iis neceſſe fuit S. Scripturam in linguas ſibi vernaculas convertere; & toties ſanè eam ab illis reverâ converſam reperimus.

Primam itaque mutationem paſſa eſt Judæorum lingua in captivitate Babylonicâ. Ex diuturno enim inter Chaldæos incolatu & commercio factum eſt; ut linguæ patriæ uſum paulatim remitterent, & Chaldaicè loqui inciperent. Vel ſi qui forſan Hebraicæ linguæ notitiam retinerent (quod quidem ut ſedulo facerent, legis divinæ ſtudium impulit) legendi tamen ſcribendive Hebraicè peritia apud omnes ferè exolevit, utpote diverſis characteribus apud Chaldæos receptis jamdiu aſſuefactos. Veteres enim Hebræorum characteres, quibus ante captivitatem Babylonicam utebantur, alios fuiſſe ab illis, quibus hodie utimur, & Samaritanis communes, apud omnes Eruditos in confeſſo jam eſt. Quò melius igitur S. Scriptura populo innoteſceret, Prophetæ illius temporis, qui extra Judæam ſcripſerunt, Chaldaicè etiam ſcribendum putarunt. Hinc maxima Danielis libri pars Chaldaicâ linguâ exarata eſt, hinc & Ezræ libri pars potior Chaldaicè conſcripta, poſt reditum à captivitate quidem, ante immutatos tamen characteres antiquos. Poſt reductos enim à captivitate Judæos, Ezras, quem divino motum afflatu omnes nôrunt, ut ignorantiæ popularium, qui linguam pariter ac characterem Hebraicum Chaldaico commutârunt, ſaltem ex parte ſubveniret, & legis ſcientiam faciliorem redderet; ſacram Scripturam Chaldaicis literis exarandam curavit, depoſitis antiquioribus Hebraicæ linguæ characteribus, qui populi notitiam jamdiu effugerant; & exinde Samaritanis, à quibus ſemper retenti fuerant, proprii eſſe cœperunt. Addunt Judæi & è Patribus nonnulli, id communi Sacerdotum ac Seniorum decreto factum.

Nugas

Nugas igitur agit nuperus Bibliothecæ Rabbinicæ conditor Pontificius; Julius Bartoloccius de Celleno, Hebraicæ linguæ apud Romam Profeſſor; qui ut impio Eccleſiæ Romanæ decreto de Scripturis vernaculè non legendis autoritatem ex Judaicæ Eccleſiæ exemplo conciliaret, S. Scripturæ lectionem plebi Judaicæ olim interdictam fuiſſe affirmare non veretur [a]. Id monſtri ut credibile efficiat, miram planè de punctis Hebraicis hypotheſin proponit; ea nempe à primâ linguæ Hebraicæ origine in uſu fuiſſe, & Moſis ævo probè nota; S. Scripturæ autem codices ſine iis conſultò exaratos fuiſſe: ut propterea nonniſi à peritioribus doctioribuſque legi atque addiſci poſſent; neve quis idiota ſine Magiſtro & Directore legem pervolvere & diſciplinam patriam ſcire valeret; adeóque ad Sacerdotes ſciſcitaturus confugere cogeretur. Puncta interim in Scripturis profanis & civilibus paſſim uſurpata fuiſſe " Neque enim " erat conveniens (inquit) [b] ut ſacra Dei lex communis & vulgaris " efficeretur; ne ſacra Legis myſteria ab imperito vulgo contaminarentur " ſiniſtrâ & falſa interpretatione. Evidenter itaque patet " S. Scripturæ myſteria plebi propalata non fuiſſe in Veteri Lege, " neque authenticum S. Scripturæ Codicem vulgari linguâ in manus " vulgi traditum eſſe antiquitus. Hinc uſus in Eccleſiâ Catholicâ " ſemper fuit, ut nullâ aliâ linguâ eſſent authentica ſacra volumina " niſi linguis illis, quæ à ſummis Pontificibus, Conciliis, &c. approbatæ " fuerunt. Ea ſunt Hebræa, Græca & Latina, quas Dominus " titulo ſuæ Crucis honoravit, ac quibus ipſi libri ab Auctoribus ſuis " initio ſcripti fuerunt. Apage nugas nugerrimas, nec farfari folio dignas. Tantam quidem punctorum Hebraicorum antiquitatem; ne hodiernorum Rabbinorum, qui plùs ſolito iracundi eſſe ſolent, inimicitias provocem impræſentiarum negare nolim. Id tantùm dixerim, omnia Authori noſtro, quæ ponit, incredibilia, tutò concedi poſſe; frivolum tamen & inane eſſe commentum. Neque enim populum à Scripturæ ſcientiâ removebit punctorum defectus in linguâ vernacula; qualem tunc fuiſſe Hebræam in confeſſo eſt. Puncta in plurimis Orientalibus linguis deeſſe notum eſt, neque in communi etiam uſu adhiberi; & ſanè bardus omnium ſtultiſſimus ſit neceſſe erit, qui maternæ linguæ, ſolis conſonantibus deſcriptæ, vocales proprias ap-

[a] Biblioth. Rabbin. pars 1. Romæ, 1675. f. p. 143. [b] P. 160, 161.

ponere non noverit. Omnimodam interim ſacri, & prophani ſive communis, characteris apud Judæos diſtinctionem invictè refutavit Eruditiſſimus Waltonus in Prolegomenis ad Biblia Polyglotta Londinenſia, cap. 3. §. 34, &c. Vereor adhuc ne verſioni etiam Latinæ, quam authenticam declarârunt boni Patres Tridentini, dicam ineluctabilem intulerit plùs æquo diligens Bartoloccius; dum nullas in Scripturâ ſacrâ linguas adhiberi velit; niſi quibus Authores ejus initio uſi ſunt. Quis enim unquam de S. Scripturæ libro Latinè primùm conſcripto inaudiverit! Verùm aliter Judæis antiquis viſum eſſe, ſanctiſſimorum Prophetarum Danielis & Ezræ Exemplis probatum dedimus, qui Chaldaicè populo Chaldaicè loquenti ſcripſerunt; præſertim autem Ezræ, qui S. Scripturam Chaldaicis characteribus in uſum vulgi deſcribi fecit; quòd nec ipſe Bartoloccius [c] diffitetur, qui puncta ſacris Codicibus ab Eſdrâ primum appoſita fuiſſe docet, non illis quidem, qui in Arcâ ſacrâ aſſervabantur, id nefas enim fuiſſe ſomniat, ſed illis, qui *communiter & à vulgaribus hominibus attrectabantur, & in locis privatis legebantur.*

Neque verò officio & commiſſæ ſibi animarum curæ ſatis feciſſe rata eſt Eccleſia Judaica; niſi ſacram Scripturam tam linguâ quàm literis Chaldaicis populo donaret. Ab Ezræ enim temporibus invaluit conſuetudo, ut in Synagogis in ſingulis Sabbatis in lectione Paraſcæ ſeu portionis S. Scripturæ, priùs legeretur verſiculus Hebraicè, dein idem repeteretur vernaculè, i. e. Chaldaicè (teſte Eliâ Levitâ Præfat. in Methurgeman.) Nec abſimile veri eſt morem iſtum etiam ante reditum, populo in captivitate adhuc poſito, cœpiſſe. Utut quandocunque cœperit, in omnibus poſtea Judæorum Synagogis obtinuiſſe conſtat. Id ex traditione deſumptum teſtantur Rabbini; id narrant Scriptores Judæi melioris notæ, id Patres Chriſtiani produnt; id plura Novi Teſtamenti loca non obſcurè innuunt; id denique conſtans perque tot ætates continuata Judæorum praxis confirmat. Iſti enim ubique terrarum S. Scripturæ periochas primò Hebraicè legunt (id enim religioni habent) dein eaſdem linguâ quâdam communi ab omnibus intellectâ ordine reddunt. Sunt qui Helleniſtas Judæos, miſſo penitus textu Hebræo, Græcam ſolummodò LXX. Verſionem in Synagogis ſuis legiſſe volunt. Verùm id

[c] In Addend. pag. 741.

parùm

parùm certum. Textum autem Hebræum Doctores & Sacerdotes Judæos populo inter legendum interpretari ſolitos, ipſa Philonis verba ex Euſebio nuper adducta docent; qui lectionem S. Scripturæ in Synagogis factam referens, inquit: *E ſacerdotibus autem vel Senioribus aliquis, ſacras Leges palàm recitans, omnes ſigillatim exponit.* ἀναγινώσκει τοὺς ἱεροὺς νόμους αὐτοῖς, καὶ καθ' ἕκαστον ἐξηγεῖται.

Ex more iſthoc apud Judæos recepto factum eſt; ut plures S. Scripturæ Verſiones Chaldaicæ procuderentur, & ſcriptis commiſſæ evulgarentur. Integrum enim publico Lectori fuit interpretationem legis ſeu ex tempore fuſam ſeu ex ſcripto recitatam in Synagogis dare. Atque adeò ſcriptam extitiſſe Pentateuchi Verſionem Chaldaicam & in uſu Judæis fuiſſe etiam ante reditum à captivitate Babylonicâ non immeritò conjicit ipſe Bartoloccius[d]; *cùm in ipſâ captivitate Babylonicâ populus Hebræus Chaldaicè loqui didicerit, relictâ lingua Hebraâ & in Chaldaam commutatâ, in quam & Pentateuchus Hebraicus tranſlatus eſt, in linguam ſc. vernaculam & ab omnibus intellectam.* Verſiones iſtæ à Judæis dictæ ſunt Targumim ſeu *Paraphraſes*, quæ tamen plerunque Tranſlationes ſunt ſatis juſtæ; plurimæque hodienum extant in omnes S. Scripturæ libros, exceptis Daniele, & Ezrâ; qui cùm Chaldaicè ferè ſcripti ſint, Chaldaicâ interpretatione non egebant. Inter has binæ antiquitatis ſpeciem præ ſe non vanam ferunt, una in Pentateuchum, quæ Onkeli dicitur, altera in Prophetas omnes, quæ Jonathani Ben Uzzielis aſcribitur. Utraque circa Chriſti tempora confecta cenſetur. Certè antiquas admodum eſſe & longè ante Talmudem factas, inſignis linguæ Chaldaicæ puritas, quâ Talmudem longè ſuperant, demonſtrat. Habetur utraque in Editione Bibliorum Venetâ Danielis Bombergi ſecundâ & tertiâ, in editione Antverpienſi Ariæ Montani, Pariſianâ Michaelis de Jay anno 1645. & Londinenſi Waltoni 1657. Recentius eſt Targum Pentateuchi Hieroſolymitanum; quod ab incerto Authore compoſitum eſt dialecto eâdem quâ & Talmud, ſc. Syro-Hieroſolymitanâ, quâ poſt excidium Templi uſi ſunt Judæi. Eodem tempore, quo & Talmud, ſcriptum fuiſſe vult Elias in Methurgeman ſc. trecentis poſt excidium Templi annis: Buxtorfius & Waltonus paulò poſt Talmud (quod in illo citatur) ſc. quingentis poſt Chriſtum natum annis.

[d] Pag. 406.

Extat in Tomo 4. Bibliorum Polyglottorum Londinenſium. Paulò inferioris ætatis eſſe videtur Targum in Hagiographa, quod R. Joſe ſeu Joſepho Cæco inſcribitur. De Authore tamen haud adeò conſtat. Linguâ Syro-Hieroſolymitanâ utitur; & à Sixto Senenſi circa annum Chriſti 400. à Buxtorfio circa annum 600. confectum putatur. Reperitur in editionibus omnibus Bibliorum ſupra memoratis. Porrò Jonathan Ben Uzzielis dicitur ſcripſiſſe etiam Targum in Hagiographa, quod interiit; & aliud in Pentateuchum, quod ſub illius nomine prodiit à Judæis editum *Hanoviæ* 1591. & à Manaſſe Ben Iſrael 1640. & in Bibliis Londinenſis Tom. 4. Verùm iſtud Jonathani neutiquam deberi cenſent Criticorum pars potior. Alia præterea innumera fuerunt Targumim (R. Akilas enim ſcripſit Targum in Prophetas & Hagiographa, ut alios taceam) ex quibus quædam penitus interierunt, aliquorum fragmenta ſuperſunt, nonnulla MSS. deliteſcunt. Prodiit nuper in Germaniâ typis excuſa Paraphraſis Chaldaica in primum librum Paralipomenon. Parem in ſecundum etiam ſe aliquando edituros ſpondent Typographi. Iſtæ enim in prioribus Paraphraſibus deerant. Antiquiores enim Judæi libros Paralipomenon, eò quod in libris Regum ferè toti contineantur, Chaldaicè interpretari inſuper habuerunt.

Hactenus de Verſionibus Judæorum Chaldaicis. Poſt fundatum Macedonum imperium, in omnibus ferè Orientis regionibus Græca lingua communis eſſe cœpit; & Judæis, qui relictâ patriâ, in univerſis regni Macedonici civitatibus magno numero conſederant, vernacula eſt facta. In horum igitur uſum evulgata fuit Verſio illa celeberrima, quæ τῶν ο′ audit. An Ptolomæo Philadelpho procurante & ſumptus ſuppeditante facta fuerit iſta Verſio, parùm ad rem noſtram ſpectat; cùm id ſatis conſtet, à quocunque demum facta fuerit, in uſum Judæorum factam fuiſſe, & à Judæis maximâ veneratione ſuſceptam, in Synagogis prælectam, & divino afflatu confectam credi. Ipſe Rex Ptolomæus (modò is illius adornandæ Author fuerit) ſe id operis in Judæorum ubique terrarum habitantium utilitatem aggredi profitetur. Sic enim ille in Epiſtolâ ad Eleazarum Pontificem apud Ariſteam [e] & Euſebium [f]. Βουλομένων δ' ἡμῶν χαρίζεσθαι πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἰουδαίοις καὶ τοῖς μετέπειτα, προῃρήμεθα τὸν νόμον ὑμῶν μεθερ-

[e] Hiſt. LXX. Interpr. [f] Præp. Evang. lib. 8. c. 4.

μηνευθῆναι

μεταθεῖναι γράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐκ τῶν παρ' ὑμῖν λεγομένων ἑβραϊκῶν γραμμάτων. *Cùm cupiamus gratificari omnibus Judæis in orbe terrarum, illis etiam qui ſunt in poſterum futuri; conſtituimus Legem veſtram ex Hebraicâ linguâ interpretatione traducere in Græcam.* Et egregiam quidem conſilii ſui rationem exhibet in Epiſtolâ ad Eleazarum & Synedrium Judaicum ſecundâ, apud Epiphanium [g]. Θησαυρῦ κεκρυμμένου καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης τίς ὠφέλεια; — ἡμῶν γὰρ μὴ δυναμένων ἀναγνῶναι γράμματα τούτων, εἰς οὐδὲν ὄφελος ἡμῖν γενήσεται. *Occulti theſauri & obſignati fontis quænam eſſe poteſt utilitas? —— Nam cùm ſcriptas in his* (libris S. Scripturæ) *literas legere nequeamus; nulli eſſe nobis uſui & emolumento poſſunt.* Et ſanè Ptolomæi Philadelphi ſtudio adornatam eſſe LXX. verſionem vix dubitandum cenſeo. Non illubens equidem concedo Ariſteæ Hiſtoriam ab Impoſtore quodam Judæo longè poſt Philadelphi tempora confictam eſſe; ante Philonis [h] tamen & Joſephi [i] tempora, à quibus laudatur, emiſſam conſtat. Forſitan nec melioris censûs, antiquior tamen, eſt Ariſtobuli liber de rebus Judaicis, Ptolomæo Philometori nuncupatus; qui apud Joſephum, Clementem Alex. & Euſebium paſſim citatur, eandemque hiſtoriam narrat. Tanto quidem rerum apparatu, tam magnificis cæremoniis procuratam eſſe à Philadelphio τῶν ο' Verſionem, fabulam ſapit Judaicam. Incredibile tamen prorſus videtur, aut Pſeudo-Ariſtobulum & Pſeudo-Ariſtean id Hiſtoriæ comminiſci auſos eſſe; aut Philonem, qui Alexandriæ verſatus eſt, & Joſephum, qui in Græcorum uſum ſcripſerit, utrumque notæ gravitatis Scriptorem, eandem ſcriptis ſuis divulgare voluiſſe; niſi id inter Græcos etiam, præſertim Alexandrinos, traditione conſtaret, ejuſmodi Tranſlationem procurante Philadelpho olim factam fuiſſe; licèt temporis diſtantia, & Hiſtoricorum ſilentium Ariſteæ fabulandi anſam dediſſet. Certè Juſtinus Martyr [k], teſtis oculatus, id ſe Alexandriæ poſitum ex conſtanti incolarum traditione didiciſſe diſertè affirmat. Porrò etiam ante celebrem iſtam LXX. Tranſlationem, extitiſſe Verſionem S. Scripturæ Græcam prodit Ariſtobulus, & ex eo Clemens Alexandrinus [l], Juſtinus Martyr [m], Euſebius [n], Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique.

[g] Lib. de Ponder. & Menſuris, cap. 10. [h] Lib. 2. de Vitâ Moſis, [i] Præf. in Antiquit. Jud. & lib. 12. cap. 2. & contra Apion. lib. 2 [k] Orat. ad Gentes, pag. 14. [l] Strom. lib. 1. [m] Apol. 2. [n] Præp. Evang. lib. 9. cap. 6. lib. 13 cap 12.

Id

Id tamen haud facilè crediderim; cùm fruſtra Ptolomæus novam Verſionem moliretur; ſi alia antea extitiſſet.

Nec tamen LXX. Interpretum diligentia, aliorum Judæorum conatibus viam præcluſit. Id ſemper apud Judæos licuit legis ſcientiam eâ, quâ quiſque meliùs poterat, methodo promovere. Hinc plures S. Scripturæ Tranſlationes Græcæ; præſertim poſt Chriſtum natum, cùm Verſio LXX. apud Judæos, ſeu odio Chriſtianorum, ſeu ſtudio partium, quibus minùs favere deprehenſa eſt, inviſa eſſe cœpit. Aliam itaque Tranſlationem, ex Hebræo κατὰ πόδας factam, molitus eſt Aquila Ponticus, Proſelytus Judæus, circa annum 130. ſecundam Theodotion, Apoſtata Judæus, circa an. 180. tertiam Symmachus circa an. 200. His adde tres Anonymas, quæ in Origenis Octaplo locum habuerunt: quarum una à Studioſo quodam Hieroſolymitano in doliis Hierichunte reperta eſt imperante Caracalla; alia Nicopoli ad Actium à quodam Origenis diſcipulo inventa ſub Alexandro Severo; tertia, quæ Pſalmos ſolummodò complexa eſt, unà cùm Codice Hierichuntino in lucem eruta. De his ita Hieronymus [o]. *Quinta autem & Sexta & Septima Editio, licèt quibus cenſeantur auctoribus, ignoretur; tamen ita probabilem ſui diverſitatem tenent, ut authoritatem ſine nominibus meruerint.* Singulas à Judæis profectas eſſe minimè dubitari poteſt; cùm eâ ſemper veneratione Verſionem LXX. Chriſtiani ſint proſecuti; ut aliam Verſionem Græcam procudere tantùm non nefas duxerint.

Poſtquam Saracenorum armis Religio Mahumetana longè latéque per orbem diffuſa eſſet; lingua Arabica præ aliis invaluit. Circa annum igitur 900. Rabbi Saadias Gaon, Scholæ Judaicæ apud Babylonem Rector, univerſum Vetus Teſtamentum ex Hebraico fonte Arabicè convertit, literis tamen Hebraicis; quas diuturnus uſus Judæis maximè familiares reddiderat. Prodiit duntaxat Pentateuchum ejus, à Judæis editum in Bibliis ſuis Conſtantinopolitanis 1551. fol. Integram ſe habuiſſe teſtatur Erpenius [p] Verſionem; quam & editurum ſe promiſit. Nonnullos S. Scripturæ libros ex eâdem Verſione penes Cl. Pocockium MSS. extare Waltonus [q] monuit. Alia Pentateuchi Verſio Arabica à Judæis Mauris olim facta, cha-

[o] Prolog. in Euſeb. Chron. [p] Præfat. ad Arab. Pentat. [q] Prolegom. ad Bibl. Polyglot. cap. 14. §. 15.

ractere

ractere pariter Hebraico, è Bibliothecâ Joſephi Scaligeri literis Arabicis edita eſt ab Erpenio Lugduni Bat. 1622. Longum eſſet enumerare omnes, quæ à Judæis elucabratæ ſunt, Verſiones Scripturæ vernaculas. Paucis abhinc ſeculis, Jacobus Tuſenſis, quem Tawoſum & Tuſium appellant, Pentateuchum ex Hebraicâ in Perſicam linguam tranſtulit. Tranſlatio à Judæis Conſtantinopolitanis excuſa eſt characteribus Hebraicis in Bibliis ſuis 1551. Habetur & in Appendice ad Tom. 4. Bibliorum Londinenſium characteribus Perſicis. Judæi Caraitæ S. Scripturam Græca vulgari reddiderunt, & Conſtantinopoli imprimendam curârunt. Hiſpanicam Verſionem confecit Abraham Uſque, Judæus Luſitanus. Excuſa eſt iita à Judæis Ferrariæ 1553. Mitto Tranſlationes Scripturæ Germanicas, Italicas, Gallicas, &c. quæ à Judæis adornatæ in lucem prodierunt.

Ne verò Judæos ab Ezræ temporibus in vertendis & evulgandis S. Scripturæ libris à primævâ diſciplinâ receſſiſſe arbitremur; ipſi etiam Samaritani, quibus alibi Judæis adverſari & obtrectare religio erat, eandem inierunt viam. Hi quidem antiquos characteres Hebraicos tenaciter retinebant; vulgarem tamen linguæ uſum, immixtis Cuthæis aliarumque nationum colluvie, paulatim amiſerunt. Pentateuchum igitur (id ſolum enim agnoverunt) ex Hebraicâ veteri dialecto, ſeu Hebræo-Samaritana in vernaculam linguam ſeu Chaldæo-Samaritanam tranſtulerunt. Verſio iſta circa Ezræ tempora ab eruditiſſimo Morino [r] facta cenſetur. Certè ante Chriſtum factam eſſe conſtat. Illam unà cum textu Hebræo-Samaritano Europæ primus intulit Reverendiſſimus Armachanus; edidit autem Morinus in Bibliis Pariſienſibus 1645. Waltonus in Bibliis Londinenſibus 1657. Porrò habuerunt Samaritani, æquè ac Judæi, ſuam Pentateuchi Tranſlationem Græcam, neque minùs forſitan vetuſtam. Illam ſæpe memorant Græci Patres antiquiores, præſertim verò Euſebius in Chronico [s]; ubi Patriarcharum Antediluvianorum annos ſupputans, calculum quendam ἐκ τῦ τῶν Σαμαρειτῶν Ἑβραϊκῦ exhibet. Denique, ut ne his longius immorer, poſt Mahometis tempora, Samaritani illi, quibus Arabica fuit vernacula,

[r] Exercitat. Bibl. [s] In init. p. 1. edit. Græc.

Verſione

Verſione Pentateuchi Saadianâ diu uſi ſunt; donec Doctor quidam Samaritanus, Abuſaid dictus, aliam in popularium uſum Tranſlationem, characteribus tamen Samaritanis, circa annum 1160. conficeret, Saadiam plerunque ſecutus. Extitit ea MS. penès Uſſerium, teſte Waltono [t], cui illam Uſſerius communicaverat. Duplex ejuſdem exemplar in Bibliothecâ Regis Galliæ haberi dicitur.

[t] Prolegom. cap. 11. §. 21.

CAPUT

CAPUT II.

A. D. 65. Clemens, Epiſcopus Romanus,

EPiſt. 1. ad Corinthios, *Noſtis autem, dilecti, & probè noſtis ſacras Scripturas, & penitus in divina eloquia introſpexiſtis. Illa igitur mente & memoriâ recolite.* Ἐπίςασθε γὸ καὶ καλῶς ἐπίςασθε τὰς ἱερὰς γραφὰς, ἀγαπητοὶ, καὶ ἐγκεκύφατε εἰς τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. εἰς ἀνάμνησιν ἐν ταῦτα λάβετε. paulo ante finem.

140. *Polycarpus, Epiſcopus Smyrnenſis,*

Epiſt. ad Philippenſes, *Paulus ſcripſit vobis Epiſtolas:* (1) *ad quas deflectimini, ut poſſitis ædificari in fide, quæ data eſt vobis.*

184. *Theophilus, Epiſcopus Antiochenus,*

Ad Autolyc. lib. 3. (2) *Si vis igitur, illa* (monumenta ſacra) *accuratè diſcute; uti ſymbolum & pignus veritatis accipias.*

190 *Author Teſtamenti XII. Patriarcharum.*

In diſponendâ Authoris iſtius ætate communem Eruditorum, parùm tamen certum calculum ſequor. Id ſolum apertè liquet, illum Origene (à quo citatur Homil. 15. in Joſue) priorem, Chriſto poſteriorem eſſe. Chriſtianum enim fuiſſe mihi compertum eſt; utut nonnulli Judæum fuiſſe, & Hebraicè ſcripſiſſe velint: & Cl. Cave [a] de ſectâ ejus haud ita liquidò conſtare aſſerat. Sectam quidem Judaicam præ ſe fert Impoſtor; ut exinde Judæis fucum piâ fraude faciat, & ſub venerandis Patriarcharum nominibus venditet prophetias, quæ Jeſum Chriſtum tantùm non digito monſtrarent.

[a] Hiſt. Literar. pag. 52.

(1) Εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν.

(2) Εἰ οὖν βούλει, ἀκριβῶς ἔντυχε τούτοις, ὅπως ἔχῃς σύμβολον καὶ ἀρραβῶνα τῆς ἀληθείας.

Verùm ubique pellucet fraus, manifeſtis prodita indiciis. Quiſuis librum perlegerit, in ſententiam meam lubens tranſibit. Bina interim loca apponam; quæ rem ſatis ſuperque conficient. Sic igitur Planus iſte [b], cap. 10. de Meſſia futuro verba faciens. (3) *Per aquam hic ſalvabit Iſrael, & omnes gentes, Deus in virum abſconditus.* Idem [c] cap. 11. (4) *Honorate Judam & Levi; quoniam ex ipſis vobis orietur Agnus Dei, gratiâ ſalvans omnes Gentes & Iſrael.* Deiparam enim Matrem ex tribu Levi ortam eſſe recepta erat apud pleroſque Veteres ſententia. Plura ejuſmodi loca circa finem Operis notari queant: quæ Chriſtianum fuiſſe manifeſtò evincunt. Illum igitur inter teſtes Chriſtianos non immeritò adhibuimus. Teſtimonium eſt ejuſmodi. [d] *Et nunc filii, mando vobis, ut timeatis Dominum Deum veſtrum ex toto corde, & ambuletis in ſimplicitate ſecundùm omnem legem ipſius. Docete autem filios veſtros literas: ut habeant intellectum in omni vitâ eorum, legentes indeſinenter Legem Dei. Quoniam omnis qui cognoſcit legem Dei, honorabitur; & non erit peregrinus, quocunque vadat.* Græca nondum impreſſa ſunt. Reperiuntur autem MSS. penès Illuſtriſſimum Primatem, & clementiſſimum Patronum meum, Archiepiſcopum Cantuarienſem; ex cujus Codice locum Græcè apponam. *Καὶ νῦν, τέκνα μου, ἐντέλλομαι ὑμῖν φοβεῖσθαι Κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, καὶ πορεύεσθε ἐπ' ἁπλότητι καρδίας κατὰ πάντα τὸν νόμον αὐτοῦ. Διδάξετέ δὲ καὶ ὑμεῖς τὰ τέκνα ὑμῶν γράμματα, ἵνα ἔχωσι σύνεσιν ἐν πάσῃ τῇ ζωῇ αὐτῶν, ἀναγινώσκοντες ἀδιαλείπτως τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ· ὅτι πᾶς ὃς γνώσεται νόμον Θεοῦ, τιμηθήσεται· καὶ οὐκ ἔσται ξένος, ὅπου ὑπάγει.*

198. *Clemens Alexandrinus*

Stromat. lib. 7. *Eſt ergo quod eſt hic apud nos altare,* (5) *terreſtris congregatio eorum, qui ſunt dedicati orationibus, qui veluti unam vocem habent communem & unam mentem.*

[b] In Orthodoxogr. Baſil. Tom. 2. p. 887. [c] Pag. 891. [d] Cap. 3. poſt med. p. 870.

(3) Δι' ὕδατος οὗτος σώσει τὸν Ἰσραὴλ καὶ πάντα τὰ ἔθνη Θεὸς εἰς ἄνδρα ὑποκρυπτόμενος.

(4) τιμᾶτε τὸν Ἰούδαν καὶ τὸν Λευΐ, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἀνατελεῖ ὑμῖν ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, χάριτι σώζων πάντα τὰ ἔθνη καὶ τὸν Ἰσραήλ.

(5) Τὸ ἄθροισμα τῶν ταῖς εὐχαῖς ἀνακειμένων, μίαν ὥσπερ ἔχον φωνὴν τὴν κοινὴν καὶ μίαν γνώμην.

Ibid.

Ibid. *Oportet ergo Deo offerre ſacrificia, non ſumptuoſa ac ſplendida, ſed quæ ſunt pia & ei accepta; & ſuffitum illum in lege compoſitum,* (6) *qui conſtat ex multis linguis & vocibus in oratione.*

Ibid. pag. 758. Hæreticos Gnoſticos fusè inſequitur; qui pluſquam vulgaris ſcientiæ opinione inflati, Scripturas utpote omnibus notas & infimis etiam Chriſtianis communes inſuper habuerunt. Inter alia hæc habet: *Cùm viderent ergo ſibi imminere periculum, non de uno dogmate ſed de conſervandâ hæreſi; non veritatem invenire (nam* (7) *cùm ea, quæ ſunt in medio poſita & in promptu apud nos, legerunt, tanquam vilia ea contempſerunt) ſed quod eſt commune in fide, ſuperare contendentes, exceſſerunt à veritate. Nam cùm Eccleſiaſticæ cognitionis non didicerint myſteria, neque veritatis perceperint magnitudinem; ut qui in perſcrutando rerum profundo fuerint ſocordes, & ſuperficie tenus legerint; Scripturas valere juſſerunt. Inani ergo ſapientiæ opinione èlati perpetuò litigant, &c.*

Lib. 6. poſt med. *Auferunt veram Domini doctrinam,* (8) *qui non pro dignitate Dei & Domini Scripturas differunt & tradunt. Depoſitum enim quod Deo redditur, eſt divinæ traditionis intelligentia & exercitatio conveniens doctrinæ Domini per Apoſtolos ejus data.*

Ibid. *Annon enim quæ Hermæ quoque in viſione apparuit poteſtas in typo Eccleſiæ, dedit librum legendum, quem voluit annunciari electis? Eum autem (inquit) tranſcripſit ad literam, cum non inveniret, quomodo finiret ſyllabas.* (9) *Significabat utique literam eſſe omnibus claram, ſi in nudâ lectione accipiatur; & hanc eſſe fidem quæ locum obtinet elementorum.*

Ibid. (10) *Non eſt ergo verſandum in dictione, ſed in iis quæ ſignificantur. Nam corvi quoque voces imitantur humanas, cùm ejus rei quam dicunt nullam habeant notitiam. Intelligens autem apprehenſio fidem proximè conſequitur.*

(6) Τὸ ἐκ πολλῶν γλωσσῶν τε καὶ φωνῶν κατὰ τὴν εὐχὴν συγκείμενον.

(7) Τοῖς μὲν γὰρ ἐν μέσῳ καὶ *προχείρως ἐντυχόντες παρ' ἡμῖν, ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντες, — τὸ κοινὸν τῆς πίστεως, — ἐξ ἐπιπολῆς ἀναγνόντες, παρεπέμψαντο τὰς γραφάς.

* προχείροις legend. cenſeo.

(8) Οἱ μὴ κατ' ἀξίαν τὰς γραφὰς ** λέγοντές τε καὶ παραδιδόντες.

(9) Ἐδήλου δ' ἄρα τὴν μὲν γραφὴν πρόδηλον εἶναι πᾶσι κατὰ τὴν ψιλὴν ἀνάγνωσιν ἐκλαμβανομένην, καὶ ταύτην εἶναι τὴν πίστιν στοιχείων τάξιν ἔχουσαν.

(10) Οὐ τοίνυν ἐπὶ τὴν λέξιν, ἀλλὰ πρὸς τὰ σημαινόμενα ἀναστρεπτέον.

240. *Origenes Adamantius*

Homil. 27. in Numer. " Ita ergo & in cibis rationalibus, divi-
" norum dico voluminum, non continuò aut culpanda aut refutanda
" eſt Scriptura, quæ difficilior aut obſcurior ad intelligendum vi-
" detur; vel ea continere, quibus ſive incipiens & parvulus, ſive
" infirmior & minùs ad intelligenda omnia validus, uti non poteſt;
" nec conferri ſibi ex iis utilitatis aliquid exiſtimat aut ſalutis.
" Sed conſiderare debet; quia ſicut ſerpens & ovis & homo, &c.
" competentem unicuique eorum capiant cibum; ita & hæc omnia
" quæ verba Dei ſunt, & in quibus diverſus pro captu animarum
" cibus eſt, unuſquiſque prout ſanum ſe & validum ſentit, aſſumat.
" Quamvis etſi diligentiùs requiramus, verbi causâ, in Evangelii
" lectione, vel Apoſtolicâ Doctrinâ, in quibus delectari videris, &
" in quibus tibi aptiſſimum & ſuaviſſimum deputas cibum; quanta
" ſunt, quæ te latent, ſi diſcutias & perſcruteris mandata Domini?
" Quòd ſi ea, quæ obſcura videntur & difficilia, refugienda ſunt
" protinus & vitanda; invenies etiam in illis, in quibus valdè con-
" fidis, tam multa obſcura & difficilia; ut ſi hanc ſententiam
" teneas, ſit tibi etiam inde recedendum. Sunt tamen plurima in
" illis, quæ apertiùs & ſimplicius dicta ſunt, quàm ut parvi ſenſus
" ædificent auditorem.

Homil. 20. in Joſue (11) " Summa utilitas ab ejuſmodi lectione
" ad eos pervenit, qui veram [*Scripturæ Sententiam*] intelligere poſ-
" ſunt, &c. Sed quoniam difficile eſt invenire, qui tantam capiat
" utilitatem; adhortari volumus audientes, ne animum inter le-
" gendum deſpondeant. Quodnam igitur ſolatium ſit, ne ſuccumbat,
" qui ei lectioni intereſt, dicendum. Quemadmodum igitur car-
" mina vim quandam habent inſitam; utque imprudens aliquid à
" carmine accipit, qui incantatur: Ea nimirum eſt natura ſonorum
" carminis. Sic velim exiſtimes omni carmine potentiorem eſſe
" ſignificationem nominum divinæ Scripturæ. Sunt enim in nobis

(11) Ἡ μὲν ἄκρα ὠφέλεια ἀπὸ τῶν τοιούτων ἀναγνωσμάτων, τῶν δυναμένων νοῆσαι. —ἐπεὶ δὲ δύσκολόν ἐστιν —— βουλόμεθα παραμυθήσασθαι τοὺς ἀκούοντας μὴ ἐκκακεῖν διὰ τὴν ἀνάγνωσιν. — ἅπερ ἐὰν ὦσιν ἅγια, τῆς γραφῆς ἀναγινωσκομένης, ὠφελοῦνται καὶ γίνονται ἰσχυρότεραι.

plurimæ

" plurimæ facultates, quæ veluti ſortitione animas noſtras & cor-
" pora poſſident; quæ ſi ſanctæ ſint, lectione Scripturæ juvantur,
" & validores fiunt, &c.

Homil. 18. in Jerem. (12) " Unuſquiſque pro facultate ſuâ in-
" telligit quæ ſcripta ſunt; unus quidem magis ſuperficialiter, utpote
" quaſi ad fontis ſcatebram ſenſum eorum accipiens; alius verò pro-
" fundiùs, quaſi è puteo educens: & poſſunt ambo capere utili-
" tatem; quandoquidem unum idemque uni quidem fons eſt, alteri
" verò puteus. Teſtatur hoc Evañgelium, quando agit de Sama-
" ritanâ. Ibi enim idem & fons & puteus nuncupatur; & viciſſim
" aliquando dicitur fons, & aliquando puteus. Conſideret hoc qui
" poteſt; ut ſciat unum idemque naturâ, perfunctorio quidem fontem,
" profundiori autem puteum exiſtere.

Homil. de Engaſtrimythâ. Ex initio patet Lectiones diurnas S. Scripturæ in Eccleſiâ antiquâ admodum prolixas fuiſſe. Illâ enim die, quâ Homiliam iſtam habuit Origenes, Capita XXV, XXVI, XXVII, XXVIII. è primo Samuelis libro prælecta ſunt. Lectione finitâ, aſſurrexit Origenes, & præcipua Lectionis argumenta ſummatim recenſens, quodnam potiùs ex iis explicari vellet, Epiſcopum rogavit: cumque ille Engaſtrimythæ Hiſtoriam explicari juſſiſſet, Homiliam iſtam extempore effudit.

250. *S. Gregorius, Neocæſarienſis Epiſcopus,*

Serm. 2. de Annuntiat. (13) B. Virginis (modò Gregorii ſit)
" Quando porrò Evangelium legitur, vel Apoſtolicum; non libro
" attendas aut Lectori, ſed Deo è Cœlis loquenti. Liber ſiquidem
" eſt id, quod cernitur; at Chriſtus eſt id, de quo diſſeritur.
" Evangelizat igitur nobis celeberrimam Salvatoris Oeconomiam:
" Evangelizat nobis, &c. Sermonem iſtum poſt Concilii Epheſini tempora ſcriptum cenſeo.

(12) Ἕκαστος κατὰ δύναμιν νοεῖ τὰ γεγραμμένα. —— καὶ δύνανται ἀμφότεροι ὠφεληθῆναι. τῷ μὲν ἐπιπολαίῳ πηγή ἐστι, τῷ δὲ βαθυτέρῳ φρέαρ ἐστι.

(13) Ὅταν δὲ ἀναγινώσκηται τὸ εὐαγγέλιον, ἢ ἀποστολικὸν, μὴ προσέχῃς τῇ βίβλῳ ἢ τῷ ἀναγινώσκοντι, ἀλλὰ τῷ ἀπ' οὐρανοῦ φθεγγομένῳ Θεῷ.

335. Euſe-

335. *Euſebius, Cæſarienſis Epiſcopus.*

In citandis Præparationum Evangelicarum libris Cl. Armachanus ſecutus eſt Georgii Trapezuntii Verſionem Latinam; quæ cum non tam Verſio ſit, quàm Compendium quoddam, elegans quidem, ſed parum fidele; eadem teſtimonia ex fideliori Franciſci Vigeri Verſione reponere neceſſe erit.

Lib. 8. cap. 1. " Nam cùm fœlix illud tempus inſtaret, quo " ſalutaris hujus Servatoris noſtri doctrinæ lux, ſub Romanis Im- " peratoribus in cunctos ſeſe homines longè latèque diffunderet; " adeóque (14) præcipua tum quædam ratio poſtularet, ut quæ de " ipſo extarent oracula, necnon Hebræorum illorum vita, ac reli- " gioſæ diſciplinæ leges, quos longè Deus ipſe cariſſimos habuiſſet, " cùm tot eæ ſeculorum intervallo Patrii ſermonis integumentis " clauſæ latuiſſent; cæteris tandem aliquando nationibus, quæ poſt- " modum in cognitionis divinæ communionem vocandæ erant, om- " nibus paterent. Deus ille tantorum bonorum auctor, ſingulari " egit providentiâ; ut quæ de venturo paulò pòſt generis humani " Servatore, eodemque ſanctioris erga unum præpotentem Deum " religionis omnibus ſub ſole gentibus Doctore futuro, prædicta " jam olim eſſent; ea demum accuratâ explicatione patefacta, & " publicis in Bibliothecis collocata, cunctorum in lucem venirent; " immiſſâ hâc Ptolomæo Regi mente divinitus; nimirum ut quædam " quaſi penus eſſet, unde illa poſtmodum in populorum omnium uſum " fructumque promererentur.

Lib. 12. cap. 1. " Verùm igitur omnino fuit Hebræorum Scrip- " turam tantò ante [*Platonem*] præcipere, uti divinarum literarum " intelligentiam ac diſquiſitionem fides antecedat; ut dum ait:

(14) Λόγος ὁ οὐχ ὁ τυχὼν ᾔρει, τὰς περὶ αὐτοῦ προφητείας, τόντε βίον, &c. τῇ πατρίῳ αὐτῶν φωνῇ ἐξ αἰῶνος μακροῦ κεκαλυμμένα, ἤδη τότε εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ὡς ἂν τῆς θεογνωσίας ἔμελλε προξενεῖσθαι, παρελθεῖν. Θεὸς τὰς ——— προῤῥήσεις ἀποκαλυφθῆναι τοῖς πᾶσι, εἰς φῶς τ᾽ ἐλθεῖν, ὑπ᾽ ἀκριβοῦς μεταβληθείσας, δημοσίαις τε βιβλιοθήκαις ἀνατεθείσας διοικεῖται, βασιλεῖ Πτολεμαίῳ τοῦτο πρᾶξαι κατὰ νοῦν ἐμβαλὼν, εἰς προπαρασκευὴν, ὡς ἔοικε, τῆς δὴ ἰδίων ἁπάντων ὅσαν ἔχειν μελλούσης ἐξ αὐτῶν ἕξεως μεταλήψεως.

Niſi

Niſi [e] credideritis, non intelligetis. Itemque, [f] Credidi, propter quod locutus ſum. (15) "Quo quidem nos etiam conſilio, quos "noviſſimè rerum in noſtrarum communionem admiſimus [*Catechumenos*] iis tanquam rudioribus adhuc & inchoatis, animoque "propemodum infantibus, divinæ Scripturæ lectionem ſimpliciùs "ita tradimus; ut eos ſimul ad fidem iis quæ proponantur tanquam "Dei verbis habendam adhortemur. At quorum jam robuſtior mentis "habitus, & cana quædam intelligentiæ vis fuerit, iis verò penetrare "altiùs verborumque ſententiam explorare concedimus. Atque hos "Hebræi Deuterotas, quaſi Scripturarum Interpretes atque Explana-"tores, vocare ſolebant.

His unicum addam ex eodem Opere locum, brevem quidem, ſed eximium. Sic igitur, lib. 12. cap. 20. Euſebius. (16) "Ergo "jure ſanè ac meritò Pueri quoque noſtri divinorum Prophetarum "odas, hymnoſque de Deo ſcriptos terere ſæpiùs ac repetere con-"ſueſcunt.

Idem libro de Martyribus Palæſtinis, cap. 1. Procopium primum è Palæſtinis in Perſecutione decimâ martyrium obiiſſe refert. Acta hujuſce Martyrii ex antiquiſſimo Codice edidit Henricus Valeſius, not. in Euſeb. pag. 154. Inibi leguntur iſta. "In verbis di-"vinis ei tantùm ſtudium erat. Illa verò quæ extrinſecus ſunt, "mediocriter attigerat. Igitur genere quidem Ælienſis, converſa-"tione autem vel habitatione Scythopolitanus erat. Ibi Eccleſiæ "tria miniſteria præbebat: unum in legendi officio, alterum in Syri "interpretatione ſermonis, & tertium adversùs Dæmones manûs "impoſitione conſummans. Hinc luculenter patet, in Eccleſiâ antiquâ, ubi Verſiones S. Scripturæ vernaculæ deerant, Interpretem adhiberi ſolitum, qui Lectiones in cœtu publico factas in plebis uſum vernaculè exponeret: ipſo etiam fatente Valeſio, qui in Annotat. pag. 155. hæc habet. "Ex Actis illis diſcimus Procopium habitâſſe

[e] Iſai. VII. [f] Pſal. CXV.

(15) Ἔνθεν καὶ παρ' ἡμῖν, τοῖς μὲν ἀρτι εἰσαγομένοις, καὶ τὴν ἕξιν ἀπαλοῖς, ὡς ἂν τὰς ψυχὰς νηπίοις, ἁπλούστερον ἡ ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς ἀνάγνωσις παραδίδοται, μετὰ τοῦ δεῖν πιστεύειν ὡς Θεοῦ λόγοις τοῖς ἐμφερομένοις παρακελευομένη. τοῖς δὲ τὴν ἕξιν προβεβηκόσι, &c.

(16) Εἰκότως ἄρα καὶ παρ' ἡμῖν τὰς ὑπὸ τῶν προφητῶν πεποιημένας ᾠδὰς, καὶ τοὺς εἰς τὸν Θεὸν ὕμνους μελετᾷν οἱ παῖδες ἐθίζονται.

"Scytho-

" Scythopoli, & in eâ urbe Lectorem atque Exorciſtam fuiſſe, &
" ſacras Scripturas, quæ Græco ſermone in Eccleſiâ legebantur, plebi
" quæ Græcè neſciret, vernacula, id eſt, Syra lingua interpretatum
" fuiſſe.

340. *Antonius Abbas.*

Aſſiduum in eo S. Scripturæ ſtudium Palladius [g] etiam deprædicat; Græcas tamen neſciviſſe literas confirmat. ἑλληνιστὶ μὴ εἰδότα.

340. *Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus,*

Epiſt. ad Marcellinum de Interpretat. Pſalmorum. *Qui igitur non ad iſtum modum legunt ſacras Odas* (nimirum ut mentem excolant, & paſſiones illius ſedent,) *non prudenter pſallunt, ſed ſeipſos oblectant, habituri reprehenſionem.* (17) *Qui autem ſecundùm prædictam rationem concinunt, ut melodia verborum ex numeris vocum cum ſpiritus harmoniâ congruat; iſti pſallunt & linguâ & mente; nec ſeipſos ſolùm, verum etiam alios, qui audire volunt, magnificè adjuvant.* Ibid. (19) *Arbitror autem in Scripturis hujus libri omnem vitam humanam, tum animæ affectiones, tum mentis conceptiones, ſuo modo ac magnitudine definitas contineri, nihilque ultra hæc in rebus humanis reperiri poſſe. Si enim pœnitentiæ aut confeſſionis uſus requiratur; aut tentatio, aut tribulatio apprehenderit te, &c. omnium iſtarum rerum inſtitutionem in Pſalmis habes.* Ibid. *Siquidem Deus injunxit Moſi ſcribere Canticum magnum* (19) *& id populum docere, unà cum duce conſtituto. Jubet item ſcribere Deuteronomium, & in manibus*

[g] Hiſt. Lauſiac. cap. 26.

(17) Οἱ δὲ ψάλλοντες, ὥστε τὴν μελῳδίαν τῶν ῥημάτων ἐκ τοῦ ῥυθμοῦ τῆς φωνῆς καὶ τῆς πρὸς τὸ πνεῦμα συμφωνίας προσφέρεσθαι, οἱ τοιοῦτοι ψάλλουσι μὲν τῇ γλώσσῃ, ψάλλοντες δὲ καὶ τῷ νοΐ, οὐ μόνον ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τοὺς θέλοντας ὑπακούειν αὐτῶν μεγάλως ὠφελοῦσιν.

(18) Ἡγοῦμαι γὰρ ἐν τούτοις τοῖς λόγοις τῆς βίβλου τὸν πάντα βίον τῶν ἀνθρώπων, &c. μεμετρῆσθαι καὶ περιέχεσθαι, καὶ μηδὲν τούτων πλέον ἐν ἀνθρώποις εὑρίσκεσθαι. εἴτε γὰρ μετανοίας ἢ ἐξομολογήσεως χρεία, &c. ἔχεις τούτων τὴν διδασκαλίαν ἐν τοῖς θείοις ψαλμοῖς.

(19) Καὶ διδάξαι τὸν λαὸν, τὸν τὸν καθιστάμενον ἄρχοντα, κελεύει γράψαι τὸ Δευτερονόμιον, ἔχειν δὲ μετὰ χεῖρας, καὶ μελετᾷν ἀεὶ τὰ ἐν αὐτῷ ῥήματα, ὡς ἀρκούντων, &c.

geſtare,

geſtare, & perpetuò ejus verba meditata habere; cùm ea ſufficiant ad virtutis admonitionem, & opitulationem illis, qui ſe probè in iis exercuerint, &c.

350. *Cyrillus, Epiſcopus Hieroſolymitanus,*

Catech. Illuminat. 5. " Cum enim non omnes poſſunt Scripturas " legere; & alios quidem inſcitia, alios verò occupatio quædam im- " pedit à cognitione; ne ob inſcitiam animam perdas, in paucis " verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus; quod in ipſâ " lectione meminiſſe vos volo, & apud vos ipſos ſtudiosè recolere, &c. " (*) Excerpe autem tempore opportuno ex ſacris Scripturis, quæ " eſt inſita illis, probationem.

Catech. Myſtag. 5. (20) *Poſtea* (in ſacrâ Synaxi) *clamat ſacerdos,* Surſum corda. *Vos deinde reſpondetis,* Habemus ad Dominum, *aſſentientes ei profitendo. Nullus autem ſic conſiſtat, ut ore quidem dicat,* Habemus ad Dominum, *mente verò circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos,* Gratias agamus Domino. *Ad hæc vos ſubjicitis,* Dignum & juſtum eſt. *Sacerdos autem poſtea dicit,* Sancta Sanctis. *Vos deinde reſpondetis,* Unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus.

370. *Epiphanius*

Locus eſt in Panario maximè inſignis, lib. 2. Tom. 2. Hæreſ. 69. §. 66. " Quæcunque in Scripturis leguntur, apud illum quidem, qui " Spiritu S. præditus ſit, quique vigilem & experrectam Dei bene- " ficio mentem adeptus fuerit, (21) perplexam nullam continent " ſententiam. Nam è contrario nihil non in illis perfectiſſimè " tam à Chriſto Domino quàm ab Apoſtolis ac Prophetis ab eodem " miſſis eſt dictum": Dein de extremis Chriſti in cruce pendentis verbis, *Eli, Eli, lama ſabacthani*, mentionem injiciens, priora duo Hebraicè, poſteriora Syriacè pronuntiata eſſe dicit; ac dein ſubdit: (22) " Id quod ſingulari quadam eſt prudentia factum; ut

(*) Ἐκδέχου δὲ κατὰ τὸν δέοντα καιρὸν τὴν ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν, περὶ ἑκάστου τῶν ἐγκειμένων σύστασιν.

(20) Μετὰ τοῦτο βοᾷ ὁ ἱερεὺς, ἄνω τὰς καρδίας. εἶτα ἀποκρίνεσθε, ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον, τούτῳ συγκατατιθέμενοι, δι' ὧν ὁμολογεῖτε, &c.

(21) Οὐδὲν δὲ σκολιὸν ὑπενοῆσαι, ἀλλὰ πάντα πλειότατα ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς εἴρηται.

(22) Καὶ αὐτὸ ποιῶν δι' ἀγαθὴν οἰκονομίαν, —— ὅπως καθέλοι τὴν αὐχοῦντων τὴν Ἑβραΐδα, καὶ καταξιώσῃ καὶ ἑτέρας γλώσσας εἰς πλήρωσιν τῶν περὶ αὐτοῦ ῥητῶν, &c.

" cùm Eli Eli diceret, Prophetæ illud vaticinium ad ſe pertinere
" profiteretur. Cùm verò quod reliquum eſt, non Hebraicè ſed
" Syriacè conciperet; eorum faſtum comprimeret, qui ſe Hebraicâ
" linguâ inſolenter efferrent; & ad edita de ſe in ſacris literis ora-
" cula complenda cæteras quoque linguas adhiberet. Inſtabat enim
" tempus illud, quo ſui notitiam per omnes Nationes diffunderet.

370. *Didymus, Presbyter Alexandrinus,*

In Pſal. XLVI. 7. in Catenâ Aur. in L. Pſal. à Daniele Barbaro Latinè verſâ. " Pſallentem cogitare oportet, quæ in Cantico pro-
" feruntur; non enim in colliſione ac carminis modulatione ver-
" ſandum eſt iis, qui proficere ſtudent; ſed intelligentiâ percipere
" quæ canuntur, opus eſt. Nam eos qui non ita pſallunt, ſed tan-
" tùm ſonitum vocis emittunt, rejicit Deus dicens, Diſcede à me;
" ſonum viarum tuarum & pſalmum organorum tuorum non au-
" diam.

Inter S. Maximi Capita Theologica, ſeu Sermones per Excerpta, Serm. 17.[h] ſententia iſta ex Didymo citata reperitur. (23) " Le-
" gendæ ſunt divinæ Scripturæ. Uti enim vini potus dolorem ſedat,
" & cor ex triſtitiâ in lætitiam transfert; ſic ſpiritale vinum gaudio
" perfundit animum.

390. *Joannes Chryſoſtomus.*

Integrum deſcribat Chryſoſtomum oportet; qui cuncta ejus teſtimonia de Scripturis vernaculè legendis congeſſerit. Plurima dedit Armachanus Latinè, quibus nos Græca è regione appoſuimus, niſi in pauculis quibuſdam, quæ nonniſi Latinè adhuc prodierunt. Verbi gratiâ, Expoſitio in Pſalmum 90. & Homilia in Eſai. 62. neque in Savilianâ neque in Morellianâ editione reperiuntur. Utraque autem habetur Latinè in Editione Pariſienſi 1556. Tom. 1. illa pag. 861. iſta pag, 1248. Idem & de aliis dicendum. Poſt plenam Reve-

[h] Tom. II. Opp. Maximi, pag. 583.

(23) Ἐντυγχάνειν δεῖ ταῖς θείαις γραφαῖς. ὥσπερ γὰρ ὁ οἶνος πινόμενος ἀναπαύει λύπην, καὶ μεταβάλλει καρδίαν εἰς εὐφροσύνην· οὕτως ὁ πνευματικὸς οἶνος εἰς χαρὰν μεταβάλλει τὴν ψυχήν.

rendiſſimi

rendiſſimi Primatis vindemiam fruſtra eſſet ſpicilegium meditari; niſi Homiliam, quâ argumentum iſtud Chryſoſtomus datâ operâ pertractat, intactam penitus prætermittere, iniquum duxerim.

Homil. de utilitate Lectionis Scripturæ, Edit. Morell. Tom. V. pag. 582. (24) " Eſt enim ſpirituale pratum, ac deliciarum paradiſus, ſacrarum lectio Scripturarum. ——— Hunc Paradiſum Deus " non uno circumſcriptum loco poſuit; ſed ubique terrarum expandit, " & in fines orbis terrarum extendit. Atque ut intelligas in univerſum " orbem terrarum expanſas eſſe Scripturas; audi prophetam dicentem. *In omnes terras exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sive ad Indos te conferas, quos Oriens primos Sol re- " ſpicit, (25) ſive ad Oceanum te conferas. * [Sive ad Bri- " tannicas inſulas iter facias.] Sive in Euxinum Pontum naviges, " ſive ad Auſtrales partes abeas; omnes ubique audies de iis, quæ in " Scripturâ ſunt, Philoſophantes; aliâ quidem voce, ſed non aliâ " fide, ac linguâ quidem diverſâ, ſed mente conſona. ——— Ha- " bet & fontem hic Paradiſus. ——— Fons iſte in ſingulas fide- " lium mentes dividitur, & non minuitur; dividitur & non conſu- " mitur; diſpertitur & minor non fit; apud omnes integer & in " ſingulis integer. ——— In hoc igitur Paradiſo verſemur; aſſi- " deamus fonti; ——— in lectione Scripturæ iſtius permaneamus. " ——— Lectio Scriptûræ colloquium eſt cum Deo. ——— Lectioni " ergo ſimus intenti, non duas tantùm has horas, (non enim ad " ſecuritatem ſufficit hæc auditio nuda) ſed perpetuò quiſque domum " reverſus libros ſacros in manus ſumat, & eorum quæ dicta ſunt " ſenſus percurrat; ſiquidem perpetuam & ſufficientem utilitatem " percipere cupiat ex Scripturâ. ——— Is qui Scripturas ſacras

* Verba uncis incluſa Fronto Ducæus in Verſione ſuâ perperam omiſit.

(24) Καὶ γὰρ πνευματικὸς λειμὼν καὶ παράδεισος τρυφῆς ἡ τῶν θείων γραφῶν ἐστιν ἀνάγνωσις.

(25) Κἂν πρὸς ὠκεανὸν ἀπέλθῃς, κἂν πρὸς τὰς Βρεττανικὰς νήσους ἐκείνας.— πάντων ἀκούσῃ πανταχοῦ τὰ ἀπὸ τῆς γραφῆς φιλοσοφούντων, φωνῇ μὲν ἑτέρᾳ, πίστει δ' οὐχ ἑτέρᾳ, καὶ γλώσσῃ μὲν διαφόρῳ, διανοίᾳ δὲ συμφώνῳ. ——— αὕτη ἡ πηγὴ καθ' ἑκάστην ψυχὴν διὰ τῶν πιστῶν μεριζομένη, ———παρὰ πᾶσιν ὁλόκληρος. καὶ ἐν ἑκάστῳ ὁλόκληρος. ——— Μένωμεν ἐν τῇ ἀναγνώσει τῶν γραφῶν τούτων. ——— προσέχωμεν τοίνυν τῇ ἀναγνώσει, μὴ τὰς δύο μόνον ταύτας ὥρας, οὐ γὰρ ἀρκεῖ ἡμῖν εἰς ἀσφάλειαν ἡ ψιλὴ αὕτη ἀκρόασις, ἀλλὰ διηνεκῶς, καὶ ἕκαστος οἴκαδε ἀναχωρήσας τὰ βιβλία μετὰ χεῖρας λαμβανέτω. ——— Κἂν μηδένα ἔχῃ τὸν ἑρμηνεύοντα, διὰ τῆς συνεχοῦς ἀναγνώσεως, ὥσπερ διὰ τινων ῥιζῶν, πολλὴν ἐπισπᾶται τὴν ὠφέλειαν.

" aſſiduè legit, & juxta rivos illarum reſidet; licet neminem habeat " qui interpretetur, frequenti lectione quaſi radicibus quibuſdam utili-" tatem haurit. [Plurimam utilitatem haurit. Ita quidem Græca, à Frontone dilutiùs verſa.]

Unicam addam ſententiam de precibus linguâ à precantibus intellectâ faciendis, ex Expoſitione in Pſalmum XLI. deſumptam. *Quotidie Deum interpellemus per Pſalmos & Orationes.* (26) *Ne autem verba ſolum offeramus; ſed ipſam etiam ſciamus vim dictionum.*

420. *Cyrillus, Epiſcopus Alexandrinus,*

Homil. Paſchal. 16. " Abſtineamus igitur ab ejuſmodi cibo; " [à fabulis Judaicis] (27) puros verò in animum inferamus ſanctorum " Prophetarum ſermones, ac per Moſen accepta decreta, in ænig-" maticam traducentes veritatem, & inprimis Evangelicam saluta-" remque doctrinam, Apoſtolicos libros; non ut quibuſdam mos " eſt, ad contemplationem indecoram eorum, quæ ſcripta ſunt, ſen-" tentiam detorquentes, nec à recto ſenſu impiè trahentes; verùm " quâ ſe viâ contemplationum explicat ſcopus, eandem nos ipſi quoque " ſtrenuè inſiſtamus.

Orat. 2. de rectâ fide, quæ Religioſiſſimis Reginis inſcribitur. In Præfat. eas ad S. Scripturæ ſtudium hortatur.

Comment. in Amos, cap. 4. " Animus hominis divinis ſermo-" nibus nutritur: (28) Cujus fluentum eſt ſpirituale, & fons intel-" lectualiter irrigans, divinitus inſpirata Scriptura, Chriſti myſte-" rium differens.

Glaphyra in Geneſin, lib. 1. in Præfat. " *Scrutamini Scripturas*, " Judaico populo Chriſtus inclamavit, (29) non aliâ ratione ad vitam " pertingere poſſe quoſdam (*rectiùs*, ullos) niſi veluti theſaurum " quendam effodientes legalem literam, abditam in eâ margaritam,

(26) Μὴ τὰ ῥήματα μόνον προσφέρωμεν, ἀλλὰ τὴν δύναμιν αὐτὴν εἰδῶμεν τῶν ῥήσεων.

(27) Καθαροὺς δὲ εἰς νοῦν εἰσοίσωμεν λόγους τοὺς ἐκ τῶν ἁγίων προφητῶν, καὶ τὰς διὰ Μωσέως ἐντολὰς, καὶ πρό γε τῶν ἄλλων τὴν εὐαγγελικὴν καὶ σωτήριον παίδευσιν, τὰς τῶν ἀποστόλων συγγραφὰς, &c.

(28) Πηγὴ κατάρδουσα νοητῶς ἡ θεόπνευστος γραφὴ, τὰ τοῦ Χριστοῦ λαλοῦσα μυστήρια.

(29) Οὐχ ἑτέρως ἂν ἰσχύσαι τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐφικέσθαι τινὰς, ἐναργέστατα λέγων, εἰ μὴ, &c.

" hoc eſt, Chriſtum, perveſtigent. Ibid. (30) Cui quidem rei " nihil æquiparandum fuerit inculpatam vitam laudantibus, optimis " præſtantiſſimiſque actionibus vacare volentibus, & mentem divino " lumine repletam habentibus: Propterea quòd oporteat in iis quæ " de Deo ſcripta ſunt, indeſinenter ſeſe oblectare, ac veluti lucernam " quandam S. Scripturam ſibi ſtatuere, juxta Pſalmiſtam clamantem & " dicentem; *Lucerna pedibus meis*, &c.

Lib. 4. " Peragrantes itaque [*Apoſtoli*] regiones & urbes, quam- " plurimos etiam alios Paſtores populis præfici juſſerunt, atque ovium " rationalium curam gerere, paſcere verò quodammodò in paſcuis " bonis, & in loco pingui; (31) ac veluti in floridiſſimam herbam " deducere, ſacram nimirum Scripturam. Sufficiens enim ad vitam " animæ cibus eſt Verbum Dei.

Lib. 5. (32) " Canales verò rursùm, in quibus adaquatur ra- " tionalis grex, hoc eſt, nos, intelligantur Scripta Moſis, & prophe- " ticæ Prædicationes; quæ nobis ſupernum atque à Deo ſermonem " tantùm non ſcaturiunt.

Homil. Epheſi habita ad populum, [h] inter Acta Concilii Epheſini, par. 3. cap. 6. (33) *Qui ſacris literis incumbunt, cor ſapiens, bonorumque operum gnarum, & rectæ fidei lumine colluſtratum obtinent.*

430. *Theodoretus, Epiſcopus Cyrenſis,*

Comment. in Pſal. XLVI. 7. Pſallite ſapienter.] *Præclarè poſuit,* (34) *docens non ſolâ linguâ hymnos proferendos eſſe; verùm etiam mentem in eorum, quæ dicuntur, intelligentiam excitandam.*

[h] Concil. Tom. III. pag. 980.

(30) γένοιτο δ' ἂν οὐδὲ τοῦ τοιοῦδε τὸ ἰσοστατοῦν. —— διὰ τὸ δεῖν τοῖς περὶ Θεοῦ λόγοις ἀκαταλήκτως ἐντρυφᾶν, καὶ λύχνον ὥσπερ τινὰ ποιεῖσθαι τὸ γράμμα τὸ ἱερόν.

(31) Καὶ εἰς πόαν ὥσπερ ἀποκομίζειν τὴν ἀνθηροτάτην, τὴν θεόπνευστον γραφήν. ζωαρκὲς γὰρ ἔδεσμα ψυχῆς ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος.

(32) Νοοῖντο δ' ἂν πάλιν ληνοὶ τῆς καὶ ποτιστεια τῆς λογικῆς ἀγέλης, τουτέστιν ἡμῶν, συγγραφὴ Μωσέως, καὶ τὰ προφητικὰ κηρύγματα, &c.

(33) Οἱ τοῖς ἱεροῖς προσέχοντες γράμμασιν, σεσοφισμένην ἔχουσι τὴν καρδίαν &c.

(34) Διδάσκων μὴ μόνῃ τῇ γλώττῃ προφέρειν τὴν ὑμνῳδίαν, ἀλλὰ καὶ τὴν διάνοιαν εἰς κατανόησιν τῶν λεγομένων ἐγείρειν.

In Coloſ. III. 16. Cantantes in cordibus veſtris Deo.] (35) *Aſſiduam divinorum eloquiorum meditationem præcipit quoque Lex Vetus.* [i] Meditaberis, *enim inquit*, in ipſis ſedens, & ſurgens, & cubans, & in viâ ingrediens. *Hoc etiam præcipit divinus Apoſtolus; ut nos Domini doctrinam in animâ ſemper circumferamus, & ipſum laudemus, & Canticis ſpiritualibus linguam ſanctificemus. Illud autem,* in cordibus, *pro eo quod eſt, Non ore tantùm.*

440. *Nilus Abbas*

Parænеſ. (36) *Si peragitur congregatio in Eccleſiâ, & tu adeſto. Si verò non peragitur, tum pſallens Apoſtolicum Evangelium, abito.*

450. *Baſilius, Epiſcopus Seleucienſis*

Orat. 16. in Davidem. (37) " Animæ pabulum, veritatis eſt
" cognitio, creatoris intelligentia, divinarum rerum narratione re-
" pleri. Ac circa ejuſmodi alimoniam otium impendere Dominus
" homines docebat, &c. Percommodè partitur alimentum Conditor,
" dum utrumque nutrit [*Corpus & Animam*] Corpori quidem res
" cognatas, quibus ali conſuevit, Animæ verò commentarios ingenio
" ejus congruentes. Eam enim ob rem literarum monumenta,
" Sanctorum vitas complexa, notitiam ad poſteros tranſmittunt,
" quo ad imitationem impellantur; utque nondum natis the-
" ſaurus paretur, Virtutis promptuarium ad vitæ rationes perutile
" objiciunt.

i Deut. VI.

(35) Τὴν διηνεκῆ τῶν θείων λογίων μελέτην καὶ ὁ παλαιὸς νόμος παρεγγυᾷ. — τοῦτο παρακελεύεται καὶ ὁ θεῖος Ἀπόστολος, ὥστε ἡμᾶς τὴν τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίαν ἐν τῇ ψυχῇ περιφέρειν ἀεὶ, ὑμνεῖν τ' αὐτὸν, καὶ ταῖς πνευματικαῖς ᾠδαῖς ἁγιάζειν τὴν γλῶτταν. τὸ δὲ ἐν ταῖς καρδίαις, ἀντὶ τοῦ, μὴ μόνον τῷ στόματι.

(36) Εἰ τελεῖται σύναξις ἐν ἐκκλησίᾳ, παράβαλε. εἰ δὲ μὴ τελεῖται, σὺ ψάλλων ἀποστολικὸν εὐαγγέλιον, ἄπελθε.

(37) Ψυχῆς δὲ τροφὴ —— τὸ τῶν θείων ἐμφορεῖσθαι διηγημάτων, καὶ περὶ ταύτην ἀσχολεῖσθαι τὴν τροφὴν ὁ Δεσπότης παιδεύει. — μερίζει τὴν τροφὴν πρεπόντως ὁ ποιητὴς, ἑκάτερα ποιμαινόμενος, σώματι μὲν ὅσοις πέφυκε, ψυχῇ δὲ τοῖς νομίμοις συγγράμμασιν. — τούτου γὰρ χάριν αἱ γραφαὶ, τῶν ἁγίων τοὺς βίους διὰ τῶν συγγραμμάτων φυλάττουσι, τὴν γνῶσιν τοῖς ἐφεξῆς παραπέμπουσι, &c.

600. *S. Jacobi Miſſa.*

In Auctuario Biblioth. Patr. G. L. Tom. II. pag. 4. (38) *Deinde* (inter ſacram Liturgiam) *leguntur fuſiſſimè oracula ſacra Veteris Teſtamenti & Prophetarum; & Filii Dei Incarnatio demonſtratur, Paſſio, &c.* (ſc. leguntur etiam oracula Novi Teſtamenti.) Et mox: *Atque id fit ſingulis diebus in ſacrâ & divinâ Miſſâ.* Miſſa iſta citatur [k] à Concilio VI. anno 681. habito, neque tamen multò vetuſtior videtur.

600. *Heſychius, Epiſcopus Hieroſolymitanus,*

In Pſal. XLVI. 7. in Catenâ Aur. in Pſal. L. à Daniele Barbaro Latinè versâ. "Ter Deo pſallendum merito præcepit; ut linguâ "& mente & ſpiritu pſallamus. Pſallere verò ſapienter ideo jubet, "ne carminibus & numeris vacantes, vim eorum, quæ canimus, "ignoremus, neque æs ſonans aut cymbalum tinniens efficiamur; "ſed ſcientes Regem omnis terræ, hoc eſt, totius humanitatis Deum "eſſe, membra illi omnia tum corporis tum animi ſubjiciamus.

[k] Can. XXXII.

(38) Εἶτα ἀναγινώσκεται διεξοδικώτατα τὰ ἱερὰ λόγια τῆς παλαιᾶς διαθήκης καὶ τῶν προφητῶν, καὶ ἀποδείκνυται ἡ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐνανθρώπησις, τὰ πάθη, &c. καὶ τοῦτο γίνεται καθ' ἑκάστην ἐν τῇ ἱερᾷ καὶ θείᾳ ἱερουργίᾳ.

CAPUT

CAPUT III.

A. D. 250. *Novatianus, Presbyter & Antipapa Romanus,*

LIb. de Trinitate, cap. 19. *Cum ipſa Scriptura cæleſti abundans plenitudine ſeſe Hæreticorum iſtorum calumniis exuat; facilè ipſo quod ſcriptum eſt nitimur, & errores iſtos ſine ullâ dubitatione ſuperamus.*

250. *Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis*

Præfat. ad libros Teſtimon. adv. Judæos. *Plus roboris tibi dabitur, & magis ac magis intellectus cordis operabitur, ſcrutanti Scripturas veteres ac novas plenius; & univerſa librorum ſpiritalium volumina perlegenti.* Vox *Spiritalium* redundare videtur. Libros enim potiùs Canonicos Cyprianus innuit: atque adeò vox iſta in Codice MS. vetuſto Bibliothecæ Archiepiſcopalis Lambethanæ non invenitur.

De Habitu Virg. *Scripturis ſanctis nos inſtrui Dominus voluit & moneri.*

De Spectaculis §. 11. *Habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit. Scripturis, inquam, ſacris incumbat Chriſtianus fidelis; ibi inveniet condigna fidei ſpectacula. Quàm hoc decorum ſpectaculum, fratres? quàm jucundum? quàm neceſſarium? intueri ſemper ſpem ſuam, & oculos aperire ad ſalutem ſuam.* Hunc librum Cypriano abjudicant Critici recentiores; neque adeò tamen Cypriano indignus eſt; & ante Conſtantini tempora ſcriptum eſſe conſtat. Author, quiſquis demum fuerit, argumenta ex Tertulliano emendicâſſe videtur.

De Diſciplinâ & Bono Pudicitiæ, in fin. *Ego pauca dictavi. Vos Scripturas aſpicite, exempla vobis de ipſis præceptis hujus rei majora conquirite.* Liber Cypriano receptâ apud eruditos ſententiâ abjudicatur. Antiquus tamen eſt; quemque Eraſmus Cornelio Papæ deberi conjicit. Certè Authorem fuiſſe Epiſcopum ex initio ejus patet.

Confeſſio S. Cypriani (quæ tametſi genuina non ſit, Authoris eſt admodum vetuſti) publicam Chriſtianorum Liturgiam ſic deſcribit, prope fin. *Aliâ autem die ivimus in ſanctam Eccleſiam Dei; & vidi cæleſtem chorum ſuper terram Hymnum referentem Deo cum multâ glorificatione.*

rificatione. Audivi autem ibi laudem per ſingulos verſus omnium vocem conſonantem; ut putarem omnium eſſe unam vocem, tanquam vocem Angelorum.

316. *Lactantius Firmianus*

Lib. 5. cap. 20. *Quomodo enim Deus præſtabit precanti, quicquid oraverit; cùm ad precandum neque ex animo, neque obſervanter accedat? Iſti autem cùm ad ſacrificandum veniunt, nihil intimum, nihil proprium diis ſuis offerunt, non integritatem mentis, non reverentiam, non timorem. Peractis itaque ſacrificiis inanibus, omnem religionem in templo, & cum templo, ſicut invenerant, relinquunt; nihilque ſecum ex eâ neque afferunt neque referunt. Inde eſt, quòd ejuſmodi religiones neque bonos facere poſſunt, neque firmos atque immutabiles. Traducuntur itaque ab his homines facile; quia nihil ibi ad vitam, nihil ad ſapientiam, nihil ad fidem diſcitur. Quæ eſt enim ſuperſtitio illorum deorum? quæ vis? quæ diſciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ ſubſtantia? quò tendit? aut quid pollicetur? ut ab homine poſſit fideliter ſervari, fortiterque defendi? In quâ nihil aliud video, quàm ritum ad ſolos digitos pertinentem?*

370. *Optatus, Epiſcopus Milevitanus,*

Lib. 1. ad Parmenian. *Nam fermè ante annos LX. & quod excurrit, per totam Africam perſecutionis devagata eſt tempeſtas. Quid commemorem Laicos, qui tunc in Eccleſiâ nullâ fuerant dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium aliqui Epiſcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, iſtius incertæ lucis moras breviſſimas compararent, Inſtrumenta divinæ legis impiè tradiderunt.* Penès Laicos igitur erant Inſtrumenta divinæ legis.

370. *Hilarius, Diaconus Romanus,*

Comm. in Epheſ. V. 19. Pſallentes in cordibus veſtris Domino.] *Rationabilem viam diligit Spiritus Sanctus; quia ſi bene vixerimus, implebimur eo, ut memorat, ad confitendum & extollendum Dei donum, diverſo vocis canore; ut laus in Deum omni linguâ canatur.*

 390. *Hiero-*

390. *Hieronymus*

Epiſt. 103. ad Paulinum. *Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant. Scribimus indocti doctique poemata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant.* [Hîc quidem reprehendit Hieronymus petulantiam illorum, qui S. Scripturæ expoſitionem illotis manibus aggredi auderent; omnibus interim Scripturam olim in uſu familiari fuiſſe fidem facit. Quin ipſe Scripturæ lectionem indoctis adeò non interdicit; ut illorum gratiâ ſimplici ſermone conſcriptam eſſe prodat.] *Oro te, frater cariſſime, inter hæc vivere, iſta meditari, nihil aliud nôſſe, nihil quærere. Nonne tibi videtur jam hic in terris regni cœleſtis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis ſanctis ſimplicitate & quaſi utilitate verborum; quæ vel vitio Interpretum vel de induſtriâ ſic prolata ſunt, ut ruſticam concionem faciliùs inſtruerent; & in unâ eademque ſententiâ aliter doctus, aliter audiret indoctus.*

Præfat. in 4 Evang. ad Damaſum. *Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos paucorum hominum aſſerit perverſa contentio: quibus utique nec in toto Veteri Inſtrumento poſt Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendâſſe: cùm multarum gentium linguis Scriptura ante tranſlata doceat falſa eſſe, quæ addita ſunt.*

Comm. in Pſal. XLVI. 7. (quod inter Opera ejus habetur) Pſallite ſapienter.] *Ut quæ canitis per literam, intelligatis ſpiritualiter dicta.*

Author Epiſtolæ ad Amicum de Scientiâ divinæ legis, inter Hieronymi Opera, Tom. 9. Edit. Mariani Victorii, p. 38.

Hoc planè præmoneo; ne Domini verba deſpicias, quæ pio affectu tibi nunc Eccleſiæ parvulo, ad confovendam infantiæ novitatem porrigo. Rudis igitur & in Chriſtianæ doctrinæ ſtudio tyro fuit, cui hæc ſcripta ſunt. Hunc tamen ad Scripturæ ſtudium Author Epiſtolæ multis hortatur. *Rogo ut ad inſtitutionis plenitudinem, verbum Domini, hoc eſt Evangelium, diligentiùs legas; ex quo ſcientiam ampliorem ejus quàm credidiſti lucis accipias, ut poſſis in omnibus nôſſe quid facturus ſis. Nam ſine divinæ legis & diſciplinæ cœleſtis ſcientiâ difficile eſſe quenquam poſſe ſalvari, non meus, ſed divinus ſermo probabit. Ait Eſaias Propheta, &c.* Scripta eſt iſthæc Epiſtola, uti ex fine patet, antequam Monachorum nomen viris devotis in turbâ etiam commorantibus imponi deſiiſſet, viz. ante annum 600.

420. *Augu-*

420. *Auguſtinus, Epiſcopus Hipponenſis,*

Ennarrat. in Pſal. XLVI. Pſallite intelligenter.] *Docet nos & admonet nos, ut pſallamus intelligenter; non quæramus ſonum auris, ſed lumen cordis.* Pſallite, *inquit*, intelligenter.

In Pſal. CV. Et interfecta eſt terra in ſanguinibus.] *Putaremus autem hic ſcriptoris errorem eſſe; atque eum diceremus pro eo quod eſt infecta, feciſſe interfecta: niſi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas ſuas in multis linguis eſſe voluit, atque ita eſſe ſcriptum.*

Epiſt. 107. *Exerce* [tu qui pro infidelibus orandum non eſſe dicis.] *contra Orationes Eccleſiæ Diſputationes tuas; & quando audis ſacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem; & pro catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro fidelibus, ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent; ſubſanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id eſt, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare.*

De Magiſtro, cap. 7. *Primò omnium recordor, aliquandiu nos quæſiſſe, quam ob cauſam loquamur; inventumque eſſe, docendi commemorandive gratiâ nos loqui; quandoquidem nec cùm interrogamus, aliud agimus; quàm ut ille qui rogatur, diſcat quid velimus audire. In orando Deo, quem doceri aut commoneri exiſtimare non poſſumus, id verba valeant; ut vel nos ipſos commonefaciamus, vel alii commoneantur, doceanturve per nos.*

430. *Joannes Caſſianus, Presbyter Maſſilienſis,*

De Inſtitut. Cœnob. lib. 2. cap. 5. Monachorum Ægyptiorum mores & inſtituta referens, eos formam vivendi à Marco Apoſtolo accepiſſe & inviolatam tenuiſſe ſcribit. *Eo fervore Scripturarum divinarum lectionibus, orationique, & operi manuum diebus ac noctibus incubabant; ut nec eſcarum quidem appetitus vel memoria interpellaret.* Et mox, *Quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medio Pſalmos Domino cantaturus exurgit. Cùmque ſedentibus cunctis (ut moris eſt nunc uſque in Ægypti partibus) & in pſallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim Pſalmos orationum interjectione diſtinctos contiguis verſibus parili pronuntiatione cantâſſet, duodecimum ſub Alleluia reſponſione conſummat.*

Lib. 2. cap. 7 De eorundem precibus publicis. *Antequam flectant genua, pauliſper orant; & ſtantes in ſupplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque poſt hæc puncto breviſſimo procidentes humi, velut adorantes tantùm divinam clementiam, ſummâ velocitate conſurgunt; ac rurſus erecti, expanſis manibus eodem modo quo prius ſtantes oraverant, ſuis precibus intentiùs immorantur.*

Lib. 2. cap. 10. Credunt iidem Diabolum *cogitationibus ſeu diverſis humoribus excitatis, abducere mentem noſtram à ſupplicationis intentione feſtinare. Quamobrem utilius cenſent breves quidem orationes, ſed creberrimas, fieri.*

Lib. 2. cap. 12. *Hunc ſanè canonicum duodenarium Pſalmorum numerum tali corporis quiete relevant; ut has eaſdem Congregationum ſolennitates ex more celebrantes, abſque eo qui dicturus in medium Pſalmos ſurrexerit, cuncti ſedilibus humillimis inſidentes, ad vocem Pſallentis omni cordis intentione dependeant.* Monachos hoſce Ægyptios cum indoctiſſimis juxta indoctos fuiſſe conſtat; Scripturas tamen aſſiduè terebant, Pſalmos attentè audiebant, & ex pſallentis ore omni cordis intentione pendebant. Scriptura igitur & Officia divina apud illos linguâ vernacula habebantur. Aliter fruſtra attenti, fruſtra verborum intellectum ſectati erant; quod de illis refert Caſſianus, lib.2. cap.11. *Non enim multitudine verſuum, ſed mentis intelligentiâ delectantur; Illud totâ virtute ſectantes; Pſallam ſpiritu, Pſallam & mente.*

Collat. 9. cap. 34. *Satis verò conſtat, illum trinæ orationis numerum, qui ſolet in congregationibus fratrum ad concludendam ſynaxin celebrari, eum qui intento animo non ſupplicat, obſervare non poſſe.*

Collat. 10. cap. 13. *Mens mobilis ſemper ac vaga in tempore quoque ſynaxeos velut ebria per diverſa diſtrahitur, nullum Officium competenter exolvens. Verbi gratiâ, dum orat, Pſalmum aut aliquam recolit lectionem; dum cantat, aliud quid meditatur, quàm textus ipſius continet Pſalmi: cùm lectionem recitat, faciendum aliquid volvit factumve reminiſcitur. Atque in hunc modum nihil diſciplinatè nec opportunè recipitur vel dimittitur.*

510. S. *Cæſarius, Arelatenſis Epiſcopus.*

In Vitâ [a] ejus à Cypriano diſcipulo conſcriptâ, cap. 8. *Voluit verò, atque etiam compulit Laicos & populares homines, Pſalmos & Hymnos*

[a] Apud Surium, Auguſt. XXVII. pag. 947.

promere,

promere, altâque & modulatâ voce, inſtar Clericorum ; alios Græcè, alios Latine, Proſas & Antiphonas decantare ; ne illis ſpatium ſuppeteret ad fabulas in Eccleſiâ effutiendas. Hinc patet plebem olim in Eccleſiâ Gallicanâ Pſalmos Hymnoſque unà cum Clero decantare conſueviſſe ; Officiaque divina diverſis linguis pro auditorum intellectu celebrata fuiſſe ; ſaltem Arelate, in quâ, utpote Galliarum Præfecti ſede, multi Græci, qui Latinè neſciebant, commorati fuiſſe videntur.

550. *Aurelius Caſſiodorus.*

Annot. in Pſal. XLIV. Circumamicta varietate.] *Perſcrutemur, cur Eccleſia Dei de veſtis varietate laudetur ; cui totum ſimplex convenit atque unum. Sed hic* varietatem *aut linguas multiplices ſignificat ; quia omnis gens ſecundùm ſuam Patriam in Eccleſiâ pſallit auctori ; aut virtutum pulcherrimam diverſitatem.*

550. *Facundus, Epiſcopus Hermianenſis,*

Pro defenſ. trium Capit. lib. 12. cap. 1. *Nam ſi obſtinatus ille dicendus, qui non cedit Eccleſiæ conſtitutis earundem Scripturarum authoritate firmatis ; quantò deterioris obſtinationis dicendus eſt ; qui ipſis divinis Scripturis dedignans acquieſcere, inviolabili earum plenitudini aut abrogat veritatem, aut aliquid deeſſe putat, quod propriâ debeat adinventione ſupplere.* Et mox, Poſtquam multos in fide imperfectos eſſe dixerat, qui omnes fidei argutias non capiunt, nec in omnibus rectè ſentiunt, nec tamen Hæretici ſunt dicendi ; quia dociles ſunt, & perfectiorem ſcientiam à doctis recipere ſemper parati, addit: *Imperfectus iſte profectò nihil ſui cordis adinventione confictum, propriâ quâdam authoritate docere præſumit, ſicut quidam Hæretici ; neque talia docentes ſequitur : ſed authoritati divinarum literarum innititur ; atque ubi earum intelligentiam non fuerit aſſecutus (in multis ſiquidem pro illarum magnâ profunditate humanus caligat aſpectus) cognoſcens quid inde ſtatuerit univerſalis Eccleſia, errori ſuo piâ cordis humilitate renuntiat.* Verùm enimverò ſi Chriſtiano imperfecto fides è Scripturis haurienda fuerit ; ſi ad Eccleſiam recurrendum, quoties earum ſenſum minùs aſſecuti fuerint ; certè Scripturæ imperfectis etiam & indoctis patebant, neque illis ex imperitiâ factum eſſe præjudicium credebatur.

560. S. *Germanus, Pariſienſis Epiſcopus.*

Quali ſtudio plebs atque Clerus Pariſienſis pſalmodiam in Eccleſiâ ſub Germano Epiſcopo communi voce frequentârint, Venantius Fortunatus nos docet hiſce verſibus [d].

Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnis: [omnem.]
Certatimque monent, quis prior ire valet, &c.
Pontificis monitis Clerus, Plebs pſallit, & Infans:
Unde labore brevi fruge replendus erit.
Sub Duce Germano fœlix exercitus hic eſt.

595. *Gregorius* I. *Romanus Epiſcopus,*

Homil. 15 in Ezech. *In Scripturis invenimus prædicamenta operis & exempla virtutis: ibi jubetur, quid agere etiam corporaliter debemus; ibi hoc quod ad operandum præcipitur, in ſanctorum virorum ac fortium actione monſtratur, &c. Studete, quæſo, fratres chariſſimi, Dei verba meditari; nolite deſpicere ſcripta noſtri Conditoris, quæ ad nos miſſa ſunt. Multum valde eſt, quòd per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis ſuæ frigore torpeſcat. Cùm illâ præcedentes juſtos fortiter egiſſe cognoſcimus; & ipſi ad fortitudinem bonæ operationis accingimur; ſanctorum exemplorum flammâ animus legentis accenditur. Videt quæ fortia ab eis facta ſunt; & valdè indignatur ſibi, quia talia non imitatur. Unde rectè ſponſi voce ad ſponſam dicitur.* [e] Sicut turris David collum tuum, &c. Mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. *In collo etenim guttur, in gutture vox eſt. Quid ergo per collum ſanctæ Eccleſiæ niſi ſacra ejus eloquia deſignantur? In quâ dum mille clypei dependere memorantur; per hunc perfectum numerum numerus univerſus oſtenditur, quia univerſa noſtra munitio in ſacro eloquio continetur. Ibi quippe ſunt præcepta Dei, ibi exempla juſtorum, &c.*

[d] Pœmat. lib. 2. [e] Cant. IV.

CAPUT

CAPUT IV.

FRuſtra à nobis quærunt Pontificii tempus & Authorem introductæ in ſacris obeundis ignotæ linguæ. Senſim id atque incuriâ factum; prout lingua, quâ Officia Eccleſiaſtica condita erant, paulatim deſiit eſſe vernacula. Citiùs id in nonnullis, tardiùs in aliis regionibus evenit: & nullibi unico ſeculo, neque forſan pluribus, inchoatum ſimul ac finitum fuit: adeò ut certam quandam mutationis factæ epocham exigere abſurdum ſit. Id ſolum dixerimus, linguam Latinam in illis Occidentis partibus, quibus in uſu communi fuerat, vernaculam eſſe deſiiſſe inter finem ſexti & initium decimi ſeculi: Plura de mutatione in Galliis factâ obſervavit Reverendiſſimus Primas; quibus nos quædam adnotabimus. Linguam Latinam Galliæ olim vulgarem fuiſſe, in confeſſo eſt. Poſtquam autem Franci, Burgundiones, aliæque gentes, è Germaniâ profecti, Galliam inſederant; immenſam vocum peregrinarum vim induxerunt; quibus adeò contaminarunt linguam priſtinam, ut quamvis à linguâ Germanicâ recederent, & ad Romanam propiùs accederent, ab utraque tamen diverſam efformarent linguam; quæ Ruſtica Romana vulgò appellabatur. Cl. Uſſerius quidem dubitat, annon eadem fuerit lingua Gallorum & Germanorum, Caroli M. tempore communis: & communem fuiſſe ſtrenuè contendit Vitus Amerbachius ab Uſſerio citatus, cap. 5. ad annum 807. & Beatus Rhenanus, Rerum German. lib. 2. pag. 106. Verùm rem extra controverſiam ponet Concordatio Ludovici & Caroli fratrum in Conventu Argentoratenſi anno 842. facta; quæ habetur inter Capitularia [a] Caroli Calvi, Tit. 8. & apud Nithardum [b] lib. 3. Convenerant Argentinam Galli & Germani; illi Carolum, iſti Luodovicum ſecuti, ad pacem inter fratres ſanciendam. *Pax coiit: & ſacramenta quæ ſubter notata ſunt Lodhuuvicus Romanâ, Karolus verò Theudiſcâ lingua juraverunt; ac ſic ante Sacramenta circumfuſam plebem alter Theudiſcâ, alter Romanâ linguâ alloquuti ſunt:* Dein Allocutio utriuſque ad populum facta ſequitur; cui ſubjiciuntur Sacramenta à Fratribus & à populo utrinque præſtita. *Sacramentum Lodhuuvici, linguâ Romanâ.*

Pro Deo amur, & pro Chriſtian poblo, & noſtro commun ſalvament,

[a] Capitular. à Baluzio edita, Tom. 2. p. 39. [b] Inter Scriptores Coætan. Pithæi, p. 353.

diſt:

diſt di [1] *in avant, in quant Deus ſavir & podir me dunat; ſi ſalvarai* [2] *io ciſt meon fradre Karlo, & in adjudha & in cadhuna coſa* [3] *ſi com per dreit ſon* [4] *fradre ſalvar diſt,* [5] *in o quid il mi altre ſi fazet. Et ab Ludher nul plaid nunquam prindrai, qui meon vol* [6] *ciſt meon fradre Karle in damno ſit.*

Sacramentum Karoli lingua Theudiſcâ.

In Godes minna, [7] *ind durhtes Chriſtianes folches, &c.*

Sacramentum autem, quod utrorumque populus, quique propriâ linguâ, teſtatus eſt, Romanâ linguâ ſic habet.

Si Lodhuvigs [8] *ſacrament que ſon fradre Karlo jurat conſervat, &c.*

Theudiſcâ autem linguâ.

Oba Karl [9] *thea eid, &c.*

Hinc patet toto cœlo diſtâſſe linguas Gallicam & Germanicam tempore Conventûs iſtius habiti, nonniſi annis 28. poſt Caroli M. obitum. Quin & Ruſticam Romanam Gallis tunc vulgarem fuiſſe exinde conſtat; quodque notari imprimis meretur, eam à Latinâ haud adeò diſcrepâſſe; quin populus Officia divina Latinè celebrata adhibitâ aliquali induſtriâ intelligere poſſet. Neque enim preces publicas in plebis uſum vernaculè converti & recitari Eccleſiæ Antiſtites curabant; ſive id incuriâ factum, ſeu quod magis crediderim, ex nimio Sedis Romanæ cultu: cui in ſacris diſſentire Carolini Principes piaculum duxerunt, aut ſaltem ducere præ ſe tulerunt. Hinc exterminatus ab illis ex Eccleſiâ Gallicanâ antiquus Cantus, & Liturgia; & Romanus Ordo ac Pſalmodia introducta. Factum id à Carolo Magno Cl. Armachanus probare contendit: neque id diſſimulem quidem, rem ab illo promotam maximè & conſummatam. Pipinum interim Regem id primùm molitum eſſe, Carolus ipſe teſtis eſt. Ita enim in Conſtitutione [c] de emendatione librorum Eccleſiaſticorum, præfatur. *Accenſi Pippini genitoris noſtri exemplis, qui totas Galliarum Eccleſias Romanæ traditionis ſuo ſtudio cantibus decoravit.* Item alibi, [d] *Monachi cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel graduale officium peragant, ſecundùm quod genitor noſter Pipinus Rex decretavit, ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apoſtolicæ ſedis, & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam.* En cauſam introducti in Eccleſiam Gallicanam cantus Romani. Nec diſſimilis linguæ Romanæ in ſacris retinendæ prætextus.

[c] Capitular. Baluz. Tom. 1. p. 203. [d] Capitular. lib. 1. cap. 84.

Apud Nithardum 1 *en.* 2 *eo.* 3 *ſi cum om per.* 4 *frada.* 5 *ino.* 6 *viſt.* 7 *indhitbes.* 8 *ſagrament.* 9 *then.*

Procul

Procul autem abfuit ab iſtius ævi ſimplicitate; ut Eccleſiæ Rectores Scripturam aut Liturgiam à populi notitiâ conſultò occultari vellent. Pluribus modis plebis inſtructioni cautum eſt. Primùm enim tanta affinitas inter linguam Latinam & Ruſticam Romanam, tempore ſaltem Caroli M. interceſſit; ut populus Miſſam Latinam, præſertim toties recitatam, haud ægrè intelligeret, Scripturam etiam penitus non ignoraret. Præterquam enim, quòd Lectores jubeantur S. Scripturam clarè & diſtinctè legere, ita ut à plebe intelligi poſſint (1), prout ex variis Conciliorum hujuſce temporis decretis adnotavit Illuſtriſſimus Armachanus, cap. 7. conſtat plebem in Liturgiâ ſacrâ crebris reſponſoriis partes ſuas obiiſſe, & communes cum Sacerdote preces obtuliſſe. Id autem fieri nequaquam poterat; niſi intellectæ eſſent populo preces & reſponſoria. Sic enim in capitularibus à Benedicto Levita collectis habetur; [m] *Laicus non debet in Eccleſiâ lectionem recitare, nec Alleluia dicere, ſed pſalmum tantùm aut reſponſoria ſine Alleluia.* Et iterum, [n] *Gloria Patri & Filio & Sp. S. cum omni honore apud omnes canatur; & ipſe Sacerdos cum ſanctis Angelis & populis Dei cum unâ voce, Sanctus, Sanctus, cantet.* Deinde cùm in tantùm mutata fuerit lingua, ut Latina apud plebem penitus exoleſcere cœperit; duplex remedium adhibitum fuit: alterum ut Scriptura Sacra & Officia divina populo in Eccleſiâ coadunato linguâ vernaculâ à ſacerdotibus exponerentur; aliud ut populus elementis Latinis imbueretur. Prius præceptum reperitur inter Capitularia prædicta, lib. 6. cap. 376. *Epiſcopi diligenter per ſuas parochias diſcutiant Presbyteros; ut Miſſarum preces bene intelligant, & ut Pſalmi dignè ſecundùm diviſiones verſuum modulentur; & Dominicam Orationem ipſi intelligant & omnibus prædicent intelligendam; ut quiſque ſciat quid petit à Deo.* Quin & Epiſcopus cùm Diœceſin ſuam pro more viſitaret, petere tenebatur ab omni Presbytero; *Si Epiſtolam & Evangelium bene legere poſſet, atque ſaltem ad literam ejus ſenſum manifeſtare.* Prout legitur in Inquiſitione ſolenni, quæ apud Reginonem [o] extat. In nulla autem re magis enituit Eccleſiæ ſtudium; ut Plebs ſacram Liturgiam & Oracula calleret, quàm in infinitis ferè, quæ edidit, decretis de Scholis paſſim fundandis, in quibus pueri cujuſcunque ſortis, linguâ Latinâ gratis inſtituerentur. Id Eccleſia canonibus, id Imperatores edictis ſtrenuè procurabant. Scholæ iſtæ in Monaſteriis

[m] Lib. 5. cap. 112. [n] Lib. 6. cap. 376. [o] De Eccleſiaſt. diſciplin. lib. 1.

(1) Inter Capitula Caroli M. in Theodonis villâ anno 805. edita, primum eſt, *Lectores in Eccleſiâ diſtinctè legantur.*

primùm inſtitutæ ſunt: quâ de re extat Epiſtolâ [p] Caroli M. ad Baugulfum Abbatem Fuldenſem, quâ illum obnixè rogat, ut Scholam in Monaſterio ſuo aperiret. Poſtea verò cùm ad conſervandam S. Scripturæ & Miſſæ publicæ intelligentiam id neceſſarium deprehenderetur; ſingulis Presbyteris injunctum eſt, ut Scolas vicatim inſtituerent, & Pueros omnes ſuæ Parochiæ linguam Latinam gratis edocerent. Refert Monachus Engoliſmenſis, qui ſcripſit Vitam ejus, Carolum M. in eam maximè curam incubuiſſe, poſt tertium iter Romanum, cùm Grammaticos ab Urbe ſecum adduxiſſet anno 787. Hinc in Capitulari Aquiſgranenſi anno 789. evulgato juſſum eſt [q], ut Presbyteri pueros ſibi ſocient; *Et ut Scolæ legentium puerorum fiant, Pſalmos, notas, cantum, compotum, Grammaticam per ſingula Monaſteria vel Epiſcopia diſcant, ſed & libros catholicos bene emendatos habeant; quia ſæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant.* Et in Capitulari Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis anno 797. lato, caput 20. ſic habet; [r] *Presbyteri per villas & vicos ſcolas habeant; & ſi quilibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas literas eis commendare vult, eos ſuſcipere & docere non renuant, ſed cum ſummâ caritate eos doceant, &c. Nihil ab eis pretii pro hâc re exigant, neque aliquid ab eis accipiant.* Neve id Scripturæ diſcendæ gratiâ factum dubitemus; idem mandatum iiſdem verbis renovatur in Concilio Valentino III. anno 855. Canone 18. additâ ratione iſtâ; [s] *Quia ex hujus ſtudii longâ intermiſſione, pleraque Eccleſiarum Dei loca & ignorantia fidei & totius ſcientiæ inopia invaſit.* Sic & in *Capitulari* [t] *interrogationis de iis, quæ Karolus M. pro communi omnium utilitate interroganda conſtituit*, in Theodonis villâ anno 811. Articulus tertius eſt hujuſmodi; *Interrogare volumus ipſos Eccleſiaſticos; ut qui Scripturas ſanctas non ſolùm ipſi diſcere, ſed etiam alios docere debent.* Caroli decretum à Concilio Cabilonenſi II. an. 813. confirmatum eſt hiſce verbis; [v] *Oportet etiam, ut ſicut Dominus Imperator Carolus præcepit, Epiſcopi ſcolas conſtituant, in quibus & literaria ſolertia diſciplinæ, & S. Scripturæ documenta diſcantur.* Canonem iſtum renovârunt [x] Patres Concilii Pariſienſis anno 829. Inter Capitula Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis cautum eſt, [y] ut inquiratur in omni Parochiâ; *Si Sacerdos habeat Clericum, qui poſſit tenere ſcolam, aut legere*

[p] Capitular. à Baluzio edit. Tom. 1. p. 202. [q] Cap. 72. apud. Sirmondi Concilia Gallic. Tom II. p 152. [r] Ibid. p 215. [s] Ibid. Tom III. p. 104. [t] Capitular. Tom. I. p. 479. [v] Can. 3. Concil Gallic Tom. 2. p. 3 8. [x] Lib. 3. c. 12. [y] Par. 2. cap. 11. Concil. Gallic. Tom. III. p 623.

Epiſtolam,

Epiſtolam, aut canere valeat. Neve libri legentibus deſint; in Capitularibus à Benedicto Levita collectis juſſum eſt, [y] *ut in Eccleſiis libri Canonici veraces habeantur.* Denique cùm neque frequens ſcholarum multitudo, nec aſſidua Presbyterorum interpretatio, craſſam S. Scripturæ ignorantiam laicorum mentibus eximere potuerint; Concilium apud Saponarias anno 859. habitum, collapſum divinæ legis ſtudium deflet, idque iterum inſtaurari vehementer ſuadet, Canone 10 [z]. qui aſcribi huic loco imprimis meretur; *Statuimus, ut Scolæ ſanctarum Scripturarum, & humanæ quoque literaturæ; unde annis præcedentibus, per religioſorum Imperatorum ſtudium magna illuminatio Eccleſiæ & eruditionis utilitas proceſſit; deprecandi ſunt pii Principes noſtri, & omnes Fratres & Coepiſcopi noſtri inſtantiſſimè commonendi; ut ubicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt, fideliter & veraciter intelligentes, donare dignatur; conſtituantur undique Scolæ publicæ: ſcilicet ut utriuſque eruditionis, & divinæ ſc. & humanæ, in Eccleſiâ Dei fructus valeat accreſcere; quia, quod nimis dolendum eſt, & pernicioſum maximè; divinæ Scripturæ veræ & fidelis intelligentia jam ita dilabitur; ut vix ejus extrema veſtigia reperiantur. Et idcirco ingenti curâ & ſtudio remedium procurandum eſt.*

[y] Lib. 6. c. 289. p. 971. [z] Concil. Gallic. Tom. II. p. 155.

CAPUT V.

601. *Joannes Climacus, Abbas Sinaita,*

SCala Paradiſi, grad 27. cap. 2. num. 38, 39. (1) *Per noctem ut plurimùm precibus & meditationibus da operam, Pſalmodiæ parum. De die autem accinge rurſum ad opus tuum pro viribus tuis peragendum. Non mediocriter ſolet illuſtrare & colligere mentem lectio. Verba enim Spiritus Sancti ſunt, & lectores omnino dirigunt & moderantur: ſit tibi operanti lectio accommodata ad actionem.*

Grad. 28. num. 5, &c. Fusè diſputat orationi mente neceſſario attendendum eſſe; ita ut inter precandum (2) *mens in iis tantùm hæreat, quæ meditanda & tractanda propoſuit, &c. Magnus ille magnæ & perfectæ orationis cultor,* Volo *(inquit)* quinque verba ſenſu meo loqui; *& quæ ſequuntur.*

620. *Author Chronici Alexandrini.*

Chronicon iſtud ſub Heraclii imperio ſcriptum eſſe ex poſteriore ejus parte, clariſſimis indiciis patet. Authorem domo Alexandrinum fuiſſe ex pag. 366. haud obſcurè colligitur. Pag. 213. verba iſtiuſmodi leguntur; *David Pſalmos quatuor de rebus ad Dominum duntaxat ſolum pertinentibus voluit componere & præcinere;* (3) *alios autem omnes ad aliorum hominum ſalutarem inſtitutionem aut rerum aut hiſtoriarum omnibus propoſiturus. Quare & modulata & rythmis concinnata illa* [præcepta] *voluit edere; ut eſſent ad captum prona, & memoriâ facilè ab omnibus ob*

(1) Νύκτωρ μὲν τὰ πολλὰ τῇ προσευχῇ δίδου, τὰ δὲ βραχέα τῇ ψαλμῳδίᾳ. Οὐ μετρίως φωτίζειν καὶ ἐπισυνάγειν τὸν νοῦν ἡ ἀνάγνωσις πέφυκε. Λόγοι γὰρ πνεύματος ἁγίου ὑπάρχουσι, καὶ τοὺς μετερχομένους πάντως ῥυθμίζουσιν.

(2) Τὸ ἐν τοῖς λεγομένοις ἢ νοουμένοις μόνοις εἶναι τὴν διάνοιαν. —— ὁ μὲν μέγας τῆς μεγάλης καὶ τελείας προσευχῆς ἐργάτης φησὶ, Θέλω εἰπεῖν πέντε λόγους τῷ νοΐ μου, καὶ τὰ ἑξῆς.

(3) Κοινωφελῆ διδασκαλίαν τοῖς πᾶσιν ἐκτιθέμενος. Διὰ τοῦτο καὶ ἐμμελῶς, καὶ μετὰ ῥυθμοῦ ταῦτα ἐξεῖπεν, ἵνα εὐκάτοχα καὶ εὐμνημόνευτα τοῖς πᾶσιν ὡς τερπνὰ γένωνται. Καὶ τοῦτο εὔδηλον ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ κόσμου ᾀδόμενα τὰ τοῦ Δαβὶδ εὑρίσκομεν, καὶ σχεδὸν ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων μικρῶν τε καὶ μεγάλων διὰ στόματος φερόμενα καὶ καθ' ἑκάστην ᾀδόμενα καὶ μελετώμενα καὶ μνημονευόμενα πολὺ τῶν ἄλλων προφητῶν καὶ χαρῶν.

eorum ſuavitatem comprehenderentur. Id quod minimè eſt obſcurum; cùm per totum terrarum orbem in omnibus templis Davidis odaria decantentur, atque etiam in omnium ferè ore parvorum juxta ac magnorum circumferantur ac celebrentur quotidie, menteque aſſiduè ac memoriâ revolvantur, & plùs quàm omnium aliorum Prophetarum ſcripta ac monumenta recolantur. Sic locum frigidè ſatis vertit Matthæus Raderus Jeſuita, vir quidem non indoctus, in hàc tamen Verſione conficiendâ parùm fidelis aut accuratus. Unicum inauditæ oſcitantiæ exemplum proferam, p. 563. Juxta Verſionem Latinam pura puta hæreſis docetur, nempe falſum eſſe juſtos Cœlum aſſecuturos propter Chriſti in Terris actam vitam; adeóque Raderus, Lectori timens, conſultum duxit cautelam margini apponere, & *duriùs* eſſe dictum clamare. Verùm enimverò ſi Græca conſulas; nihil durum, nihil non orthodoxum reperies.

650. *S. Maximus Abbas*

Myſtagog. (ſeu Expoſit. Liturgiæ Eccleſ.) cap. 8. (4) *Divinas autem ſacratiſſimorum librorum lectiones, divinas beataſque ſanctiſſimi Dei voluntates ſubinnuere* (declarare) *aiebat Magiſter; ex quibus agendorum documenta ac præcepta pro ſuo quiſque captu, ac ejus, quæ ineſt, facultatis vi accipimus; divinorumque ac beatorum certaminum leges diſcimus; pro quarum ratione legitimè certantes, condignas Chriſti regno victrices coronas conſequimur.*

653. *Iſidorus Junior, Epiſcopus Hiſpalenſis,*

Epiſt. ad Leudefredum Epiſcopum Cordubenſem; [a] *Ad Lectorem pertinet, lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare.*

670. *Cædmonus.*

Paraphraſis Saxonica in Geneſin, & præcipuas S. Scripturæ Hiſtorias à Franciſco Junio evulgata eſt Amſtelodami, 1655. 4to. Illam

[a] Concil. Tom. VI. pag. 421.

(4) Τὰς δὲ θείας τῶν πανιέρων βίβλων ἀναγνώσεις, τὰς θείας καὶ μακαρίας τοῦ παναγίου Θεοῦ βουλήσεις, καὶ βουλὰς ὑπεμφαίνειν ἔλεγεν ὁ διδάσκαλος, δι' ὧν τὰς ὑποθήκας τῶν πρακτέων ἀναλόγως ἕκαστος ἡμῶν λαμβάνομεν, καὶ τοὺς τῶν θείων καὶ μακαρίων ἀγώνων νόμους μανθάνομεν, καθ' οὓς νομίμως ἀθλοῦντες, &c.

Junius

Junius Cednomo tribuit. Exemplar ejus MS. penès Armachanum fuerat. Id enim Somnero Dictionarium Saxonicum molienti commodavit; uti Somnerus in Præfatione gratus agnoſcit. Quin & Junius in Præfatione exemplar ſuum Armachano acceptum refert. De Cednomo iſta habet Joannes Tinmuthenſis in *Hiſtoriâ Aureâ* MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, lib. 20. cap. 7. *Cednom fecit mira poemata quaſi per omnes ſacræ Scripturæ Hiſtorias. —— Divinitus edoctus in linguâ Patriâ facere carmina compunctiva; cui nullus alius in hujuſmodi potuit æquiparari.*

706. *S. Aldhelmus, Epiſcopus Schirburnenſis,*

Lib de Virginitate (inter Orthodoxographa Baſil. 1569. Tom. V. pag. 1677.) laudat Virgines ſacras ad quas ſcribit; quòd in earum Epiſtolâ ad ſe ſcriptâ, *melliflua divinarum ſtudia Scrpturarum ſagaciſſimâ ſermonum ſerie patuerunt.* Et poſtea eaſdem prædicat, quòd *per ampla Scripturarum ſtadia decurrentes, ſagaciſſimam animorum induſtriam, & vivacis ingenii qualitatem aſſiduâ lectionis inſtantiâ exercere noſcantur.* Hinc clarè patet Verſionem S. Scripturæ Anglicam Aldhelmi ævo extitiſſe. Aliter impoſſibile fuiſſet fœminis Scripturæ ſtudium excolere: cum Latinæ linguæ notitia adeò rara apud Anglos illâ ætate fuerit, ut pauciſſimi etiam è Clero eam vel ſummis labiis deguſtârint. Primus certè Anglorum Aldhelmus Latinè ſcripſit, Latinis literis Romæ & in Galliis imbutus. Quin & ipſum Verſionem Scripturæ Anglicam fieri curâſſe veri non eſt abſimile. Ut Balei enim teſtimonium de Pſalterio ab illo Saxonicè ſeu Anglicè converſo taceam: extat etiamnum Epiſtola ejus ad Ehfridum, quâ illum multis obſecrat, ut divina eloquia in communem omnium uſum vernaculâ linguâ explicaret. Illam ex vetuſtiſſimo exemplari (quod ante Normannorum adventum exaratum, primò Monaſterii Abendonienſis, dein viri doctiſſimi Thomæ Allen, Oxonienſis, fuerat) deſcripſit Cl. Uſſerius, & cum tribus aliis ejuſdem exemplaribus in Bibliothecis Regiâ, Cottonianâ, & D. Willelmi Howard de Naworth, accuratè contulit; adjectis etiam Gloſſis, quæ in Codice Abendonienſi, ſingulis lineis interjectæ erant. Apographum inter laceras quaſdam Reverendiſſimi Primatis ſchedas inveni, quod tamen dolendum erat, in fine mutilatum. Quæ deerant igitur Epiſtolæ ex Codice Abendonienſi ſupplevi & Cottoniano contuli; illamque, utpote hactenus ineditam, integram ſubjeci.

Epiſtola Aldhelmi Epiſcopi ad Ehfridum.

Domino venerabili præconio efferendo & Sanctorum meritis magnopere honorando, Ehfrido [a] Aldhelmus exiguus in Domino æternam ſalutem.

[b] Primitus [c] pantorum procerum prætorumque pio [d] potiſſimum paternoque [e] præſertim privilegio panegyricum poemataque [f] paſſim [g] proſatori ſub [h] polo promulgantes [i] ſtridulo vocum [l] ſymphoniâ; ac melodiæ cantilenæque carmina modulaturi hymnizemus: præcipuè quia tandem almæ editum [m] puerperæ [n] ſobolem ob inextricabile [o] ſogus Protoplaſtorum piaculum priſcorumque chirographum [peccaminum, *MS.Cot.& Reg.*] obliteraturum terris tantundem deſtinare dignatus eſt: luridum qui linguis [p] celydrum triſulcis rancida virulentaque vomentem per ævum venena torrenda tetræ tortionis in tartara truſit. Et ubi pridem [q] eadem nefandæ [r] nutricis [s] ermula cerbuluſque crudâ fanis colebantur ſtoliditate in profanis; versâ vice diſcipulorum [t] gurgitia, immo almæ [v] oraminum ædes architecti ingenio [w] fæbrè [x] conduntur. Fateor ſodalitatis fraternæ cliens, altique municipatûs municeps; poſtquam veſtram [a] repedantem iſthuc ambroſiam ex [b] Iberniæ drumoſis [c] circionis inſulæ climatibus; ubi ter bino circiter annorum circulo [d] uber ſophiæ ſugens [e] metabatur; Territorii marginem Britannici ſoſpitem applicuiſſe rumigerulis referentibus comperimus: Illico, ut flammiger flagranſque flagitabat amor, ineffabiles altithrono grates panſis in edito utrinque [f] volis tripudiantes obtulimus. Potiſſimùm quòd te exulem almus arbiter priſcam [g] paterna viſitantem clientelam [h] rura cærula ponti trans [i] glaucia [l] inormeſque dodrantium [m] glareas atque ſpumiferas [n] lymphæ obſtirpationes circili [o] carenâ proceſſoſum ſulcante ſalum reducere ovante [p] novarco dignatus eſt: ut ubi dudum incunabulis [q] tyrocini [r] editus rudibus adulto tenus pubertatis ævo adoleveras; nunc

[a] Heahfrido, *MS.Cotton.* [b] *Nota primas* 13. *voces incipere literâ* p. [c] *Gloſſ.* i.e. cunctorum. [d] ſanctiſſimum, optimum. ſinceriſſimum, *Gl.* [e] i.e. excellenter, *Gl.* [f] vel diſperſim, i. e. abundanter. *Gl.* [g] i.e. genitori, *Gl. MS. Alan. & Cotton.* [h] i.e. cælo, *Gl.* [i] ſtriduiâ, ſymphoniæ, *Cotton.* [l] carmine, *MS Reg. & Cot.* [m] puerperio, *Cot.* [n] i.e filium. progeniem *Cot.* [o] i.e. noxium. [p] chelydrum, *Cot.* [q] ejuſdem, *MS. Cot. quæ lectio etiam annotatur in Regia Cod.* [r] i.e ſerpentis [s] ermuli cervuliquc, *Cot.* [t] *al.* gurguſtia, *quomodo etiam legitur in Cot.* [v] orationum *Al. & Cot.* [w] fabrè. *Reg. & Cot.* [x] i.e. ingenioſe. [a] i.e remeantem. [b] Hiberniæ, *Reg. & Cot.* [c] circionum, *Cot.* curriculo, *Reg.* [d] i e. uberrima. [e] i.e. caſtrametatus eſt, vel manebat. [f] i.e. manibus. [g] paterni, *Cot.* [h] ruris, *Cot.* [i] *reflè omittitur in Cot.* [l] i.e magnas. [m] lapilli parvi a. cum maris mixti. [n] nymphæ, *Cot.* [o] carina, *Cot.* [p] novarto, *Cot.* [q] tyrocinii, *Cot.* [r] *al.* eruditus.

versâ

verſâ vice ſuperna opitulanti [s] prærogativâ [t] adfatim fultus, ab incolatu externi ruris repatrians; præceptoris vocamine [v] indepto ſortitoque fretus fungeris.

Illud æquè almitati Beatitudinis veſtræ ex penetrabilibus præcordii nequaquam [w] promſiſſe diſſimulo propalare ad [x] agmentum [z] myſtiſque ut reor [b] tripudii; immò ad [c] doxam onomatis cyrii magnopere [d] inoleviſſe; quod præconio [e] ultra modum rumoris Scottico in ſolo degentium, quorum contubernio [f] parumper fretus es, centonitruali quodam boatu, fragore [g] nimboſo emergenti, auditus noſtri quatiuntur: & per tot tantaque telluris ſtadia lectionis opinio [h] pagus provinciiſque devulgata crebreſcit. Siquidem tam creber [i] meatus eſt iſthinc illincque [l], [m] navigero æquoreas fretantium [n] calle gurgites; velut quædam contribula apium germanitas nectar [o] fabrè conficientium. Nam quemadmodum [p] alternantes [q] reciprocâ [r] faceſſante noctis nebulâ mellifluum examen emergente axe tenus æthere [s] Titanæ [t] gleſcentium culmina [v] tiliacum florulenta, ad crates graciles [w] ſarcinatam [x] flauci [a] bajulans geſtamina aſportat. Eodem modo, ni fallor, lurconum conglobatio lectorum [b] tunningtat fpið, ac reſidua ſagax diſcipulorum caterva florigeris [c] agiographæ ex [d] arbis non ſolùm artes grammaticas atque geometricas, biſternaſque omiſſas Phyſicæ artis [e] mechinas; quinimo allegoricæ potiora ac tropologicæ diſputationis bipertita bis oracula æthralibus [f] opacorum mellita in ænigmatibus [g] problematum [h] ſiticuloſè ſumentes carpunt; & in alveariis ſophiæ jugi meditatiône, [i] idem tenus ſervanda condentes abundant: è [l] quorum [m] catalogo tuam [n] proficiſci ſolertiam prædâ [o] onuſtâ atque torrente [p] ſacro [q] ſanctè [r] propinatum redundantemque excellens fama [s] procrebuit [t].

[s] i.e. Excellentiâ [t] affatim, *Cot.* [v] i.e. potito vel conſecuto. [w] promens, *Cot.* [x] augmentum, *Cot.* [z] myſte .ıs. *Gl.* [b] i.e. gaudii. [c] *[illegible]* *J. V.* [d] invaluiſſe *vel* conſuevisſe. *Gl.* [e] citra, *Reg.* & *Cot.* *rectè.* [f] paulùlum, modicùm, valde parum, *Gl.* [g] *al.* horriſono, *Hæc lectio notatur etiam in MS. Reg.* & *Cot.* [h] pagis, *Reg.* pagis, *Cot.* *rectè.* [i] i.e. tranſitus. [l] iſthuc illucque, *additur in MS. Reg.* & *Cot.* [m] i.e. navem gerente. [n] i.e. ſemita. [o] i.e. ingenioſè. [p] alternatim, *Cot.* [q] i.e. reductâ *vel* vicariâ. [r] i.e. deficiente. [s] Titane, *Cot.* [t] creſcentium. [v] tiliarum per florulenta, *Cot.* [w] examen [x] flavi, *Cot.* & *Reg.* [a] i.e. portans. [b] tunningt tatrrid, *Cot.* tunningtat fpið, *Reg.* [c] i.e. ſanctæ Scripturæ. [d] *an* arvis? *an ut in margine Regii Codicis videtur annotatum*, carris? *In Cottoniano disertè habetur* cartulis; *quod retinendum.* [e] machinas, *Reg.* & *Cot.* [f] i.e. ſecretorum. [g] i.e. parabolarum, quæſtionum, propoſitionum. [h] ſiticuloſæ, *Reg.* [i] lauto tenus, *ſic legitur in Reg.* & *Cot. atque ita hic reponendum.* [l] ſc. lectorum. [m] i.e. numeratione *ſive* ſerie. [n] profeciſſe, *Cot.* [o] i.e. impletâ. [p] fluentis *interponitur hic in Cot.* & *annotatur in margine Regii Codicis.* [q] ſacroſancti, *Cot.* [r] propinatum, *Cot. Sic etiam fuit in Reg. ſed emendatur* um. [s] remeâſſe *interponitur in Cot.* & *annotatur in marg. Reg.* [t] percrebuit, *Cot.*

Quamobrem

Quamobrem [v] tuum effabilem diſcipulatum ceu cernuus ſingultatim arcuatis poplitibus ſubnixiſque precibus efflagito; ut oblitteratâ nequaquam memoriâ excedat, quod [w] pacificus [x] cœlitus ambroſiâ [a] prædiτus, [b] ſubrogatus [c] genitore jure hæreditario, bis quaternis temporum luſtris [d] Iſraelitici Plebis imperii [e] ſceptro fungens, [f] almo auctus [g] ſpiramine, prompſit dicens: [gg] *Bibe aquam de ciſternâ tuâ, & fluenta putei tui; deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas divide; ſolus habeto eas;* [h] *ne ſint alieni participes tui.* Quapropter his ſacris [i] imbutus [l] ſagminibus, jugi conamine orthographiæ aperito gurgitem; & ſitientia [m] rigito arva mentium; quatenus germen æthralis extaſeos vivis fœcundiſque in [n] horthodoxorum ſatoris ſudore ſulcis ſatum, nullo torridæ obſtaculo ſiccitatis obtinente pullulans [o] gleſcat; & ubertim ſpiſſa Dei ſuffragio ſeges demum matureſcat. Nam idcirco ſupplex tam obnixè [p] hæc cernitur oramen ſuggeſſiſſe; quòd nonnulli ſupernâ noſcuntur [q] ſophâ præditi, [r] & archanâ luce inormiter [s] ferti. Attamen quod gratuitâ cœlitus munificentiâ Deique dapſili [t] dedicatione receptantes proprio faceſſante meritorum quæſtu adepti ſunt: Nequaquam gazophylacio ſcientiæ [v] ſerrato [w] plenè promulgantes, ſed particulatim lurconibus largientes. Nam [x] cata Evangelicum experimentum auctoritatis nequaquam flagrans [a] lichinus [b] clanculæ fuſcata [c] tetrâ occulitur latebrâ urnæ; qui candelabri ſummitate cunctis limpido lumine lucere decuit. Necnon fruſtra talenti fœnora ſubterraneis [d] clanculantur [e] obſtructa ſablonibus; quæ trapezitarum numeroſis [f] monetæ oportuiſſent nummiſmatibus profligari; ne fortè ut iners [g] adepto ſegnitia torpens mancipium talento [h] ſupræmò ergaſtulorum in ſqualores truſus [i] præcipitaretur: ſed potiùs evax eugeque [l] ingreſſuro tripudium à [m] proſatore

[v] Tam affabilem, *Cot.* [w] i.e. Solomon. [x] cœleſti, *Cot. quæ lectio etiam annotatur in marg. Reg.* [a] i.e. honoratus. [b] i.e. conſtitutus. [c] i.e. Patre David. [d] Iſraeliticæ, *Cot.* [e] i.e. regno. [f] i.e. ſancto. [g] i.e. ſpiritu. [gg] *Proverb.* V. Locum iſtum de vulgandâ Scripturarum cognitione alii etiam ſequioris ætatis Authores haud abſimili modo interpretantur. Sic enim Stephanus Langton, Archiepiſcopus Cantuarienſis, in Expoſit. in Iſaiam, MS. in Biblioth. Lambeth. in Cap. II. 3. *Item in Proverbiis,* Bibe aquam de ciſternâ tuâ: —— & habeto eas ſolus: *Primo debet penitus in S. Scripturâ aquam de ciſternâ ſuâ bibere, id eſt, proprium factum de ſcientiâ ſuâ elicere; & poſt derivare foràs, i.e. aliis talentum ſcientiæ ſuæ participare, & poſt participationem habere eas ſolus, id eſt, non inanem gloriam ex iis quærere.* Quinetiam Petrus Comeſtor in Serm. 19. in Aſcenſione Domini, MS. ibid. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *Sacra enim Scriptura panis eſt, quo ſaginatur anima, cognitâ veritate. Datum eſt talentum Domini ad uſuram. Derivandi ſunt fontes tui foràs.* [h] nec, *Cot.* [i] i.e. educatus. [l] ſagmina à ſanciendo, i.e. confirmando, *Gl.* [m] rigato, *Cot.* [n] orthodoxorum, *Cot.* [o] gliſcat. [p] hoc, *Cot.* [q] ſophiâ, *Cot.* [r] ac, *Cot.* [s] referti, *Cot.* [t] deditione, *Cot & Reg.* [v] reſerato, *Cot.* [w] plenæ, *Reg.* [x] κατὰ. [a] lychinus, *Cot.* [b] clanculè, *Cot.* [c] terræ, *Cot.* [d] i.e. occultantur. [e] *al* obſtruſa. [f] monetata *Cot.* [g] ab, *interponit Cot & Alan.* [h] ſupremo, *Cot.* [i] præcipitetur, *Cot.* [l] ingreſſus *vel* ingreſſurus, *Cot.* [m] i.e. patre, *J. V.*

[n] ſuo [o] promeretur. Unde Pſalmigraphus Vates ob hoc propriæ piaculi expians flagitium [p] conſciæ, ſacro præſagio orſus infit: *Juſtitiam tuam non* [q] *abſcondi*: & reliqua.

Sed hæc miſellus homuncio dictando volvens [r] ſcrupulo ancipiti extimplo [s] quatiens angebar. Quur, inquam, Hibernia, [t] quà catervatim iſthinc [v] lectitantes claſſibus advecti confluunt, ineffabili quodam privilegio efferatur; ac ſi iſthic fœcundo Britanniæ in ceſpite [y] dedaſculi Argivi Romanive [z] Quirites [a] repperire minimè queant: qui cœleſtis [b] tetrica enodantes [bb] Bibliothecæ probleſmata, ſciolis reſerare ſe ſciſcitantibus valeant. Quamvis enim prædictum Hiberniæ rus diſcentium opulans vernanſque, ut ita dixerim, paſcuosâ numeroſitate Lectorum; quemadmodum poli cardines aſtriferis micantium ornentur vibraminibus ſiderum: aſt tamen climatis Britannia occidui in extremo fermè orbis margine ſita, verbi gratiâ, ceu Solis flammigeri & luculento Lunæ ſpecimine [c] potiatus, id eſt, Theodoro inſulâ Pontificatus fungenti, ab ipſo tyrocinio rudimentorum in flore [d] Philoſophiæ artis adulto; necnon [e] & ejuſdem ſodalitatis [f] cliente Hadriano duntaxat urbanitate enucleatâ ineffabiliter prædito; & audacter in propatulo conteſtans pellaci falſitatis [g] fribulo neglecto æquâ veritatis cenſurâ trutinante diſcernam: etiamſi beatæ memoriæ Theodorus ſummi ſacerdotii gubernacula regens, Hibernenſium globo diſcipulorum, ceu aper truculentus moloſſorum catalîâ ringente vallatus ſtipetur; limato perniciter grammatico dente jacturâ diſpendii carens rebelles phalanges diſcutit, [h] autpote belliger in meditullio campi arciſter legionum [i] phalangibus ſeptus [l] æmulorum ſpiſſis mox nervoſis tenſo lacertorum [m] vocis arcu ſpiculiſque ex pharetrâ exemptis, hoc eſt, [n] Chronograghiæ opacis acutiſque ſillogiſmis turma ſupercilii [o] typho turgens, amiſsâ [p] ancilium teſtudine terga dantes, latebras antrorum atras triumphante victore [q] præproperè petunt. Neu tamen hæc Philoſophando, Scotticos ſciolos, quorum gemmato tua ſagacitas dogmatum favo aliquantiſper abuſa eſt,

[n] Pro, *Cot. quæ lectio etiam annotatur in marg. Reg.* [o] promereatur, *Cot.* [p] conſcientiæ, *Cot. quæ lectio etiam* [illegible] *in marg. Reg.* [q] abſcondidi, *Cot.* [r] ſcrupuloque, *Cot.* [s] *Hactenus Apographum Uſſerianum.* [illegible] *Codice Arundelliano (qui Oxonii aſſervatur) ſupplenda curavi. Varias etiam Lectiones Codicis Cottoniani, & Gloſſas* [illegible] *adnotavi.* [t] quò, aliàs quà. *Gl.* [v] *al.* lectores, *Gl.* [y] didaſculi, *Cot.* [z] [illegible] colle [illegible] dictus eſt; quia in eum commigraverunt Sabini à Curibus venientes; quamvis alii à templo Quirini [illegible] putant, *Gl.* [a] repperiri, *Cot.* [b] i.e. obſcura. [bb] *i.e. Sacræ Scripturæ.* [c] potiatur, *Cot.* [d] Philoſophicæ, *Cot.* [e] etiam, *Cot.* [f] clienti Adriano *Cot.* [g] frivulo, *Cot.* [h] & utpote, *Cot.* [i] i.e. multitudinibus. Eſt multitudo militum vel legio vel multitudo inordinata, *Gl.* [l] i.e. invidorum. [m] velis *Cot.* [n] i.e. brevis vel temporalis Scripturæ, *Gl.* [o] [illegible] [p] i.e. Sanctorum, hoc ancile, [illegible] *Gl.* [q] properè, *Cot.*

[r] ſuggil-

[r] ſuggillare à quoquam autumer; quippe cùm ſatagerem præconium cudens affabiliter texere [s] noſtrorum, non ſuggillationem ridiculosè cachinnans [t] rumigerare veſtrorum; ſed potiùs [v] Jociſtæ [x] ſcurræque ritu [y] dicacitate temerariâ loquentium. [z] fraternia hironia dilectionis obtentu [a] cavillabatur. Si verò [b] quippiam inſcitiâ ſuppeditante garrula frontosè convincitur pagina [c] promiſſe: ut Verſidicus ait:

Digna fiat fante glingio gurgo [d] fugax fambulo.
[e] Neu timeat Scriptor terrentis ludicra linguæ.
Sic ſemper cupiunt Scriptorum carpere cartas:
Ut caper hirſutus rodet cum dente racemos.
Nec tamen emendant titubantis gramma Poetæ.
[f] Arbiter æternus tibi jam miſereſcat in ævum,
Fulgens divitiis, ſemper & ore clarus.

Hactenus Aldhelmi Epiſtola. Heahfridum (quem etiam Ehfridum, Eadfridum, Ecgfridum, Ecgbertum vocant) Aldhelmo morem geſſiſſe patet ex Gulielmi Butleri teſtimonio; quod à Baleo [g] mutuatus Cl Uſſerius ſupra repoſuit, cap. 5. ad an. 710. Addit Baleus Bedam Egberto ſive Ecgfrido Lindisfarnenſi Epiſcopo miſſâ Epiſtolâ objurgatoriâ muneris Paſtoralis incuriam increpuiſſe, & *de Sacrâ Scripturâ in linguam Saxonicam vertendâ* ſubmonuiſſe. Erráſſe quidem Baleum, quamque Ecgberto Eboracenſi Archiepiſcopo nuncupavit Beda, Lindisfarnenſi Epiſcopo cognomini inſcripſiſſe Epiſtolam, libenter crederem. Heahfridum autem noſtrum, ad quem ſcripſit Aldhelmus, ſedem poſtea Lindisfarnenſem tenuiſſe parùm dubito. Et nomen enim & tempus & eruditio apprimè conveniunt. Quodque de noſtro indicat Aldhelmi Epiſtola de Lindisfarnenſi narrat Beda [h], illum pluribus annis in Hiberniâ ſacrarum literarum ſtudio operam dediſſe, & *in Scripturis doctiſſimum* fuiſſe. Verùm ut ad librum ejus de Virginitate redeam; habetur inibi paulò poſt initium locus non contemnendus,

[r] i.e. Reprehendere. [s] non horum, *Cot.* [t] rumigerari, *Cot.* [v] Jociſta dicitur, qui in verbis jocatur, *Gl.* [x] vel ſcurrique, *Gl.* Dicax, qui verbum bene loquitur. [y] i.e loquacitate. [z] fraterna, *Cot.* [a] i.e. calumniabitur. [b] quempiam inſcitia moveat ſubpeditantem, *Cot.* [c] prorumpente, *Cot.* [d] *Gl* Fugax Gurgo eſt (id eſt, *Cot.*) Virgo imperante novercâ de matrimonio expoſita, inter feras enutrita, ferarum conſuetudinibus aſſueſcens. Quæ alio nomine Juturna. Fante glingio, i.e. rogante fratre, vel alio quolibet amico, ut digna fieret illi fugax gurgo fambulo, i.e. reverſione & fine laboris, (vel fine laborum, *Cot.*) [e] Heu, *Cot.* [f] Binos hoſce verſus addit Codex Cottonianus, in Abendonienſi deſideratos.

[g] Cent. 2 cap. 4. [h] Hiſt. Eccl. Angl. lib. 5. cap. 4. 10.

niſi quòd in exemplaribus vulgatis miſerè depravetur. Illum igitur ex venerandæ vetuſtatis Codice MS. Biblioth. Lambethanæ, Saxonicis literis pulcherrimè exarato, emendatum dabo. *Nam quemadmodum ex amenariâ* (Codex Lamb. *examen arta*) *feneſtrarum foramina & anguſta alvearii veſtibula catervatim per turmas egreſſus* (*egreſſum*, Cod. Lamb. *amœna arborum* (*arvorum*, Lamb.) *prata populatur: eodem modo veſtrum, ni fallor, memoriale mentis ingenium per florulenta Scripturarum arva late vagans, bibulâ curioſitate decurrit; nunc divina priſcorum Prophetarum Oracula, certis aſtipulationibus jamdudum Salvatoris adventum vaticinantia enixiùs inveſtigando, nunc antiquarum arcana legum ab illo* (Moſe) *mirabiliter digeſta, &c. ſollicitâ intentione ſcrutando: Nunc quadrifariàm* (*quadrifaria* Lamb.) *Evangelicæ relationis dicta ſolerter indagando.*

Locum ex Aldhelmi cujuſdam Abbatis Epiſtolâ, juſſu S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini conſcriptâ, ab Ill. Primate indicatum, nos ſupra exhibuimus, cap. 5. ad an. 700. Aldhelmum iſtum Serarius in Notis [a] eundem fuiſſe aſſerit cum Aldhelmo Epiſcopo Schirburnenſi; errore quidem manifeſto. Noſter enim Aldhelmus anno 709. obiit, quatuordecim ſc. annis antequam Bonifacius dignitatem Epiſcopalem obtinuit. Id quod etiam ex præcedentibus Bonifacii Epiſtolis Serarius obſervare potuerat; in quibus [b] Aldhelmi *Epiſcopi & Scriptoris*, utpote jampridem defuncti, memoria celebratur.

730. *Beda Venerabilis.*

Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ Bedæ Expoſitio Geneſeos, ad Accam, libris III. In eâ explicantur 21. priora Geneſeos Capita. Expoſitio Capitis primi duntaxat habetur inter Opera Bedæ, Tom. IV. titulo *Commentarii in Hexaemeron.* Reliqua nondum prodierunt. Inibi lib. 2. ad cap. 11. de confuſione linguarum agens, hæc habet: " Mirâ immutatione dexteræ excelſi factum eſt; ut ſicut hîc (in " ædificatione turris Babel) linguis ob ſuperbiam diviſis, gentes ſunt " ab invicem toto orbe diſperſæ; ita illic (in Eccleſiâ) ob meritum " humilitatis adunatâ diverſitate linguarum, collecti ex omni na- " tione, quæ ſub Cœlo eſt, populi, unâ ac non diſpari confeſſione " ac fide laudes & magnalia Dei reſonarent. Meritòque hæc civitas,

[a] Pag. 303. [b] Epiſt. 4.

" in

" in quâ linguæ diviſæ, ac gentes ſunt diſperſæ : Babylon, i.e. confuſio.
" illa dicitur Jeruſalem, i. e. viſio pacis ; in quâ adunatis in Dei laudem
" loquelis, univerſarum gentium eſt facta concordia.

Lib. 3. in cap. 18. " Tulit quoque Abraham butirum & lac & vi-
" tulum, & poſuit coram eis.] Per lac primordia & velut elementa
" legis Moſaicæ, per butirum Evangelicæ perfectio doctrinæ ; per
" lac ſimplicitas literæ in Scripturis ; per butirum virtus ſensûs my-
" ſtici, qui de literâ generari ſolet, exprimitur. Vel certè lac ini-
" tium fidei, butirum perfectionem operis, quæ ex fide creatur, inſi-
" nuat. Quæ cuncta Abraham poſuit coram viris quos ſuſceperat ;
" ut ſignificaret filios promiſſionis epulas ſpirituales Domino ſemper
" oblaturos, panes videlicet lectionum ſacrarum, vitulum dominicæ
" incarnationis, lac fidei ſive Hiſtoricæ perfectionis, butirum ſenſuum,
" ſive operum bonorum.

Expoſit. ſuper Canticum Abacuc Prophetæ, MS. ibid. poſt med.
" Adaperient ora ſua, ſicut pauper edens in occulto.] Sicut enim
" pauper aliquandiu jejunus permanens, ſi forte alicubi cibos inve-
" nerit, his ſe confeſtim in occulto reficere ſatagit ; neque eos in
" publicum vult proferre, ne fortè diripiantur ab alio, & ipſe fame
" pereat. Sic nimirum, ſic populi gentium oblato ſibi per Apo-
" ſtolos pane verbi, à quo diutiùs jejuni duraverant, mox aperuerunt
" ora cordis ſui, & hunc omni aviditate guſtare cœperunt ; tantò
" ampliùs audiendis ſive legendis Scripturis operam dantes ; quantò
" ſe meminerunt diutiùs miſerrimo genere paupertatis, ſupervacuis
" immò etiam noxiis aures atque animum mancipâſſe doctrinis.

Ibid. paulò ante fin. " Defecerunt ab eſcâ oves, & non erant in
præſepio boves.] Oves & Boves (1) typicè erant in eadem plebe
" (*Judæorum*) Oves videlicet in eis, qui vocem ſummi Paſtoris hu-
" militer audiebant ; Boves verò in illis, qui jugum legis (2) gnaviter
" portantes, ad faciendos bonorum operum fructus corda audientium
" ſedulò docendo & caſtigando, quaſi terram Domini arando, para-
" bant. Hiſque ſpiritualiter viventibus ſpirituales faciebant eſcas
" campi divinarum Scripturarum latiſſimi ; quorum pabulo delecta-
" batur ille ; qui ut jumentum factus erat apud Dominum, & ſemper
" illi adhærebat dicens ; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit :*

(1) *Typi erant in eandem plebem.* Sic legit Codex alter MS. (2) *Graviter*, Cod. alter.

in loco paſcuæ ibi me collocavit. ——— " Campi non faciunt eſcas; " cùm Plebs eadem apertis divinorum apicum paginis paſcua veritatis " invenire rectè intelligendo non valet.

Lib de Templo Solomonis, cap 20. " In quo nimirum Spiritu " clamamus *Abba Pater.* Abba videlicet, qui ex Hebræis venimus " ad fidem; *Pater*, qui ex Gentibus; variis quidem linguis pro diver- " ſitate nationum, ſed unum eundemque Patrem Deum propter unius " donum Spiritûs invocantes.

Epiſtolâ ad Egbertum Archiepiſcopum Eboracenſem, pag. 65. " In quâ prædicatione [*Presbyterorum vicatim*] populis exhibendâ " hoc præ cæteris omni inſtantiâ procurandum arbitror; ut fidem " Catholicam, quæ Apoſtolorum Symbolo continetur, & Dominicam " Orationem, quam ſancti Evangelii nos Scriptura edocet, omnium " qui ad tuum regimen pertinent, memoriæ radicitus infigere cures. " Et quidem omnes, qui Latinam linguam lectionis uſu didicerunt, " etiam hæc optime didiciſſe certiſſimum eſt: ſed idiotas, hoc eſt, " eos qui propriæ tantùm linguæ notitiam habent, hæc ipſâ ſuâ linguâ " dicere ac ſedulò decantare facito, &c. Propter quod & ipſe multis " ſæpe Sacerdotibus idiotis hæc utraque, & Symbolum videlicet & Ora- " tionem Dominicam in linguam Anglorum tranſlatam obtuli.

750. *Chrodogandus, Epiſcopus Metenſis.*

Romanæ Eccleſiæ cantum Gallicanæ à Pipino & Carolo M. intro- ductum fuiſſe, Cl. Armachanus, cap. 4. Noſque in Auctuario, cap. 4. pluribus obſervavimus. Romanum cantum primùm in Metenſi Eccleſiâ receptum, dein ad cæteras Galliæ Eccleſias deri- vatum fuiſſe omnes iſtius temporis Hiſtorici tradunt. Illum itaque Metenſi Eccleſiæ à Chrodogando invectum fuiſſe tantùm non con- ſtat. Sedem enim Metenſem ab anno 742. ad 766. tenuit, vir præ- claræ apud ſuos famæ, apud Franciæ Reges potentiæ; quique Romam ſæpiùs profectus, immenſum Romanorum rituum ſtudium conce- perat. Quantùm igitur Cantores Romani illo ſeculo auditorum inſtructioni ſtudebant, ex Chrodogandi *Regulâ*, quam Diœceſeos ſuæ Clericis anno 757. præſcripſit, optimè dijudicari queat. Inibi enim de Cantorum Officio agens, hæc habet: [a] " Sonum etiam

[a] Cap. 50, 51.

" voca-

"vocalium literarum bene & ornatè proferant. Hi verò qui hujus "artis minùs capaces ſunt, donec erudiantur, meliùs convenit, ut "ſileant, quàm cantare volendo quod neſciunt, aliorum voces diſſo-"nare compellant. Pſalmi namque in Eccleſiâ non curſim aut in "excelſis atque inordinatis ſeu intemperatis vocibus, ſed plane & "lucidè cum compunctione cordis recitentur; ut & recitantium "mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum "pronuntiatione demulceantur, &c. Plùs velint in lectione & "cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adu-"lationem.

800. *Ordo Romanus.*

Quænam fuerit Eccleſiæ Romanæ conſuetudo ac judicium à Gregorii M. tempore uſque ad Caroli M. ætatem, luculenter nos docet Ordo Romanus; qui ritus & cæremonias iſtius Eccleſiæ ab illo ſaltem tempore uſurpatas tradit. Hunc à Gregorio M. primitus compoſitum eſſe tantùm non conſtat. ***Ab illo omnia penè Eccleſiaſtica Officia habemus,*** inquit Ivo Carnotenſis (quo non alius res Liturgicas Eccleſiæ antiquæ meliùs novit) in libro de Eccleſiaſticis Officiis MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, cap. 33. Eccleſiæ autem Romanæ ritus Galli haud aliunde nôrunt quàm ex Ordine Romano; qui Galliæ ſub Carolo M. invectus, deinceps in pretio eſſe cœpit. Hujus rei indicia ſunt manifeſta libri de Eccleſiaſticis Officiis editi ab Alcuino, Rabano, Amalario, Walafrido, Ivone, aliiſque conſcripti; qui quicquid de rebus Romanis habent, ex Ordine Romano hauſerunt. Plurimæ ejus Editiones olim extiterunt, à ſequentibus ſeculis pro lubitu concinnatæ: Illam autem, quæ in omnium jam manibus impreſſa habetur, præclaras Caroli ætate additiones & interpolationes accepiſſe conſtat. Plurimi id ab Alcuino factum eſſe ſuſpicati ſunt, non levibus ſanè conjecturis ducti. Lucem forſan dabit ampliorem locus, qui in Ivonis libro MS. (de quo nuper mentionem injeci) prope finem reperitur. "Fecit Albinus, Ma-"giſter Karoli, in Eccleſiâ non contempnendum opus. Nam Gre-"gorianas Orationes in libro Sacramentorum collegiſſe aſſeritur, "paucis aliis adjectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe judicavit. "Deinde alias Orationes ſive Præfationes, etſi non Gregorianas, "Eccleſiaſticæ tamen celebritati idoneas, collegit." Librum quidem

immutavit

immutavit & auxit Alcuinus, vel quiſpiam alius coætaneus; neque tamen Romanæ diſciplinæ notitiam minùs certam exinde reddiderunt. Præterquam enim quòd eadem diſciplina, quæ in Eccleſiâ Romanâ obtinuit, Gallicanæ à Carolo M. inducta fuerit; adeóque ut Ordo Romanus Gallorum uſibus commode inſerviret, non tam immutandus fuit, quàm variis ritibus & formulis, quæ poſt Gregorii tempora apud Romanos in uſu eſſe cœperant, augendus: ut id, inquam, taceam: Scriptores de rebus Eccleſiaſticis ſupra memorati, quorum Opuſcula totidem ferè ſunt Ordinis Romani Expoſitiones, ejuſmodi ritus Romæ uſurpatos eſſe fidem faciunt; præſertim verò Amalarius, qui Romam profectus fuerat, & cum Clero Romano diu verſatus. Horum itaque Expoſitiones haud tam Eccleſiæ Gallicanæ quàm Romanæ ſtatum ſpectant, cujus diſciplinam & cæremonias, in Ordine ſuo poſitas, explicandas ſuſcipiunt, earumque rationes & ſignificationem exhibent.

His poſitis, diſciplinam in Ordine Romano inſtitutam diſpiciamus. Primò itaque Lectiones S. Scripturæ, quæ frequentes admodum erant præ hodiernis, ad inſtructionem populi ſolummodo collimârunt, & ab illo probè intellectæ ſunt. Id evincit Formula Benedictionis Lectorum, quæ in Ordine Romano [a] extat, & à Cl. Armachano ſupra eſt adducta [b]. *Hoc orat Epiſcopus ſuper eos quos Lectores ordinat* (inquit [c] Gulielmus Malmsburienſis in Abbreviatione Amalarii librorum de Officiis Eccleſ. MS. in Bibliothecâ Lambethanâ) *ut aſſiduitate lectionum ſint apti pronuntiare verba vitæ, & vocis diſtinctione populo monſtrare intelligibilia.* Paria habet Amalarius, lib. 2. cap. 8. qui *lectionem ad doctrinam pertinere* ſæpius confirmat [d]. Hinc ſimilitudinem inter Lectores Chriſtianos & Judaicos interceſſiſſe volunt. *Lectores fuiſſe in vetere lege, qui librum Heſdræ legit, intelligit. Is quippe legit ſuper gradum ligneum ſtans, diſtinctè & apertè.* Sic Gulielmus Malmsburienſis in Abbreviatione [e] ſuâ MS. *Ille* igitur *nos docebit, qualiter legere debeamus*, inquit Amalarius [f]. [g] *Lectio* enim *Legis & Prophetarum frequentabatur à populo antiquo.* Lector legem Domini debet *tradere auditoribus, quaſi incipientibus in Scholâ Domini exerceri, &c. In lectione paſcitur auditor, quaſi quodammodo bos.*

[a] Pag. 98. edit. Hittorp. *Pariſ.* fol. 1610. [b] Cap 7. §. 3. [c] Lib. 2. cap. 4. [d] Vid. lib. 4. cap. 2, &c. [e] Lib. 3. cap. 4. [f] Lib. 2. cap. 8. [g] Lib. 3. cap. 11.

Hinc

Hinc crebræ, quæ in Ordine Romano [h] obſervari poſſunt, Diaconi ad populum Allocutiones ante inchoatas lectiones. *State cum ſilentio audientes intentè*; vel, *State cum diſciplinâ & ſilentio, audientes intentè*. Eandem diſciplinæ rationem docent plures aliæ inter adhibitæ legendum cæremoniæ. Alcuinus, vel quiſquis Author eſt libri de Divinis Officiis, de Diacono Evangelium lecturo hæc habet. [i] "Salutat "populum, dicens, *Dominus vobiſcum.* Quatenus corda illorum "Deus à mundanis cogitationibus emundet, & ad ſuſcipienda verba "ſalutifera aperire dignetur. Ad cujus ſalutationem populus cru"cem in frontibus ponit; ut à malis cogitationibus corda ſua "emundet, ut ad intelligenda verba ſalutis pura permaneant. Per"lecto Evangelio, iterum ſe ſigno crucis populus munire feſtinat; "ut quod ex divinis eloquiis ad ſalutem percepit, ſignatum ſigillo "crucis atque munitum permaneat; ne à mentibus eorum diabolica "fraude evacuari valeat. Poſt recitatum Evangelium, iterum Sa"cerdos populum ſalutat, orans in cordibus eorum verba ſalutis, "quæ perceperunt à Domino, confirmari: & invitat illum ſecum "pariter ad Orationem dicens, *Oremus.*" Pari de cauſâ libri, ex quo lectio deſumpta eſt, titulus à Lectore prænuntiabatur; ut attentio excitaretur, & memoria adjuvetur. Ita enim Amalarius [l]: *Lectionem è gradu ſolemus proferre; ut omnis populus eam audiat.* Prænuntiato libri titulo, *Auctor ad memoriam reducitur, ut ſi fortè aliquis eorum qui congregantur ex univerſis locis, propter raritatem lectionis, incognitam habet hiſtoriam; audiat auctorem, qui fortè non eſt incognitus, & ex ejus auctoritate firmius infigantur verba lectionis in corde.* Id enim ab Auditoribus poſtulabant; ut [m] *verba Evangelicæ lectionis frequenti meditatione revolverent.* Ipſe cantus uſu ſuo non caruit, ad inſtructionem populi compoſitus; *Ut qui ad legem audiendam obſurduerant, illo cantu excitarentur.* Uti habet Malmsburienſis [n], Amalario [o] conſonus. Hinc à totâ ſimul plebe, pariter ac Sacerdotibus, Hymnus decantari ſolebat. "Nam & optimus & ſaluber"rimus (inquit Amalarius [p]) in ſanctâ Eccleſiâ mos inolevit, ut "Hymnus ipſius (de Chriſto nato) quotidie cum pſalmodiâ veſper"tinæ laudis ab omnibus canatur; quatenus ex hoc animos fidelium

[h] Pag. 39, 40, 41, &c. [i] Cap 40. pag. 280. [l] Lib. 4. cap. 3. [m] Amalar. lib. 4. cap. 7. [n] Lib. 2. cap. 9. [o] Lib. 3. cap. 11. [p] Lib. 4. cap. 7.

"frequentior Dominicæ Incarnationis memoria ad affectum devo-"tionis accendat." Item [q] plures alios Hymnos à populo ſimul ac Sacerdotibus decantari ſolitos recenſet. Haud diſſimilia habet Ivo Carnotenſis in libro MS. de Eccleſiaſticis Officiis: [r] "Sergius "Papa (inquit) in ordine 82. conſtituit, ut in tempore confractionis "Dominici Corporis Agnus Dei à Clero & Populo decantetur; "videlicet ut ille nobis propitietur; cujus Corpus ibi confringi "videmus & credimus." Infinitus eſſem, ſi omnia congererem argumenta, quæ preces à populo intellectas fuiſſe ſuadent. Hoc crebræ Diaconi attentionem imperantis Allocutiones; hoc innumeræ populi Reſponſiones evincunt. Hinc Ivo Carnotenſis in libro MS. ſupra citato: [s] "Sacerdos verſus ad populum dicit, *Dominus "vobiſcum.* Reſp. *Et cum Spiritu tuo.* Notandum ex his "verbis ſemper debere eſſe plures reſpondentes & unum ſalutan-"tem, &c. Sancti quoque Patres in Aurelianenſi Concilio, cap. 3. "conſtituerunt; ut ad ſalutationes Sacerdotis non ſolùm Clerici & "Deo dicati, ſed & omnis Plebs conſonâ voce reſpondeant. In "omni enim legitimâ Oratione reſpondent fideles," inquit Alcuinus [t]: qui rem alibi [v] fuse perſequitur. Poſt oblationem "con-"vertit ſe Sacerdos ad populum, poſcens; ut jungant preces ſuas "precibus ejus, & mereatur exaudiri pro ſalute illorum, &c. "Acclinans ergo ſe populus orare debet ita. *Sit Dominus in "corde tuo & in ore tuo, &c.* Vel hoc dicant omnes: *Exaudiat te "Dominus in die tribulationis. Protegat te nomen Dei Jacob.* uſque "*pingue fiat.* Hucuſque præfatio, i. e. prælocutio & allocutio populi. "Hinc ſequitur exhortatio," Surſum corda; "Hortatur enim "Sacerdos populum, tanquam dicat. Jam Apoſtolicis & Evange-"licis præceptis ſufficienter inſtructi & confimati, corda veſtra "à terrenis curis ſurſum ad Dominum dirigite. Reſpondet populus, "*Habemus ad Dominum,*&c." . Quinimo poſtquam ſuperſtitione pravâ, Euchariſtia non tam communio Corporis Chriſti, quàm juge ſacrificium Patri quotidie offerendum haberi cœpit; & Sacerdotes Canonem Miſſæ ſeù preces conſecratorias tacitè obmurmurârunt; alias tamen preces diſtinctè & apertè pronuntiârunt, ut à populo

[q] Lib 3. cap. 21. [r] Cap. 26. [s] Cap. 10. [t] De divinis Offic. cap. 40. pag. 290. [v] Pag. 281.

intelligi

intelligi poſſent. Teſtis eſt Amalarius; cujus hæc ſunt verba: [a] "Sacerdos clamat ad populum; ut quod ipſe jam habet, habeat "& ille, hoc eſt, Surſum Cor: ac deinde ut gratias agat Deo pro "ſerenitate mentis. Igitur hoc neceſſariò extollitur voce, quod "omnibus licet ſimul agere, i. e. gratias referre Deo, hoc accla-"matur. Quod ad ſolum Sacerdotem pertinet, i. e. immolatio "panis & vini, ſecretò agitur." Adeò neceſſariam fuiſſe inter precandum mentis attentionem Amalarius credidit; ut in exponendis Miſſæ orationibus inſignem illum protulerit [b] Cypriani locum (ex Expoſit. in Orat. Domin. §. 22.) quem illuſtriſſimus Primas ſupra citatum exhibuit, cap. 3.

Reſtat Eccleſiæ Romanæ conſuetudo notatu cumprimis digna. In Eccleſiâ Antiquâ ſtata fuiſſe ſacrum Baptiſmum atque Ordines conferendi tempora omnibus notum eſt. Illud ſemel, Sabbato ſc. Sancto, iſti quater, in quaternis ſc. anni tempeſtatibus, in anno conferebantur: Saltem poſt Simplicium Papam, *Omnes enim Apoſtolicos à Beato Petro uſque ad Simplicium Papam Ordinationes tantùm in Jejunio Decembris celebraſſe* adnotavit Ivo Carnotenſis in libro [c] de Eccleſ. Offic. MS. Ingens igitur Candidatorum numerus ſacramentum Baptiſmatis, atque Ordines ſimul ſuſceperunt; qui Lectionibus divinis, Catechizationibus, aliiſque mediis Eccleſiaſticis priùs inſtruendi erant. Poſtquam autem diviſâ bifariam Imperii ſede, & apud Conſtantinopolin pariter ac Romam poſitâ, diuturnum inter Græcos & Latinos in utrâque urbe commercium interceſſerat; multi è Græcis in urbe Româ continuò verſati ſunt, qui tamen Latinè neſciebant; multique è Latinis Conſtantinopoli, qui Græcè. His itaque ſive ad Baptiſmum ſive ad Ordines ſuſcipiendos in urbe alienâ accedentibus; neceſſe erat, ut Lectiones ſacræ, Catechiſmi, & id genus alia, utrâvis linguâ proponerentur; ut ab advenis pariter ac inquilinis intelligi poſſint. Idque factum quidem tam in Urbe Româ quàm Conſtantinopoli reperimus. Sic enim vetuſtus Ordo Officiorum Romanus, (vulgato multò brevior & ſimplicior, quique quaſi Epitome videtur antiqui Ordinis, nondum à Gallis interpolati.) MS. in Bibliothecâ Archiepiſcopali Lambe-

[a] Lib. 3. cap. 20. [b] Lib. 3. cap. 19. [c] Cap. 36.

thanâ. [d] *Sabbato* (in primâ è quatuor ſolennibus ſeptimanis ordinationi ſacris) *ad S. Petrum fit ſtatio in XII. Lectionibus. Ideo autem vocantur XII. Lectiones; quia VI. Lectiones, quarum ſexta eſt Epiſtola, leguntur Græcè & Latinè.* Et iterum; [e] *Sabbato Sancto manè reddunt pueri* [Baptizandi] *Symbolum, & Catechizantur ab Epiſcopo vel Presbyteris.* (Scrutinium id appellatur) *Congregantur eâ die in Baſilicâ Conſtantinianâ, veſtitur altare, imponuntur reliquiæ. Horâ decimâ aſcendit Subdiaconus in ambonem, & legit Græcè Lectionem,* In Principio; *eandemque legit alter Latinè. Item Pontifex dicit Orationem, præcipiente Diacono ut flectantur genua; ſimiliterque ad omnes. Secunda Lectio eſt,* Factum eſt in vigiliâ matutinâ; *Quâ Græcè & Latinè dicta, ſequitur Canticum Græcè & Latinè cantandum.* Cantemus Domino, *Eodem cantante Latinè qui Latinè legit, ſimiliterque qui Græcè. Sicque per omnes Lectiones & Cantica.* Et paulò poſt; *Sabbato Pentecoſtes eodem modo leguntur Lectiones Græcè & Latinè, ſicut in Paſcha.* Ivo Carnotenſis in libro [f] de Offic. Eccleſ. MS. *In omni Jejunio* (Ordinationem præcedente) *Sabbatum, quamvis ſex tantùm Lectiones habeat, dicitur tamen XII. habere Lectiones; eò quòd antiquitus Eccleſiaſticæ Lectiones bis legebantur, Græcè videlicet & Latinè.* Amalarius: [g] *Sex Lectiones ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur (qui mos apud Conſtantinopolin hodieque ſervatur) ni fallor, duas ob cauſas. Una, quia aderant Græci, quibus ignota erat lingua Latina; aderant & Latini, quibus incognita erat Græca. Altera cauſa propter unanimitatem utriuſque populi.* Idem habent Pſeudo-Alcuinus [h] & Gulielmus Malmsburienſis [i]; quorum ille poſt annum 1000. iſte poſt annum 1100 ſcripſit. Uterque autem eandem conſuetudinem ſuo etiam tempore apud Conſtantinopolin obtinuiſſe produnt. *In XII. Lectionibus conſecrationem ſacrorum Ordinum celebratam* eſſe totidem verbis docet Amalarius: [k] *Leguntur autem Lectiones* (inquit ex illo Malmsburienſis [k]) *ut habeat ordinandus notitiam legis & Prophetiæ. Ut in iſtis Lectionibus imbuantur Ordinandi ad exempla ſanctorum Patrum* [k]. Sic Alcuinus [k]. Eadem fuit & in baptiſmo repetitæ lectionis ratio; ſc. ad inſtruendos Baptiſmi candidatos: *Propter inſtructionem Catechumenorum*, inquit Amalarius [l]: cujus verba compendio reddit

[d] Poſt init. [e] Poſt. med. [f] Cap. 36. [g] Lib. 2. cap. 1. [h] De Offic. divin. cap. 29. pag. 265. [i] Abbreviat. Amalar. MS. cap. 15. [k] Loc. cit. [l] Lib. 1. cap. 19.

Malmsbu-

Malmsburienſis [f]: " Quatuor modis intelligitur ſacra Scriptura; " per Hiſtoriam, per Allegoriam, per Tropologiam, per Anagogen. " Iſti modi Scripturarum in Lectionibus & Canticis illius diei præſe- " runtur; ut intelligant plenè Catechumeni ad quid vocantur." Et alibi: [g] " Quarta feria quartæ quadrageſimalis hebdomadæ " vocatur in Apertione aurium; quia more antiquo tangebantur " illâ die nares & aures Catechumenorum; & tradebatur eis Sym- " bolum, [h] quod redderent Sabbato Paſchæ: & fiebat Scrutinium; " i. e. ſcrutabantur Presbyteri, quid crederent; & docebant eos, " quomodo vivere & quid credere deberent. Ideo illâ die ſunt " duæ lectiones & duo reſponſoria. In priore lectione de fide & " baptiſmo agitur. Nec minus in Reſponſorio vocantur ad fidem. " Secunda lectio de moribus agit. Item Reſponſorium de fide. " Verſus de virtutibus morum; quas baptizandi per Deum habituri " ſunt. Ratio ergo quare duæ lectiones leguntur, eſt, quia audiant " baptizandi non ſolùm quid credere debeant, ſed etiam quemadmodum " ſe ab hoc ſeculo perverſo eripiant." Omnia quippe *propter fidem & mores, quibus inſtruendi erant Catechumeni*, ut Amalarii [i] verbis utar, fiebant. Extat Scrutinii forma in vulgato Ordine Romano [k]; in quo quidem Catechumeni Latini Symbolum Latinè, Græci Græcè reddunt. Denique quo magis inſtructioni Catechumenorum conſuleretur: *In Sabbato Sancto XII. Lectiones juxta Romanum Ordinem legendæ erant abſque titulis ante baptiſmum*, teſte Ivone Carnotenſi, in libro [l] de Eccleſ. Offic. MS. Cujus diſciplinæ rationem ex Amalario reddit Malmſburienſis [m] his verbis: *Lectiones autem ideo ſine nominibus librorum, de quibus ſumptæ ſunt, proferuntur; quia fruſtra Catechumenis profertur Auctor incognitus; quibus firmiſſima auctoritas poteſt vileſcere per ignorantiam.* Eadem fuſiùs docet Amalarius, lib. 1. cap. 21.

Immo verò in Eccleſiis Romanâ & Conſtantipolitanâ S. Scripturæ Lectiones utrâvis linguâ recitatæ fuiſſe videntur, non ſolùm in Sabbato Sancto & Jejuniis quatuor, ſed & in omnibus celebrioribus Feſtivitatibus. Certè id Nicolaus I. Papa Conſtantinopoli factum eſſe diſertè affirmat; [n] quùm linguæ Latinæ laudes deprædicans adverſùs Michaelem Imp. CP. qui illam Barbaram appellârat,

[f] Abbreviat. Amalar. MS. cap. 12. lib. 1. [g] Lib. 1. cap. 6. [h] Addit Amalarius & *Orationem Dominicam*, lib. 1. cap. 8. [i] Lib. 1. cap. 8. [k] Pag. 42. [l] Cap. 61. [m] Lib. 1 cap. 12. [n] Epiſt. 8. Concil. Tom. VIII. p. 298.

inſit:

inſit: "Ecce quotidie, immò verò in præcipuis Feſtivitatibus, inter "Græcam linguam, veluti quiddam pretioſum, hanc quam Barbaram "& Scythicam linguam appellatis, miſcetis. Iſtius enim dictione "linguæ Conſtantinopolitana Eccleſia lectionem Apoſtolicam & E-"vangelicam in ſtationibus fertur primitùs recitare: Sicque demum "Græco ſermone propter Græcos utique ipſas lectiones pronuntiare.". Eandem diſciplinam apud Romanos viciſſim obtinuiſſe haud dubium eſt; cùm neutiquam credibile ſit, Græcos lectiones Latinè Romanorum advenarum gratiâ recitare voluiſſe; niſi Romani etiam eaſdem Græcè in Græcorum gratiam pariter recitâſſent. Rem confirmat Durandus. [o] *In Miſſâ* (inquit) *Romani Pontificis, in præcipuis ſolennitatibus legitur Evangelium & Epiſtola, non ſolùm in Latino, verùm etiam in Græco.* Conſtat interim Paſchalem I. ſub initium Seculi noni, S. Praxedis Cœnobium Romæ poſuiſſe; *In quo & ſanctam Græcorum Congregationem aggregans; quæ diu noctuque Græcæ modulationis Pſalmodiæ laudes omnipotenti Deo Sanctiſque illius ibidem quieſcentibus ſeduló perſolveret, introduxit.* Anaſtaſius Bibliothecarius, in Vitâ ejus.

807. *Carolus Magnus Imp.*

Incredibile, quod in totâ Carolinâ Familiâ enituit, Scripturarum ſtudium, Hiſtorici coætanei paſſim deprædicant. De Caroli M. & Ludovici filii ſtudio, Reverend. Uſſerius [p] plurima congeſſit teſtimonia: quibus addere nobis liceat, Carolum conſuetis Scripturæ lectionibus, quæ inter ſacra recitabantur, nequaquam contentum fuiſſe, ſed lectoribus certam Scripturæ portionem inter Officia divina legendam pro lubitu mandâſſe; Lectores, quoſcunque vellet, quoſque magis ſonoros noverat, evocare; & Lectiones quotidianas pro arbitrio producere vel contrahere ſolitum. Id enim teſtatur Monachus Sangallenſis, qui Vitam ejus ſcripſit: [q] *Digito autem vel baculo protento, vel ex latere ſuo ad procul ſedentes* (Clericos) *aliquo directo, demonſtravit, quem legere oporteret vel voluiſſet. Finem verò lectionis ſono gutturis deſignavit.*

[o] Rational. divin. Offic. lib. 4. cap. 1. [p] Cap. 5. ad an. 807. 820. [q] Lib. 2. cap. 10.

navit. Ipſe lectionem S. Scripturæ in Epiſtolâ ad Leonem III. Papam impensè laudat, * *Lectionis* (inquit) *ſacræ cognitio, imbecillis baculum, nervoſis arma miniſtrat; hoſtium ſubdolas fortiter premit inſidias; & victoribus æternas fæliciter promittit coronas, &c.* Quinimo idem ſtudium ſequior etiam è Carolinâ familiâ ſexus excoluit. Sic enim Giſla, Caroli filia, & Rectruda, Moniales, ad Alcuinum ſcribunt, in Epiſtolâ Commentario ejus in Joannem præfixâ: " Poſtquam, venerande Magiſter, aliquid de mellifluâ " S. Scripturæ cognitione, veſtrâ ſagacitate exponente, hauſimus; " ardebat nobis, ut fatemur, de die in diem deſiderium hujus ſa" cratiſſimæ lectionis. In quâ Purificatio eſt animæ, ſolatium mor" talitatis noſtræ, & ſpes perpetuæ beatitudinis. In quâ beatus " vir, juxta Pſalmiſtam, quotidianâ ſeipſum exercet meditatione; " intelligens omnibus mundi divitiis hujus eſſe agnitionem præfe" rendam." Neque à Proavorum ſtudio Caroli etiam nepotes deflexiſſe, ſatis arguit liber, ineptus quidem, vetuſtus tamen, qui in Bibliothecâ Lambethanâ MS. extat, continens *Cœnam* quandam, æmulatione *Cœnæ* Pſeudo-Cyprianicæ compoſitam; niſi quòd ex ſolis Perſonis in Veteri Teſtamento memoratis conſtet. Mauri cujuſdam Auctoris nomen præ ſe fert (nolim credere Rabanum operam tam inutiliter poſuiſſe) & Lothario Regi nuncupatur. In Epiſtolâ autem nuncupatoriâ Maurus hortatur Lotharium, quùm Cœnam ſuam legere voluerit, *ad Veteris Teſtamenti paginas recurrere, quare ſingula ſingulis ſunt imputata.*

830. *Amalarius, Chorepiſcopus Metenſis:*

De Eccleſiaſt. Offic. lib. 4. cap. 2. " Pſalmi pertinent ad opera, " lectio ad doctrinam. Quâ de re, ut opinor, mos inolevit; ut " per Monaſteria Deo devota legatur Lectio in Capitulo; quatenus " hi, qui diebus ac noctibus occupati ſunt in ſervitio Domini, non " ſint ſine lectione. Avidi ſunt cœleſtis pabuli; non ſe poſſunt " continere, quin omni horâ, quantumcunque ſit, manducent de " cibo Scripturarum.

* Concil. Tom. VII. pag. 1199.

Lib. 2. cap. 2. " Vel certè ut propter ſimpliciores manifeſtiùs, quod
" volumus, eloquamur, Pſalmus ad corpus, Canticum refertur ad
" mentem. Et canere igitur & pſallere & laudare Deum magis animo
" quàm voce debemus.

840. *Paſchaſius Radbertus*

In Threnos, lib. 4. pag. 1491. " Neceſſarii ſunt Doctores; ut
" infirmi quique cùm petierint valentiores Scripturæ ſacræ ſententias
" exponendas comminui, valeant aperire, & in ſingulis neceſſaria
" apponere. Sed luget Propheta; quando qui exponere debet, in-
" veniri non valet. Eſt etiam Scriptura ſacra potus lactis; de
" quo propheta dicit; *Omnes ſitientes venite ad aquas*, &c. Ex
" quo liquidò patet, cum dicit, *venite ad aquas*, quia Scriptura
" ſancta verus eſt potus; cum dicit, *comedite*, verus eſt cibus.
" Cùm autem dicit, *vinum & lac*; nutrimentum infantiæ, & ebrietas
" Spiritûs S. deſignatur; ut per lac teneritudo noſtra nutriatur, per
" vinum vero corda inebrientur. Quod ſi omnino aperta mandata
" Dei in Scripturis ſanctis non eſſent; per ſemetipſam veritas non cla-
" maret: *Si quis ſitit; veniat ad me, & bibat.*

Epiſt. ad Frudegardum, pag. 1633. " Sacerdos orat ut [*Panis*
" *& Vinum*] fiat Corpus & Sanguis Jeſu Chriſti. Quâ prece expletâ,
" conſonâ voce omnes Amen dicimus: ſicque omnis Eccleſia in
" omni gente & linguâ orat & confitetur, quòd hoc ſit quod orat.

858. *Herardus, Archiepiſcopus Turonenſis.*

Iſte Capitula CXL. Presbyteris ſuis in Synodo collectis anno 858. dedit. Horum decimum ſextum eſt hujuſmodi: [b] " Ante Miſſam
" completam ne exeant, & verbum Dei intentè audiant [*Omnes*
" *fideles.*] De Oratione Dominicâ & Symbolo; ut memoriter omnes
" teneant, & Gloria Patri, ac Sanctus, atque Credulitas [i. e. *Sym-*
" *bolum*] & Kyrie eleiſon, à cunctis reverenter canatur. Pſalmi

[b] Capitular. à Baluzio edit. Tom. I. pag. 1289. & Concil. Tom. VIII. pag. 629.

" ſimiliter

" ſimiliter diſtinctè à Clericis. Et ut ſecreta Presbyteri non " inchoent, antequam Sanctus finiatur, ſed cum populo Sanctus " cantent.

860. *Nicolaus* I. *Papa Romanus*

Reſponſ. ad conſulta Bulgarorum, cap. 11. " Sanè [e] ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus Feſtis ab opere mundano " ceſſandum eſt; ut liberiùs ad Eccleſiam ire, Pſalmis & Hymnis " & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, Orationi vacare, Oblationes " offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem " eorum aſſurgere, eloquiis divinis intendere, eleemoſynas indi- " gentibus valeat miniſtrare Chriſtianus.

870. *Otfridus*, *aliique Interpretes Germanici.*

De Otfridi Verſione Evangeliorum Germanicâ Cl. Uſſerius plurima congeſſit, Trithemii & Illyrici ductum ſecutus; adeóque communes cum illis errores iniit. Principio itaque Otfridi Opus non tam Verſio eſt quàm Harmonia ſeu Diateſſaron Evangeliorum rythmo Germanico Veteri concinnatum; & in libros quinque (non quatuor, quod vult Trithemius) diſtributum. Ipſi Operi titulus fuit: *Volumen Evangeliorum*: neutiquam verò: *Gratia Dei Theotiſcè*: Prout Trithemius, & à Trithemio deceptus Illyricus, craſsè hallucinati exiſtimarunt; argumento erroris exinde ſumpto; quòd in Operis titulo vetuſto Otfridus dicatur id *Domini gratiâ Theotiſcè* confeciſſe. Denique Otfridus ipſe Monachus Cœnobii Wizanburgenſis in Alſatiâ fuit, non S. Galli; quod in exemplaris excuſi titulo ab Illyrico poſitum habetur: *Munchu S. Gallen.* Qui Opus enim iſtud *Baſileæ* 1571. 8vo. excudendum curavit ſub ementito Achillis Gaſſari nomine, non alius erat quàm Flaccius Illyricus; qui

[e] Concil. Tom. VIII. pag. 522.

quidem Codice uſus eſt mendoſo admodum & hiulco. Lacunas ſupplevit ex Codice MS. optimæ notæ (qui ipſius Otfridi ætate ſcriptus, in Bibliothecâ Cæſareâ Vindobonenſi nunc aſſervatur) Lambecius in eruditiſſimo Opere Commentariorum de Bibliothecâ Vindob. lib. 2. pag. 420. Verſionem ſuam Otfridus nuncupavit non ſolùm Liutberto Archiepiſcopo Moguntino (ad quem extat Præfatio Latina) verùm etiam Solomoni ejus deceſſori (qui obiit anno 873.) & Ludovico Franciæ Orientalis Regi; ad quos totidem Præfationes rythmicæ linguâ Germanicâ reperiuntur, & in Editione Baſileenſi, & apud Lambecium loc. cit. Porrò ſcripſit Otfridus Oratione ſolutâ Verſionem Pſalterii Paraphraſticam; cujus exemplar MS. ipſi Authori coævum in Bibliothecâ Vindobonenſi habetur, teſte Lambecio [a]: qui Pſalmum primum & Orationem Dominicam exinde dedit [b]. Ad finem enim Codicis ab eodem verſa inveniuntur Cantica S. Scripturæ omnia, Symbola Apoſtolorum & Athanaſii, & Oratio Dominica. Cæterùm Verſio Evangeliorum rythmica, quam Waldoni Epiſcopo Friſingenſi Cl. Armachanus, Beati Rhenani auctoritate ductus, ad annum 890. aſcripſit: non alia eſt, quàm Otfridi *Harmonia*; quam Waldo Sigefridi Presbyteri manu deſcribi fecit; quod ex Præfationis initio patet. Tetraſtichon enim illud, quod illuſtriſſimus Primas ex Rhenano repræſentavit, Otfridi *Volumen Evangeliorum* inchoat.

Willerami, Monachi Fuldenſis, Paraphraſin Germanicam in Canticum Canticorum à Paulo Merulâ editam fuiſſe ex Goldaſti fide Armachanus refert [c]. Willeramus equidem geminam Cantici Canticorum Paraphraſin concinnavit; alteram Latinam rythmo Heroico, alteram Germanicam proſaicam. Utramque evulgavit Paulus Merula *Lugduni Bat.* 1598. 8vo. verùm ex Codice mendoſiſſimo & miſerè interpolato. Genuini Operis exemplar extat MS. in Bibliothecâ Cæſareâ, ipſius Willerami ætate ſcriptum; cujus amplum ſatis Specimen Lambecius exhibuit, Comment. lib. 2. pag. 765.

[a] Lib. 2. pag. 459. 749. [b] Pag 461. [c] Ad ann. 1070.

Plures

Plures aliæ S. Scripturæ Verſiones Vernaculæ à Germanis ante Lutheri tempora adornatæ ſunt. In Bibliotheca enim Cæſareâ Vindobonenſi Cl. Lambecius Manuſcripta aſſervari memorat. 1. Integram [d] S. Scripturæ Verſionem, Wenceſlai Imperatoris juſſu paulò ante annum 1400. factam & elegantiſſimè deſcriptam. 2. Aliam ejuſdem Tranſlationem [e], à Joanne Liechſtenſternio Monachienſi confectam ſumptibus Nobilis Viri Matthiæ Eberleri, & Baſileæ, anno 1464. abſolutam. 3. Alias [f] binas Pſalterii Verſiones; quarum ultima auſpicio ac ſumptibus Frederici V. Imp. anno 1477. ſcripta eſt. 4. Epiſtolas Dominicales & Feſtivales [g] totius anni, linguâ Germanicâ, magnâque ex parte rythmicâ, anno 1210. conſcriptas. 5. Explicationem [h] Evangeliorum antiquam Germanicam. Quinimo typis excuſa prodierunt Biblia Germanica, armis Auſtriacæ Domûs gentilitiis in fronte ornata, loco atque anno innominato: *Norimbergæ* etiam anno 1483. vol. 2. fol. & *Lubecæ* 1494. fol. Denique habetur MS. in Bibliothecâ Norfolcianâ [i] Verſio Germanica Miſſalis, ante trecentos plùs minùs annos conſcripta.

His omnibus antiquior, atque ipſius adeò Otfridi præceptor, Rabanus Maurus ad vulgarem S. Scripturæ cognitionem popularibus ſuis haud parùm contulit. Scripſit enim *Gloſſarium Latino-Theotiſcum in tota Biblia Sacra Veteris & Novi Teſtamenti*: quod Gentilibus indoctioribus S. Scripturæ ſtudium aggreſſuris adjumento eſſet. Extat etiamnum ejus Exemplar MS. Auctori coævum, in Bibliothecâ Cæſareâ; teſte Cl. Lambecio, lib. 2. pag. 416.

870. *Methodius & Cyrillus.*

Quæ de Methodio & Cyrillo referunt Hiſtorici ab Illuſtriſſimo Primate laudati, parùm accurata ſunt. Id quidem conſtat hoſce Slavis à ſe converſis S. Scripturam & Liturgiam

[d] Lib. 2. pag. 749. [e] Pag. 756. [f] Pag. 763. [g] Pag. 772. [h] Pag. 773. [i] Cod. 294. in 12°.

linguâ vernaculâ tradidiſſe; Latinis autem ritibus vel Liturgiæ authoritatem abrogâſſe, purum putum commentum videtur, nulli fundamento nixum. Methodius & Cyrillus enim illos, inter quos verſati ſunt, Slavos primi omnium ad fidem Chriſtianam convertebant; adeóque qualemcunque Liturgiam primi omnium induxerunt. Sic enim Annales MSS. Andreæ Danduli, Ducis Veneti, à Lucio [k] citati teſtantur. "Anno 874. "Conſtantinus Natione Theſſalonicus (cui Papa, Cyrillus, "nomen impoſuit) vir Catholicus, diviniſque Scripturis eru-"ditus, & in variis idiomatibus peritus, Regem Bulgarorum "cum gente ſuâ ad fidem convertit, &c. Hujus autem B. Cy-"rilli prædicatione Sveropolis Rex Dalmatiæ cum toto ſuo "pópulo fidem catholicam ſuſcepit, &c. Hic Beatus Cyrillus "penè omnium Slavorum dictus eſt Apoſtolus, quia hos ad "fidem reduxit, & divinum Officium in linguâ Slavonica iis "tranſtulit." Dandulum autem hæc eadem mutuatum eſſe affirmat Lucius ab Hiſtoriâ Presbyteri Diocleatis; quam Regum Dalmatiæ nomine Maurus Orbinus in Opere ſuo nuncupato (*Il Regno delli Slavi, Regnum Slavorum*) incluſam vulgavit, anno 1601. Paria cum Dandulo & Diocleate refert Conſtantinus Porphyrogennetus [l] in Vitâ Baſilii Macedonis. Porrò Verſionem & Liturgiam Cyrilli hodienum extare veri non eſt abſimile: Ampliſſimam enim librorum Slavicorum copiam in Catalogo Bibliothecæ Seguierianæ videre eſt. Extat etiam MS. in Bibliothecâ Lambethanâ Codex linguâ & litteris Slavinicis (quales à Cyrillo inventæ dicuntur) pulcherrimè exaratus. Illum animadverti continere Acta Apoſtolorum (quibus titulus eſt, *Daania Apoſtoleſca*) & alia quædam, forſitan Epiſtolas Pauli, Canonicas, & Apocalypſin, cum Liturgiâ ad finem additâ. An Verſio Cyrillo debeatur, necne, non habeo quod affirmem; cùm linguam minimè intelligam. Miſſale autem Romanum editum eſt Urbani VIII. Pontificis juſſu, linguâ & literis Sclavonicis, *Romæ* 1631. 4°.

[k] De regno Dalmatiæ, lib. 2. cap. 3. [l] Cap. 54. Vide etiam lib. de Adminiſtrat. Imper. cap. 29. pag. 76.

880. *Jo-*

880. *Joannes* VIII. *Papa.*

Invitus admodum Joannes licentiam ſacra vulgari linguâ celebrandi Slavis dedit; veritus ſcilicet, ne ſi præfractè renueret illi Patriarchæ CP. ditioni, Bulgarorum exemplo, ſeſe ſubmitterent. A Græcis Sacerdotibus converſi fuerant; adeóque Patriarchatui CP. jure ſubjiciendi erant. Verùm Joannes Methodium aſtu quodam Romam anno præcedente accerſiverat: ſpecie quidem, ut doctrinæ ſuæ, quam nonnulli minùs orthodoxam eſſe apud Papam criminati erant, rationem redderet; revera autem ut Eccleſiam à ſe recens fundatam Romano Patriarchatui ſubjiceret. Methodium igitur tanquam obſidem quendam Slavis chariſſimum, honoribus & amicitiâ cumulatum, Romæ detinuit; & ut Slavos inſigni quodam beneficio Romanæ ſedi devinciret, vernaculâ Liturgiâ uti illis conceſſit. In hunc finem collimâſſe Papam, liquet ex ipſa, quâ licentiam concedit, Epiſtolâ; cujus pars longè potior Romanæ Sedis majeſtati & prærogativis ampliandis inſumitur, variiſque argumentis texendis, quibus Slavi in ditionem ejus tranſire inducantur. Hinc Sfentopulchro craſsè adulatur; & nihil petitum negare auſus, ſe petitioni ejus de ſacris Slavicè celebrandis annuiſſe in fine Epiſtolæ ſcribit. Ipſe autem Papa, antequam ejuſmodi ratio intercederet, Liturgiam vernaculè celebrari adeo non probavit; ut in Epiſtolâ ad Methodium anno 879. datâ, ipſum eo nomine criminaretur: [m] "Audi-
"mus etiam, inquit, quòd Miſſam cantes in Barbarâ, hoc eſt,
"in Slavinâ linguâ; unde jam literis noſtris per Paulum Epi-
"ſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in eâ
"linguâ ſacra Miſſarum ſolennia celebrares, ſed vel in Latinâ
"vel in Græcâ linguâ; ſicut Eccleſia Dei toto terrarum orbe
"diffuſa & in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare verò

[m] Epiſt. 195. Concil. Tom. 9. pag. 127.

"aut

" aut ſermonem in populo facere tibi licet; quoniam Pſalmiſta [l]
" omnes admonet *Dominum gentes laudare.* Et Apoſtolus [m],
" *Omnis* (inquit) *lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloriâ*
" *eſt Dei Patris.*

890. *Alfredus, Rex Angliæ.*

Prodiit Verſio Saxonica Pſalterii unà cum textu Latino interlineari, à Joanne Spelmanno Henrici filio edita Londini 1640. 4to. Iſta ab Alfredo confecta, ſaltem inchoata, cenſetur. Alia autem Pſalterii Verſio interlinearis Saxonica habetur in Bibliotheca Archiepiſcopali Lambethanâ; quæ Alfredo parùm recentior videtur. In fine enim Codicis reperitur Litania vetus Latina, in quâ Dunſtanus & Odilo recentiores ſunt inter Sanctos qui invocantur; adeóque paulò poſt initium ſeculi undecimi conſcripta cenſeri poteſt. Pſalterium multo vetuſtiore manu, quàm Litania exaratur. Libro præfigitur prolixum Pſalmorum Encomium literis Saxonicis, ex Auguſtino deſumptum; quod incipit: *Canticum Pſalmorum animas decorat, invitat Angelos in adjutorium, effugat Dæmonas, expellit tenebras, efficit ſanctitatem.* Succedit Oratio præfatoria Interpretis ad Deum; in quâ oratur, *ut iſti Pſalmi omnibus proficiant ad ſalutem & remedium animarum, & ad veram pœnitentiam faciendam.* Pſalterium ſequuntur preces nonnullæ Saxonico-Latinæ; dein Cantica omnia S. Scripturæ, Te Deum, Oratio Dominica, Symbola Apoſtolorum & Athanaſii Latinè, cùm Verſione Saxonicâ interlineari. Plures aliæ Pſalterii Verſiones Saxonicæ olim videntur factæ. Spelmannus enim Editioni ſuæ in margine appoſuit Lectiones Codicum MS. quatuor adeò variantes; ut totidem diverſæ Tranſlationes facilè videantur.

Verſionem librorum Eccleſiaſticorum è linguâ Latinâ in Saxonicam ſe tam in Cleri quàm in Plebis gratiam ſuſcepiſſe Alfredus confirmat in Præfatione [n] ad Gregorii Paſtorale à ſe verſum.

[l] Pſal. 116. [m] Philip. 2. [n] Apud Spelman. Concil. Angl. Tom 1. pag. 379.

(Hympna-

(*Hympnarium* Eccleſiæ Anglicanæ admodum copioſum, Cantica S. Scripturæ & Orationes Eccleſiaſticas in fine habens, extat unâ cum Verſione Saxonicâ interlineari in Bibliotheca Cottoniana [o].) Certè quicquid ſibi blandiantur Pontificii, Verſiones S. Scripturæ & Liturgiæ vernaculæ non minus Clero quàm Plebi plerunque ſunt neceſſariæ. Plebem à Clero ſolo divinæ legis ſcientiam haurire Pontificii volunt; populum ab ore Sacerdotis orantis cæcâ fide pendere jubent. Sed quid ſi Sacerdos ipſe neque S. Scripturam neque Liturgiam linguâ alienâ obſignatam intelligat. Tunc certè, ſi unquam aliàs, cæcus cæcum ducet. Fuit tamen aliquando; cùm ne centeſima Cleri pars Latinè calleret; quin & hodie potior Cleri Catholici toto orbe terrarum diviſi pars ultra linguam vernaculam non ſapit; forſan & pars Cleri Romani non contemnenda Latinè non novit. Id ſanè olim contigiſſe, teſtis fide dignus eſt Rex Alfredus, qui in Præfatione modò memoratâ hæc habet: "Adeo funditus concidit apud gentem Anglicanam [*Doctrina*] ut paucissimi fuerint cis Humbrum [*Sacerdotes*] qui vel preces ſuas communes in ſermone Anglico intelligere potuerant, vel ſcriptum aliquod è Latino in Anglicum transferre. Tam ſanè pauci fuerunt; ut ne unum quidem recordari poſſim ex auſtrali parte Thameſis tum cùm ego regnare occœperam. Literarum quidem ſtudium Rex eruditiſſimus tam exemplo quàm liberalitate præclarè reſtituit: craſſa tamen adhuc ignorantia [p] apud pleroſque Sacerdotes manſit. Gulielmi enim Normanni tempore, *Clerici quoque & Ordinati adeo literaturâ carebant; ut cæteris eſſet ſtupori, qui Grammaticam didiciſſet*: inquit Matthæus Paris [q]. Sub initium ſeculi decim itertii Giraldus Cambrenſis, Epiſcopus Menevenſis, in Gemmâ ſuâ Eccleſiaſticâ, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, prolixe deflet [r] ſpiſſam ignorantiam Cleri Anglicani; qui tamen (præfiſcinè dixerim) tunc etiam nullius Eccleſiæ Clero doctrinâ ceſſit. Nimium eſſet ſingula ejus verba deſcribere. Unicum tamen locum, qui

[o] Sub effigie Julii, A 6. [p] Vide teſtimonium inſigne ex Elfrici Grammatica, infra. [q] In Gulielmo Conqu. paulò poſt init. [r] Diſt. 2. cap. 36, 37.

feſtivam

feſtivam quidem, pudendam tamen, Sacerdotum inſcitiam indicat, apponam: [s] *Qualiter autem Evangelia, ſacramque Scripturam hodie Presbyteri Parochianis ſuis exponant, per exempla quædam oſtendemus. Exemplum de Presbytero, qui ſermonem faciens ad populum de S. Barnabâ inter cætera dixit; Bonus vir & ſanctus erat, ſed tamen latro fuerat: auctoritatem ſumens de Evangelio hoc, ſc.* Erat autem Barrabas latro: *Item Exemplum de Sacerdote; qui ſermonem faciens de muliere Cananeâ dixit eam partim canem eſſe, partim mulierem. Item Exemplum de Presbytero; qui Feſtum Simonis, & Judæ denuncians, dixit, alterum bonum virum & ſanctum fuiſſe, alterum verò proditorem Chriſti; nec ei honorem aliquem, vel diei propter ipſum, ſed propter ſocium ejus, deferendum. Item,* &c. Dein capite ſequenti ſubdit: *Non ſolùm autem in minoribus Sacerdotibus, ſed & in majoribus, Abbatibus ſc. Prioribus, magnis Eccleſiarum Decanis, Epiſcopis & Archiepiſcopis tales interdum defectus invenies.* Neve poſterioris ævi Clerum deceſſores ſcientiâ ſuperâſſe exiſtimemus; non minimum fuit Scholaſticis Theologis argumentum, quare Opus Operatum Miſſæ etiam ſine intellectu vel devotione prodeſſe determinarent; nimirum quia *multi ſint Clerici parum literati, qui ea, quæ proferunt, minimè intelligunt; & tamen debitum ſolvunt.* Sic enim Scholæ ſententiam exprimit Gabriel Biel [t].

900. *Regino, Abbas Prumienſis,*

De Diſciplin. Eccleſ. lib. 2. pag. 215. Inter Interrogationes à quovis Epiſcopo ſingulis Parochiis ſeu Villis in Viſitatione ſuæ Diœceſeos proponendas, octogeſima octava eſt iſtiuſmodi: *Si aliquis in Eccleſiam intrans, fabulis vacare conſuevit, & non diligenter auſcultat divina eloquia? Et ſi antequam Miſſa finiatur, de Eccleſiâ exit?*

[s] Cap. 35. [t] Expoſit. in Can. Miſſæ, lect. 62.

1000. *Elfricus*

1000. Elfricus Abbas, & Angloſaxonum Eccleſia.

Epiſt. de Clericis, [a] cap. 23. Se mæſſe ꝑreoſt ſceal ſecgan on ſunnan dagum, ⁊ mæſſe dagum þæſ godſpelleſ andgit on engliſc ðam folce. ⁊ be ðam pater noſter, ⁊ be ðam creedan eac ſƿa he oftoſt mæge. þam mannum to onbryrdnyſſe. ꝥ hi cunnon geleafan, ⁊ heora criſtendom gehealdan ƿarnige ſe lareoƿ ƿið þæt þe ſe ƿitega cƿæð. caneſ muti non poſſunt latrare ða dumban hundaſ ne magon beorcan, &c. *Presbyter etiam, ſeu Miſſalis ſacerdos in diebus Solis & Miſſalibus Evangelii ejus intellectum populo dicet Anglicè: & ipſorum etiam Orationem Dominicam & Symbolum, toties quoties eos poterit inſtruendos adhibere: & ut Symbolum fidei memoriter diſcant* [curabit] *Chriſtianamque ſuam teneant confeſſionem, monente hoc Domino, unà & Prophetâ inquiente:* Canes muti non poſſunt latrare, &c. Rev. Armachanus [b] eadem habet verba uſque ad geleafan ex Epiſtolis Elfrici Angloſaxonicis citata. Poſtea eadem in libro Canonum ejus à Fulcone citato haberi prodit; quæque immediatè ſequuntur, ex Epiſtola ejus de Clericis adducit; neſcius tria hæc, *Epiſtolam ad Clericos, Epiſtolam Angloſaxonicam,* & *Canonum librum,* unum idemque eſſe Opus. Locum proinde integrum reſtituere ac repræſentare non inconſultum duxi.

Idem Grammaticam, & Dictionarium Latino-Saxonicum compoſuit. Utrumque à Somnero editum eſt ad calcem Dictionarii ſui Saxonici, *Oxon.* 1659. fol. In præfatione ſecundâ ad *Grammaticam* dicit Ælfricus, ſe opus iſtud ſuſcepiſſe *ad promovendum rerum divinarum ſtudium, præſertim in pueris:* ac poſtea ſubdit. Iſnuƿorþi godeſ þeoƿum. ⁊ mynſtermannum georne, &c. *Sedulò cavendum eſt igitur Dei ſervis, & viris Eccleſiaſticis, ne in diebus noſtris ſacra deferveat aut deficiat eruditio; quemadmodum per paucos aliquot jampridem annos in Angliâ contigit; ita ut Anglicorum ſacerdotum nullus, donec Dunſtanus Archiepiſcopus & Æthelwaldus Epiſcopus in Monaſteriis doctrinam reſuſcitâſſent, Epiſtolam Latinè ſcribere, aut Latine ſcriptam interpretari poſſet.* Hoc loco notare liceat errorem viri doctiſſimi, Gulielmi Cave [c]; qui in Elfrici ſcriptis recenſendis, *Grammaticam* ejus, & *Excerpta ex Priſciano* diſtinguens, illam prodiiſſe, iſthæc MSS. deliteſcere, affirmat: cùm tamen unicum opus fuiſſe ex prologo apertè conſtet. Quin & poſtea [d] Ope-

[a] Concil. Angl. Tom. 1. p. 578. [b] Supra, cap. 5. ad An. 1000. [c] Hiſt. Liter. p. 590. [d] Pag. 571.

ribus Manuſcriptis annumerat illius *Dictionarium Latino-Saxonicum*; quod unâ cum *Grammaticâ* à Somnero evulgatum eſt.

Porrò Elfricus noſter ab Epiſcopis rogatus in uſum Eccleſiæ patriæ, quamplurimas Homilias Saxonicè partim convertit, partim confecit. Illæ inter Sacerdotes paſſim diſtributæ, populo diebus Dominicis aut Feſtis publicè legi mandabantur: Exſtant etiamnum plurimæ illarum Collectiones MSS. præſertim in Bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrigienſis. Ex his Abrahamus Whelocus in notis ſuis ad Bedæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam plurima Excerpta Latinè & Saxonicè dedit [e] de Scripturarum lectione. Nimirum ex *Homiliâ in Dominicam primam in Adventu* (quæ 39. eſt in Collectione Sermonum LXXXVIII. quibus titulus eſt, *Liber Catholicorum Sermonum Anglicè in Eccleſiâ per annum recitandorum.*) ƿe ſceolon habban, &c. *Debemus nos ſpirituale convivium habere: habeat quiſque veſtrûm in ore doctrinam ſalubrem; in manu quoque Pſalterium.* Ex *Homiliâ de Aſſumptione Virginis Mariæ* (quæ 73. eſt ibidem) Ʒiꝼ ƿe maꞃe ſecᵹaþ, &c. *Si plura de hoc feſto die diceremus, quàm in ſanctis legimus bibliis, quæ Dei inſtinctu inſtituta ſunt; tum hæreticis ſimiles futuri ſumus, qui ſuo proprio inſtinctu aut ſomniis multa ſcripſere mendacia,* &c. *Sufficit fidelibus legere & diſcere quod verum eſt; & perpauci ſunt, qui poſſunt tota biblia ſacra, quæ vel ore Dei, vel Spiritûs inſtinctu edita ſunt, perfectè perſcrutari. Projiciat quiſque hæretica mendacia, quæ incautos in perniciem ducunt; & legat ſive Adtonſus* [Clericus] *ſive Laicus, vel auſcultet ſacram doctrinam, quæ nos ad cœleſte regnum dirigit, ſi illam audire velimus.* Ex *Homiliâ de Scripturarum lectione,* (quæ in aliâ Collectione Homiliarum & Tractatuum LI. loco 42. habetur) Ðeo ꞃæꝺınᵹ halıᵹꞃa ᵹeƿꞃıꞇa, &c. [f] *Lectio ſacrarum Scripturarum eſt æternæ fœlicitatis in ſanctis Scripturis intellectio; quibus homo ſeipſum poſſit contemplari: qualiſcunque enim in ſingulis contemplator fuerit, talis omnino ſacrarum Scripturarum lectio erit. Illa animam purgat lectoris. Illa metum inferni ſupplicii in mentem adducit. Illa quoque cor ipſius ad ſupernum gaudium allevat. Quicunque cum Deo unà eſſe voluerit, ſæpiùs debet orare, & ſæpius ſacras Scripturas legere. Quando enim oramus, alloquimur Deum; & quando ſacra Biblia legimus, tunc Deus nos alloquitur. Sacrorum Bibliorum lectio duplicem frugem affert lectoribus. Prima eſt, quòd mentis intellectum doceat, ut fiat ſapientiâ*

[e] Pag. 172, 173. [f] Rectiùs forſan verba iſta ſic reddi poſſunt. *Lectio SS. Scripturarum eſt cognitio æternæ fœlicitatis. In SS Scripturis homo poteſt ſeipſum contemplari, tanquam in quodam ſpeculo, quamdiu vixerit: Quinimo lectio SS. Scripturarum purificat animam, &c.*

ſagacior;

ſagacior; altera, ut illam ab hujus mundi nugis ad amorem Dei perducat. Sacrorum Bibliorum lectio opus valdè honorificum exiſtit, multúmque animæ purgandæ conducit. Quemadmodum corpus cibis naturalibus nutritur; ſic etiam homo ſublimior, h. e. anima, divinis nutritur colloquiis; ſicut Pſalmiſta ait: Colloquia tua oris mei palato melle aut ſavo dulciora ſunt. *Perquam fœlix ille eſt, qui ſacras legit Scripturas; ſi verbum in opus convertat. Revera omnes Scripturæ ſacræ in noſtram ſalutem ſcriptæ ſunt, & per illas poſſumus noſſe veritatem. Sæpiùs cæſpitat cæcus quàm videns; ſic etiam qui neſcit Dei præcepta: Sæpiùs offendunt, quicunque illa neſciunt, quàm qui ſciunt.* Quemadmodum & cæcus abſque ductore; ſic etiam homo quivis abſque doctore perquam difficulter in rectâ viâ præceptorum Dei procedet.

Porrò ſcripſit Elfricus linguâ Saxonicâ ad Sigwerdum virum nobilem Compendium quoddam Veteris & Novi Teſtamenti: quod ab Illuſtri viro, Gulielmo L' Iſle editum eſt *Londini* 1638. 4°. In eo S. Scripturæ ſtudium ſæpiùs commendat; & pag. 40. omnibus Chriſtianis neceſſarium eſſe docet. Hu mæᵹ ꞅe man ƿel ꝼaꞃan, ðe hiꞅ mod aƿenꞇ ꝼꞃam eallum ƿiꞅum bocum, &c. *Quomodo illi bene eſſe poteſt? qui ab his libris cor avertit, & præfracto animo vitam potiùs pro effræni ſuâ libidine ducere cupit; ita ut Chriſti præcepta neſciat. Quòd ſi ab his libris imbui & doceri renuas; illic tandem, ubi nolis, inter horrenda tormenta diſces ſcire, quem Deum atque cujus mandata inſuper habuiſti.* Plures etiam S. Scripturæ libros à ſe linguâ Vernaculâ redditos inibi commemorat, pag. 11. integrum *Pentateuchum*, & librum *Joſuæ.* pag. 12. librum *Judith.* pag. 15. partem librorum *Regum.* pag. 22. libros *Heſter*, & *Judith.* pag. 23. libros *Maccabæorum.* Verſioni Geneſeos præmiſit inſignem Præfationem; quâ objectioni vulgari adverſus Scripturarum tranſlationem, à pravo imperitorum intellectu ductæ, ſatisfacit. Extat ea in binis Codicibus MSS. Cantabrigienſibus (altero Bibliothecæ Publicæ, Collegii Corporis Chriſti altero) & in unico Bibliothecæ Publicæ Oxonienſis. Illam itaque, utpote nondum editam, integram ſubjecimus; additâ & Latinè redditâ Verſione viri doctiſſimi & literarum Saxonicarum peritiſſimi, Georgii Hickes, S. T. D. Decani Wigorniensis; quam pro ſummâ humanitate ſuâ in gratiam meam confecit Anglicé.

Incipit PRÆFATIO
Engliſc.

ÆLfric Munuc GRET Æthelƿærd ealdormann eadmodlice. þe bæde me leof ꝥ ic ſceolde þe aƿendan of leden on engliſc þa boc geneſis þa þuhte me hefig time þe to tiðienne þæſ. ⁊ þu cƿæde þa ꝥ ic ne þorfte na maru aƿendan þære bec. buton to Iſaace Abrahames ſuna forðam þe ſum oðer man þe hæfde aƿend fram iſaace þ boc oð ende. nu ðincð me leof ꝥ ꝥ ƿeorc iſ ſƿiðe pleolic me oððe ænigum men to underbeginnenne forðam þe ic ond ræde gif ſum dyſig man þas boc ræt oððe rædan gehyrð ꝥ he ƿille ƿenan ꝥ he mote lybban nu on þære. [e] ſƿa ſƿa þa ealdan fæderas leofodon þa on þære tide ær þan þe ſeo ealde æ geſett ƿære. oððe ſƿa ſƿa men leofodon under moyſeſ æ.

Incipit PRÆFATIO
Saxonica.

ELfricus Monachus Æthelwerdo Comiti ſalutem humiliter precatur. Mihimet olim mandâſti, Domine, ut librum Geneſeos ex Latino in Anglicum ſermonem tibi converterem. Difficile mihi videbatur petitioni tuæ ſatisfacere. Dixiſti itaque mihi non opus eſſe ampliorem libri partem convertere, quàm quæ ad Iſaacum Abrahami filium pertingit: quandoquidem alius quidam reliquam libri partem ab Iſaaco ad finem uſque tibi convertiſſet. Videtur autem mihi, Domine, opus iſtud ſuſceptu periculoſum valdè, ſive mihi, ſive alii cuicunque viro: quoniam verendum eſt; ne ſi vir inſipiens librum iſtum perlegat, aut perlectum audiat, exiſtimet ſibi nunc ſub novâ Lege vivendum eſſe eodem modo, ac Patriarchæ ante Veterem Legem datam vixerunt, aut homines etiam ſub Lege Moſaicâ vixere.

Hƿilon ic ƿiſte ꝥ ſum mæſſe preoſt ſe þe min magiſter ƿæſ on þam timan hæfde þa boc geneſiſ. ⁊ he cuðe be dæle lyden underſtandan. þa cƿæð he be þam heah fædere iacobe ꝥ he hæfde feoƿer ƿif tƿa geſ-

Novi quondam Presbyterum [f]; qui mihi præceptor fuit. Ille tunc temporis librum Geneſeos habuit; & Latina pauxillùm ſcivit. Dixit itaque de Patriarchâ Jacobo, iſtum quatuor uxores habuiſſe; duas ſci-

[f] Æthelwoldum forſan, poſtea Epiſcopum Wintonienſem, intelligit.

[e] *Fortè* niƿan.

ſuſtra

ƿustra ⁊ heora tƿa þinena ful soð he sæde. ac he nyste ne ic na git hu micel to dal is betƿeohx þære ealdan æ ⁊ þære niƿan.

On anginne þisere ƿorulde nam se broðer his sƿuster to ƿife. ⁊ hƿilon eac se fæder tymde be his agenre dehter. ⁊ manega hæfdon ma ƿifa to folces eacan. ⁊ man ne mihte þa æt fruman ƿifian buton on his siblingum.

Gyf hƿa ƿylle nu sƿa lybban æfter cristes to-cyme sƿa sƿa men leofodon ær moyses æ. oððe under moyses æ. ne bið se man na cristen ne he ƿurðe ƿurðe ƿyrðe ne byð ꝥ him ænig cristen man mid ete.

Þa ungelæredan preostas gif hi hƿæt litles understandað of þam lyden bocum. þonne þincð him sona ꝥ hi magon mære lareoƿas beon ac hi ne cunnon sƿa þeah ꝥ gastlice andgit þær-to. ⁊ hu seo ealde æ ƿæs getacnung toƿeardra þinga. oððe hu seo niƿe gecyðnis æft cristes menniscnisse ƿæs gefillednys ealra þæra þinga þe seo ealde gecyðnis getacnode toƿearde be criste. ⁊ be his gecorenum.

Hi cƿeðað eac oft be paul hƿi hine moton habban ƿif. sƿa sƿa petrus se

licet ſorores, & earundem ancillas. Et veriſſimè quidem dixit. Id autem non novit, neque ipſemet ego quidem adhuc, quanta ſit differentia inter Veterem & Novam Legem.

In principio Orbis Conditi frater ſororem ſuam ſibi uxorem duxit; & aliquoties pater ex propriâ filiâ liberos ſuſcepit; & multi plures ſimul habebant uxores in propagationem humani generis; & ſub initio vir uxorem ducere niſi ex cognatione ſuâ non potuit.

Si quis hodie poſt Chriſti adventum vitam eodem modo inſtituere velit; ac homines ante Legem Moſaicam aut ſub Lege Moſaicâ inſtituerunt; ille Chriſtianus non eſt; neque eſt nec eſſe poteſt dignus, quocum Chriſtianus aliquis cibum ſumat.

Presbyteri indocti, ſi vel paululum quid ex Latinis libris ſciant; ſtatim opinantur ſe eximios eſſe præceptores. Myſticum tamen illorum ſenſum nunquam ſciunt; & quomodo vetus Lex [g] ſignificatio erat rerum futurarum; quódque Novum Teſtamentum poſt Chriſti Incarnationem impletio eſſet omnium, quæ Vetus Teſtamentum de Chriſto venturo, & de Electis ejus præfigurabat.

Iſti [h] de Paulo ſæpe dicunt, licuiſſe [i] illi uxorem duxiſſe; pari

[g] Typus, *ſive* umbra. [h] Presbyteros intelligit conjugatos; quorum acerrimus fuit adverſarius. [i] I Cor. IX. 5.

apostol

apostol hæfde. ⁊ hi nellað gehiran ne ƿitan þ se eadiga petrus leofode æfter moyses æ. oþ þæt crist þe on þam timan to mannum com. ⁊ began to bodienne his halige godspel. ⁊ geceas petrum ærest him to geferan.

þa forlet petrus þærrihte his ƿif ⁊ ealle þa tƿelf apostolas þa þe ƿif hæfdon. forlæton ægðer ge ƿif ge æhta. ⁊ folgodon cristes lare. to þære niƿan æ. ⁊ clænnysse þe he sylf þa arærde.

Preostas sindon gesette to lareoƿum þam læƿedum folce. nu gedafenode him þ hig cuþon þa ealdan æ gastlice understandan. ⁊ hƿæt crist sylf tæhte ⁊ his apostolas on þære niƿan gecyðnysse þ hig mihton þam folce ƿel ƿissian to godes geleafan. ⁊ ƿel bysnian to godum ƿeorcum.

Ƿe secgað eac foran to þ seo boc is sƿiðe deop gastlice to understandenne. ⁊ ƿe ne ƿritað na mare buton þa nacedan gereccednysse. þonne þincð þam ungelæredum þ eall þ andgit beo belocen on þære anfealdan gereccednysse. ac hit ys sƿiðe feor þam.

Seo boc is gehaten genesis. þ ys gecynd boc forðam þe heo ys fyrmest boca. ⁊ sprecð be ælcum gecynde. ac heo ne sprecð na be þæra engla gesceaƿenysse. Heo onginð þus. In principio creavit Deus cœlum & terram. þ ys on englisc. on anginne

jure, ac Petrus Apoſtolus duxerit. Audire autem nolunt neque ſcire, Beatum Petrum Apoſtolum ſecundùm Legem Moſaicam vitam duxiſſe uſque ad tempus, quo Chriſtus ad homines advenit; & ſanctum ſuum Evangelium prædicare incipiens, Petrum omnium primum ſibi comitem adjunxit.

Tunc Petrus uxorem ſuam ſtatim deſeruit; omneſque pariter Apoſtoli, quibus uxores fuerunt, & uxores & facultates ſuas deſeruerunt; & Chriſti doctrinam ſecuti ſunt, ſecundùm Novam Legem & puritatem, quam ipſe præceperat.

Sacerdotes Laicis præceptores dantur. Oportuit igitur, ut Veterem Legem myſticè intelligant; quidque Chriſtus, quidque Apoſtoli ejus in Novo Teſtamento docuerint: ut plebem ad fidem Dei probè dirigerent; & ad bona opera bonis exemplis [*præirent.*]

Præfamur etiam hunc librum valde profundum eſſe in intellectu myſtico: & non ampliùs quàm nudam ejus narrationem ſcribimus. Indocti itaque exiſtiment, totum illum [*myſticum*] ſenſum in ſimplici narratione obſeratum teneri; & ab ipſis procul removeri.

Liber iſte vocatur Geneſis, id eſt, liber Generum; quoniam primus eſt liber; & de quocunque [*rerum*] genere verba facit. Nil autem habet de Creatione Angelorum. Sic incipit: *In principio creavit Deus cœlum & terram:* id eſt, Anglicé.

gesceop

gesceop god heofenan ⁊ eorþan. Hit wæs soþlice swa gedon þæt god ælmihtig geworhte on anginne. þa þa he wolde gesceafta ac swa þeah æfter gastlicum andgite. Þæt angin ẏs crist swa swa he sylf cwæþ to þam iudeiscum, Ic eom angin þe to eow sprece. Þurh þis angin worhte god fæder heofenan ⁊ eorþan. forþan þe he gesceop ealle gesceafta þurh þone sunu. se þe wæs æfre of him acenned wisdom of þam wisan fæder.

Eft stẏnt on þære bec on þam forman ferse. Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. þæt is on englisc. ⁊ godes gast wæs gefered ofer wæteru. godes gast ẏs se halga gast þurh þone geliffæste se fæder ealle þa gesceafta þe he gesceop þurh þone sunu. ⁊ se halga gast færð geond manna heortan. ⁊ sylð us synna forgifenisse ærest þurh wæter on þam fulluhte ⁊ siþþan þurh dædbote. And gif hwa forsihð þa forgifenisse þe se halga gast sylð. þonne bið his sẏnn æfre unmẏltsiendlic on ecnẏsse.

Oft ẏs seo halige þrinnẏs geswutelod on þisse bec swa swa ẏs on þam worde þe god cwæð uton wyrcean mannan to ure anlicnisse. Mid þam þe he cwæð uton wyrcean ẏs seo þrinnis gebicnod. mid þam þe he cwæð, to ure anlicnisse ẏs seo soðe annis geswutelod. He ne cwæð, na menigfealdlice to urum anlicnissum. ac anfealdlice to ure anlicnisse. Eft comon ðri englas

on anginne gesceop god heofenan ⁊ eorðan. Ita enim ſeſe res habuit. Deus omnipotens in principio operatus eſt; quùm creationem voluit; ſed ſenſu myſtico. Principium illud eſt Chriſtus; uti ipſe Judæis dixit [k]. *Principium, qui & loquor vobis.* Per hoc Principium Deus cœlum & terram creavit; quia omnes creaturas creavit per Filium; qui Sapientia fuit à Sapienti Patre genitus ab omni ævo.

Rurſum habetur in primo libri commate: *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*; id eſt, Anglicé. ⁊ godes gast wæs gefered ofer wæteru. Spiritus Dei eſt Spiritus Sanctus; per quem Pater vivificavit omnes creaturas quas per Filium creavit. Et Spiritus Sanctus per cor humanum movet; & remiſſionem peccatorum nobis donat, primùm per aquam in Baptiſmo, & poſtea per pœnitentiam. Et ſi quis remiſſionem à Spiritu Sancto datam aſpernetur; tunc peccatum ejus erit irremiſſibile in æternum.

Sacroſancta Trinitas ſæpe in hoc libro revelatur; ut in illis verbis, quæ Deus locutus eſt: [l] *Faciamus hominem ſecundùm ſimilitudinem noſtram.* In eo quod dicit *Faciamus*, Trinitas deſignatur; in eo quod dicit *ſecundùm ſimilitudinem noſtram*, vera Unitas declaratur. Non dicit pluraliter *ſecundùm ſimilitudines noſtras*; ſed in ſingulari

[k] Joan. VIII. [l] Gen. I.

to

to abrahame ⁊ he spræc to him eallon þrim swa swa to anum.

numero *ſecundùm ſimilitudinem noſtram.* Poſtea [m] tres Angeli ad Abrahamum venerunt; & ille omnes tres ſimul, quaſi unicum hominem, allocutus eſt..

Hu clipode abeles blod to gode buton swa swa ælces mannes misdæda wregað hine to gode butan wordum. Be þisum litlum man mæg understandan hudeop seo boc ẏs on gastlicum andgite. þeah þe heo mid leohtlicum wordum awriten sig. Eft iosep þe wæs geseald to ægipta lande. ⁊ he ahredde ꝥ folc wið þone miclan hunger hæfde cristes getacnunge þe wæs geseald for us to cwale. ⁊ us ahredde fram þam ecan hungre helle susle. þæt micele geteld þe moises worhte mid wunderlicum cræfte on þam westene. swa swa him god sẏlf gedihte. hæfde getacnunge godes gelaðunge þe he silf astealde þurh his apostolas mid manigfealdum frætewum. ⁊ fægerum þeawum to þam geweorce brohte ꝥ folc gold ⁊ seolfer. ⁊ deorwirðe gimstanas ⁊ menigfealde mærða. sume eac brohton gate-hær. swa swa god bebead. þæt gold getacnode urne geleafan. ⁊ ure gode ingehid þe we gode offrian sceolon. ꝥ seolfor getacnode godes spræca ⁊ þa halgan lara þe we habban sceolon to godes weorcum. þa gimstanas getacnodon mislice fægernissa on godes mannum. þæt gatehær getacnode þa stiðan dædbote þæra manna þe heora sinna gehreowsiað. Man offrode eac fela cinna

Quomodo clamavit [n] ſanguis Abel ad Deum; niſi ut uniuſcujuſque hominis peccata illum coram Deo accuſant, ſc. ſine verbo? Ex paucis hiſce exemplis animadvertere quis poteſt, quàm profundus ſit iſte liber in myſtico ſenſu; quamvis verbis minimè obſcuris conſcribatur. Poſtea Joſephus, qui in Ægyptum venditus eſt, & à gravi fame populum liberavit; ſignificavit Chriſtum; qui pro nobis venditus eſt in mortem, & ab æternâ inferni fame nos liberavit. Eximium illud Tabernaculum, quod miro artificio Moſes in deſerto fabricatus eſt, prout Deus ipſe illi præſcripſit, ſignificavit Dei Eccleſiam; quam ipſemet per Apoſtolos ſuos inſtituit variis ornamentis & decoris ritibus. Populus aurum & argentum & pretioſos lapides & diverſa magnalium genera ad opus iſtud [*conficiendum*] obtulit. Nonnulli etiam pilos caprarum obtulerunt; prout Deus præceperat. Aurum fidem noſtram deſignavit & venerationem, quam Deo offerre debemus. Argentum verbum Dei figuravit & pias inſtructiones, quas habere debemus ad [*perficiendum*] Dei opus. Pretioſi lapides multi-

[m] Gen. XVIII. [n] Gen. IV

orf

orf gode to lace binnan þam geteælde be þam ys swiðe menigfeald getacnung. ⁊ ƿæs beboden ꝥ se tægel sceolde beon gehal æfre on þam nytene æt þære offrunge. for þære getacnunge ꝥ god ƿile ꝥ ƿe simle ƿel don oð ende ures lifes. þonne bið se tægel geoffrod on urum ƿeorcum.∴

Nu is seo foresæde boc on manegum stoƿum sƿiðe * næroƿlice gesett. ⁊ þeah sƿiðe deoplice on þam gastlicum andgite. ⁊ heo is sƿa geendebyrd sƿa sƿa god sylf hi gedihte þam ƿritere moise ⁊ ƿe ne durron na mare aƿritan on englisc þonne ꝥ leden hæfð ne þa endebyrdnisse aƿendan buton þam anum þæt ꝥ leden ⁊ ꝥ englisc nabbað ne ane ƿisan on þære spræce fandunge. æfre se þe aƿent. oþþe se þe tæcð of ledene on englisc æfre he sceal gefadian hit sƿa ꝥ þæt englisc hæbbe his agene ƿisan elles. hit bið sƿiðe gedƿolsum to rædenne þam þe þæs ledenes ƿisan ne can.∴

Is eac to ƿitanne ꝥ sume gedƿol men ƿæron þe ƿoldon aƿurpan þa ealdan æ. ⁊ sume ƿoldon habban þa ⁊ aƿurpan þa niƿan sƿa sƿa þa iudeiscan doð. ac crist sylf ⁊ his apostolas us

plicem ſervorum Dei pulchritudinem deſignârunt. Pili caprini rigidam hominum de peccatis dolentium pœnitentiam denotârunt. Plurima quinetiam animalium genera Deo in Tabernaculo ſacrificabant: cujus inſtituti ratio eſt multiplex. Et præceptum eſt ut cauda beſtiæ in oblatione ſemper eſſet integra; ut ſignificaretur Deum velle, ut ad extremum uſque vitæ terminum bene faceremus; quippe cùm cauda in operibus noſtris offertur.

Liber prædictus in multis locis clariſſimè conſcribitur; valdè profundus tamen eſt in myſtico ſenſu. Et ita quidem conditur; prout Deus ipſe Moſi ſcriptori ejus dictavit. Neque audemus amplius quid ſcribere Anglicè, quàm in Latino habetur; neque ordinem immutare, niſi in hoc duntaxat; quùm Latinus & Anglicus ſermo eandem loquendi formam non obſervent. Qui interpretatur aut docet Latina Anglicè [*reddere*] eam ſemper methodum obſervare debet; ut Anglicus ſermo ſuum idioma teneat: Aliter lectio in plurimos errores indûcet illos; qui idioma Latinum non intelligunt.

Sciendum autem eſt, nonnullos fuiſſe Hæreticos; qui Veterem Legem rejiciebant. Iſtam aliqui retineri, & Novam rejici, voluerunt: quod Judæi faciunt. Chri-

* Forſan neaƿolice legendum, id eſt, *breviſſimè*

 tæhton

tæhton ægþer to healdenne þa ealdan gastlice. ⁊ þa niƿan soþlice mid ƿeorcum.∴

ſtus autem ipſe ejuſque Apoſtoli, Veterem Legem in myſterio, & Novam in veritate cum [*bonis*] operibus obſervare nos docuerunt.

God gesceop us tƿa eagan ⁊ tƿa earan. tƿa nosþirla. ⁊ tƿegen ƿeleras. tƿa handa ⁊ tƿegen fet. ⁊ he ƿolde eac habban tƿa gecẏðnissa on þissere ƿorulde geset. þa ealdan. ⁊ þa niƿan. forþam þe he deþ sƿa sƿa hine sẏlfne geƿẏrð. ⁊ he nænne rædboran næfð. ne nan man ne þearf him cƿeðan to hƿi dest þu sƿa. ƿe sceolon aƿendan urne ƿillan to his gesetnissum ⁊ ƿe ne magon gebigean his gesetnissa to urum lustum.∴

Deus nobis creavit duos oculos, & duas aures, & duos nares, & duo labia, & duas manus, & duos pedes: & duo etiam Teſtamenta, Vetus ſc. & Novum, in orbe ſtabiliri voluit; quoniam operatur honoris ſui gratiâ; & conſiliarium ſibi non adhibet; neque aliquis ei dicet: Cur ita facis? Voluntates noſtras præceptis ejus conformare debemus; neutiquam verò præcepta ejus ad libidines noſtras inflectere.

Ic cƿeðe nu ꝥ ic ne dearr ne ic nelle nane boc æfter ðissere of ledene on englisc aƿendan. ⁊ ic bidde þe leof ealdorman ꝥ þu me þæs na leng ne bidde. þe læs þe ic beo þe ungehirsum oððe leas gif ic do. God þe sig milde á on ecnisse. Ic bidde nu on godes naman gif hƿa þas boc aƿritan ƿẏlle. ꝥ he hig gerihte ƿel be þære bẏsne. forðan þe ic [p] nah geƿeold þeah þe hig hƿa to ƿoge bringe þurh lease ƿriteras. ⁊ hit bẏð þonne his pleoh na min. Mẏcel ẏfel deð se unƿritere gif he nele hẏs ƿoh gerihtan.∴

Dico ampliùs, me neque audere neque velle alium aliquem poſt hunc librum ex Latino Anglicè convertere. Teque, dilecte Comes, obſecro; nequid à me poſthac efflagites: ne aut tibi inobediens fiam [*ſi renuam*] aut mendax, ſi faciam. Deus tui ſemper miſereatur. Si quis iſtum librum exſcribere velit; iſtum per Dei nomen obteſtor, ut illum juxta autographum diligenter corrigat. Nollem enim, ut per errata ſcriptionis aliquem in errorem ducat. Quòd ſi contigerit; diſcrimen non meum erit, ſed illius. Librarius negligens multum affert damni; ſi errata ſua nolit corrigere.

Præfationi in Codicibus Cantabrigienſibus ſuccedit *Exhortatio ad Scripturarum Lectionem*; quæ ex Sermone Auguſtini 112. de Tempore integra eſt deſumpta, paucis immutatis; atque incipit. Ðeo ræding haligra

[p] *Fortè* na.

Illam

Illam ſupra habes ex Verſione Wheloci; qui ex Homiliâ quadam Elfrici deſcriptam Latino-Saxonicè dedit in Notis ad Bedæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam, pag 173. niſi quòd penultimam ſententiam (vir tamen, ſi quis alius, Saxonicè peritiſſimus) aliud agèns, in Verſione ſuâ mutilaverit. Illam itaque reſtitutam damus. Ofter ætſpurnæð þe blinda þonne þe lociende· ſwa eac þe þe nat godes beboda. ofter ſyngað ſwa ſwa he hit nat. þonne do þe þe hit wat.: *Sæpiùs impingit cæcus quàm videns: ſic etiam qui neſcit Dei præcepta, ſæpiùs peccat, eò quòd ea neſciat, quàm ille qui ea ſcit.*

Notandum eſt, quod ſupra in Præfatione dicit Elfricus, ſe iſtam ſolummodo Geneſis partem tranſtuliſſe, quæ ab initio libri ad Iſaacum pertingit. Uterque enim Codex Cantabrigienſis eam ſolummodo partem continet, in Capite XXIV. terminatus. Codex autem Oxonienſis integrum ferè abſolvit Heptateuchum; minimè tamen accurata Verſio cenſenda eſt. Neque ipſimet Interpretes ejuſmodi Verſionem in animo habuiſſe, ſed utiliora atque inſigniora duntaxat loca ſelegiſſe videntur. In Codice enim Oxonienſi, ut hiatum lacerati voluminis taceam; in libro Geneſi, decimi Capitis nonniſi duo priora atque ultimum commata exprimuntur. Viceſimi ſecundi à verſu viceſimo ad finem uſque Capitis omittuntur. Viceſimi tertii brevis, ſatis accurata tamen, Epitome habetur. Viceſimi ſexti duo ſolummodo poſteriora commata repræſentantur. Triceſimi ſexti nonniſi 6us 7us & 8us verſus. Dein ad finem uſque libri omnia ſatis fideliter redduntur. Exodus in quarto verſu Triceſimi quinti Capitis terminatur. Leviticus ea duntaxat habet, quæ Legem Moralem ſpectant: Ceremonialia ferè omittuntur. Plura habent libri Numerorum, Deuteronomii, & Joſuæ, minimè tamen omnia. Judicum liber in ultimo decimi ſexti Capitis commate finitur. Iſta mihi datis literis retulit, qui Codicem conſuluit, vir Saxonicæ literaturæ ſcientiſſimus, D. Edmundus Gibſon, Oxonienſis. Hactenus de Elfrici Verſionibus.

Cæterùm ea fuit olim Eccleſiæ Anglicanæ cura in promovendâ plebis ſibi commiſſæ inſtructione; ut quoties lingua popularis inſignem mutationem paſſa eſt; toties recenti verſione adornatâ Elementa fidei in vulgus edenda duxerit. Indicio eſt Codex MS. Anglo-ſaxonicus Homiliarum & Tractatuum variorum, in Bibliothecâ Lambethanâ aſſervatus; qui præter Homilias XIV. & Tractatus ac Orationes diverſas, continet Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolorum, cum Expoſitionibus ſatis prolixis. Utitur autem linguâ, quæ à Saxonicâ veteri haud parùm diſtat, & ad hodiernam Anglicam propiùs accedit;

dit; eâ ſc. quâ uſi ſunt Anglo-Saxones, poſtquam ex diuturno cum Normannis convictu antiqua dialectus exoleſcere cœpiſſet. Non ſtatim enim ab adventu Normannorum lingua Saxonica exolevit; quæ per multos adhuc annos non ſolùm apud vulgus, ſed & in publicis etiam ſcriptis uſurpata fuit. Teſtimonio ſit Charta Originalis (inter Archiva Bibliothecæ Lambethanæ) Henrici I. Regis, Willelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi ſedis ſuæ fundos ac poſſeſſiones confirmans, poſt ſexaginta circiter à Conqueſtu annos. Scribitur autem linguâ tam Latinâ quàm Saxonicâ, à veteri quidem Saxonicâ paululum diversâ, quæ tamen & Grammaticam & characteres Saxonicos retinet.

1000. Author Libri de duplici Martyrio ad Fortunatum.

Inter Cypriani Opera, Append. 2. pag. 45. edit. Oxon. *Tutiſſimum cordis munimentum eſt ſobrietas cum inſtanti oratione, jugique Scripturarum meditatione.* Omnis enim Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt, &c. *Ex hâc igitur colligendæ ſunt ſententiæ; quas ad manum & velut in procinctu habeas; ut his protinus Serpentem caput erigentem dejicias. Nullus eſt enim animorum morbus, cui non præſens remedium divina Scriptura ſuppeditaret. Hinc comparanda ſunt exempla piorum, ſed præcipuè Chriſti, quibus ſe quiſque vel animet vel conſoletur.* Videtur iſte Tractatus ſaltem poſt annum milleſimum ſcriptus; poſtquam Turci, (de quibus inibi mentio fit) Occidentalibus Chriſtianis innotuerunt.

Huic adjiciam locum ex libro de XII. Abuſionibus ſæculi, ibid. p. 47. cap. 5. *Pudica fœmina bonis ſemper moribus delectatur & conſentit; & aſſiduis Scripturarum meditationibus & eloquiis animam vegetat.* Citatur iſte liber ab Hincmaro Epiſt. ad Carolum III. Imp. Tom. 2. Opp. pag. 186.

1020. Canutus, Angliæ & Daniæ Rex.

Iſto, ut videtur, ævo Scriptura Sacra in linguam etiam Danicam converſa eſt. Extat enim in Bibliothecâ Cottonianâ (ſub effigie *Caligulæ*, A. 7.) liber MS. ſermone Danico pulcherrimè conſcriptus, & picturis elegantiſſimis ornatus; qui fuit quondam Canuti Regis. Titulum præfert recentiore manu additum: *Evangelia IV. ſermone Danico.* Verùm mihimet Codicem inſpicienti compertum eſt, non tam Quatuor Evangelia, quàm Harmoniam Evangeliorum IV. in eo contineri;

tineri; qualis ab Ammonio, & Tatiano, Græcè, à Victore Capuano Latinè eſt concinnata. Latinæ itaque Harmoniæ Verſio videtur, minimè tamen κτ̀ πόδας facta. Ex. gr. *Jeſu*, aut *Chriſti* nomen vix ullibi habet; pro eo Godeſ barn, *Dei Filium*, ſæpiùs reponens. Charactèri Saxonico propè accedit; quin & innumera vocabula Saxonicæ linguæ habet communia. Præfigitur præſatio cujus initium expreſſi.

Incipit Quatuor-Evangelium MANEC AWARON thelıaıroınod geſpon thatſia bıgunnun uuord godeſ reckean that gıruni that thı riceo Criſt undar mancunnea marıtha gıfrumıda mıduuordun endımıd uuercun.

Hiſtoria Vocationis Petri & Andreæ hiſce verbis narratur; quibus textum Vulgarem è regione appoſui; quo major illis lux affulgeret.

Gieng ım thuo bıeneſ uuatereſ ſtode thar thıe habda ıordan aneban galıleo land enna ſeo gıuuarahtan thar hıe ſittean fand Andreaſe endı Petruſe bıthem aha ſtrome bethıa thıa gıbruoder thar ſia anbred uuatar ſuıthuo nıudlıco nettı thenı dun. fiſcodun ım anthem fluode thar ſea thar frıthu barn godeſ, &c.

Ambulans autem Jeſus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare: erant enim Piſcatores. Et ait illis: Venite poſt me; & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Vulgatæ Verſioni conſentit Victoris ſive Ammonii Harmonia; niſi quòd vocem *Jeſus* omittat.

1030. Herlevinus, Abbas Beccenſis.

Vitam ejus ſcripſit Gilbertus Criſpinus, Abbas Weſtmonaſterienſis, qui Cœnobii Beccenſis Monachus fuerat. Inibi de Herlevino iſta refert. [q] *Semper inquibat: Homo literarum & mandatorum Dei neſcius, quid præſtat? &c. Laicos quâ inſtantiâ, ut ad diſcendum Pſalmos intenderent, agebat? Quibus modis ut quod inchoaverant, amando tenerent, inſtabat?* Tantùm abfuit, ut viri ſancti illius temporis Laicis Scripturæ lectionem interdicerent; ut illam omnibus potiùs ſedulò commendarent; cùm tamen è Laicis, qui Latinè nôrit, monſtro eſſet. Quin

[q] In Append. ad Lanfranci Opp. Pariſ. 1648. pag. 38.

&

& præcipuum erat ſanctitatis argumentum etiam in Fœminis, divinas Scripturas lectitare. Sic enim Petrus Damiani, Cardinalis Romanus, Agnetem Imperatricem in Epiſtolâ ad ipſam collaudat. [r] *In orationibus & Pſalmodiæ ſedulâ modulatione perſiſtis, &c. Hinc eſt, quòd à me requiſiſti; utrùm liceat homini, inter ipſum debiti naturalis egerium, aliquid ruminare Pſalmorum.*

Laicos, quos tantâ inſtantiâ ad diſcendum Pſalmos Herlevinus hortabatur, Latinam linguam calluiſſe minimè credibile eſt. Sacram quidem Scripturam Caroli M. ævo Gallicè converſam eſſe Cl. Armachanus ſupra [f] demonſtravit. Verùm adeò mutata eſt ſæculis intermediis Gallica dialectus; ut Tranſlatio ante annos ducentos facta Normannis Herlevini æqualibus parùm inſerviret. Alia igitur Gallica Scripturæ Verſio ſub iſtius tempora adornata videtur. Sanè extat MS. in Collegio SS. Trinitatis apud Cantabrigiam Pſalterium ingenti volumine pulcherrimè deſcriptum & picturis elegantiſſimis ornatum ab Eadwino Monacho Anglo, ſæculo, prout conjici queat, undecimo. In eo præter Verſiones plures Latinas, & Angloſaxonicam Alfredi, habetur Verſio Gallica, eâ videlicet linguâ, quæ Normannis illo tempore vulgaris erat. Extat & in Bibliothecâ Cottonianâ [t] MS. Pſalterium Gallico-Latinum: quod in Angliâ conſcriptum eſt (Calendarium enim præfixum Anglicos ferè Sanctos exhibet) ſcriptum autem ſaltem ante finem ſæculi duodecimi. Thomæ enim Cantuarienſis Calendarium non meminit. Incipit, *Bakun chi ne alat el cunſeil des feluns; & en la veie des pecheurs ne ſtout; & en la chaere de peſtilence ne ſiſt.*

1040. Theophanes Cerameus, Archiepiſcopus Tauromenitanus,

Homil. in Dormitione B. Virginis, propè fin. p. 417. Ἀλλὰ σπουδάζωμεν καὶ ἡμῶν ἕκαστος ὑποδέξασθαι τὸν δεσπότην ἐν ἑαυτῷ διὰ θεωρίας καὶ πράξεως, καὶ ὡς Μαρία παρὰ τοὺς ἀχράντους πόδας αὐτοῦ παρακαθίζωμεν· νοοῖντο δ' ἂν πόδες αἱ θεόπνευστοι βίβλοι, αἳ τὸ γάλα τῆς εὐσεβείας δαψιλῶς ἐπιβλύζουσι. *Studeat unuſquiſque noſtrum in ſeipſum recipere Dominum per contemplationem [& actionem:] ac Mariæ modo ad puriſſimos ipſius pedes ſimus aſſidui. Per pedes porrò poſſunt intelligi Libri divinitus inſpirati; qui lac abundè profundunt.*

[r] Apud Baron. ad An. 1052. num. 96. [f] Cap. 5. ad An. 807. [t] Sub effigie Neronis. C. 4.

1040. Berengarius, Archidiaconus Andegavenſis,

Expoſit. ſuper Apocalypſin, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, in cap. 1. *Multi namque ſunt, qui mandata Dei aut audiunt aut legunt: ſed nichil eos juvat; quia cùm corpore præſentes ſint, mente abſentes ſunt.*

Ibid. Viſione 1ª. prope fin. in Apoc. III. 18. Eme à me aurum probatum, ignitum.] *Per aurum ſapientia intelligitur; ſicut ſcriptum eſt:* Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. *Quod* probatum *dicitur; quia probatos & perfectos reddit omnes, quos poſſidet.* Ignitum *verò ideo dicitur; quia eorum mentes, in quibus habitat, in amorem Dei atque proximi accendit. Et quia vera ſapientia ex divinis Scripturis accreſcit, Pſalmiſta manifeſtat, cum dicit:* Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terrâ, purgatum ſeptuplùm. *Eloquia Domini eloquia* caſta *ſunt; quia caſtas mentes à vitiis reddunt. Sed cùm nichil purgari poſſit, niſi quod ſordidum eſt; quærendum nobis eſt, quomodo eloquia Domini purgari dicuntur; in quibus nichil ſordidum eſſe poteſt. Eloquia ergo Domini ſicut argentum igne examinata dicuntur: quia mentes fidelium aliquando igne pœnitentiæ, aliquando igne caritatis, ab omnibus ſordibus vitiorum examinant. Quòd autem ait* probatum terræ, *in Hebræo habet,* ſe paratum à terrâ. *Quod etiam* ſeptuplùm *purgatum dicitur, propter ſeptem purgationes, quas divina Scriptura in ſe continet, ſeptem videlicet virtutes, quibus omnia vitia purgantur,* &c. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.] *Pulſat Dominus ad hoſtium noſtrum; cùm per Scripturam divinam cotidie nos ammonet; ut vitia relinquentes, ad bona opera agenda convertamur. Vocem ejus audimus, & januam aperimus; cùm mandata ejus totâ mentis intentione ſuſcipimus.*

Ibid. in Præfatione. *Sicut terræ ſterili ampliùs proficit aſperſio ſtercoris, quàm alicujus metalli pretioſi: ita & indoctis hominibus plùs proficit divina Scriptura mediocriter prolata, quàm ſi Philoſophico aut Poetico ſermone proferatur. Sciantque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſacramenta doctrinæ ſuæ non primò Philoſophis, ſed Piſcatoribus tradidiſſe; ut per Piſcatores veniret ad Philoſophos.*

Expoſitio iſta Ambroſio ſuppoſita, inter Opera illius excuſa reperitur, demptis Præfatione & Introductione; quæ in excuſis fruſtra quæruntur. Ambroſio autem illam minimè deberi nullus non novit. Reſtat igitur, ut de Authore genuino nonnulla diſpiciamus. Duplex ejus exemplar MS. in Bibliothecâ Lambethanâ habetur; alterum vetuſtius (quòd quidem Berengarii ætate haud multò inferius videtur) in principio mutilum, titulo & præfatione caret: alterum recentius Beringuedis

guedis cujuſdam nomen inſcriptum præ ſe fert. Aliud exemplar vidi MS. in Bibliothecâ Collegii Gonvilii & Caii apud Cantabrigienſes, Berengario inſcriptum. De eo certior à me factus, uti & de Codicibus Lambethanis ab amico quodam doctiſſimo, Vir Cl. Guilielmus Cave, librum Berengario abjudicandum, Beringuedi tribuendum conjecit [u]. Vereor autem ne infœlici conjecturâ. Plurimi quidem Codices MSS. à Jameſio [x] memorati, Beringuedis nomen præferunt. Id tamen aut ignorantiâ aut fraude Monachorum librariorum, quibus inviſum erat Berengarii nomen, factum videtur. Neque enim Scriptor ullus Beringuedem memoravit; aut de iſtiuſmodi Scriptore vel inaudivit. Pitſæus equidem illum in Appendicem ſuam rejecit; nihil aliud autem de illo dicendum habuit, quàm ſe nomen ejus in fronte *Expoſitionis in Apocalypſin* reperiſſe. Neque certius aliquid novit Boſtonus Burienſis; qui in Catalogo ſuo Scriptorum Eccleſ. (cujus exemplar MS. imperfectum penès Archiepiſcopum Cantuarienſem manet) Berengaudi quidem Opera, & in his Expoſitionem Apocalypſeos, enumerat; quod tamen Boſtono ſolenne eſt, è ſolâ fide titulorum, quos Codicibus MSS. affixos deprehenderat. Quin & inter ipſos Codices de nomine nequaquam convenit. Alii Beringuedim, alii Berengwiddin, alii denique Berengaudum vocant. Verùm enimvero ut quod ſentio, dicam: inficeti quidam tenebriones, quibus aut Berengarii nomen, abbreviatè ſcriptum, ignotum erat; aut ob dogma de Euchariſtiâ inviſum: Auctoris nomen ſibi pro lubitu cudendum aut immutandum ſuſceperunt. En præclarum igitur commentum, quod in fronte recentioris Codicis Lambethani comparet. *Quiſquis auctoris nomen ſcire deſideras, literas Expoſitionum in Capitibus ſeptem Viſionum primas attende. Numerus quatuor vocalium quæ deſunt, ſi Græca poſueris eſt* 81. *Literæ Expoſitionum ſeptem primæ hæ ſunt B. R. N. G. V. D. S. Verò vocales ſecundùm præfixum numerum quæ deſunt, hæ videntur.* $\overset{5}{\text{e}}$. $\overset{5}{\text{e}}$. $\overset{1}{\text{i}}$. $\overset{70}{\text{o}}$. Præfationi ſuccedit Carmen, quod incipit.

Hunc qui compoſuit librum, plerique vocatum
Dant Berengaudum; verumque velut reor, aiunt.

Ipſi igitur, qui calculum tam præclarè ſubduxerunt nebulones, de commenti ſui veritate ſubdubitàrunt. Neque Berengarium enim neque Berengaudum de iſtiuſmodi artificio ſomniâſſe arguit error ejus manifeſtus. Inter conſonas enim antepenultima, inter vocales ultima, otioſæ ſunt. Incredibile autem eſt, Authorem ſi iſtiuſmodi quid in animo habuiſſet, artificium quod nomini ſuo adamuſſim congrueret, excogitare non potuiſſe. Be-

[u] Hiſt. Liter. p 602. [x] Eclog. Oxon-Cant.

rengario

rengario igitur potiùs, quam Berengaudo iſti fictitio, Opus eſt relinquendum. Rem extra omne dubium ponet Johannes Subprior, qui prolixum in Apocalypſim conſcripſit Commentarium, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ aſſervatum. In prologo enim Expoſitores Apocalypſeos recenſens, poſt Jeronymum, Auguſtinum, Primaſium, Victorinum & Bedam memoratos, hæc habet : *Noſtri quoque temporis Magiſter Berengarius, & Robertus Prior; qui quanto ſunt tempore poſteriores, tantò ſunt per experientiam & manifeſtationem ipſius prophetiæ ad exponendum certiores; totum librum ex ordine pleniter expoſuerunt; & Expoſitiones ſuas ex locis ſanctarum Scripturarum fortiter munierunt.* Ex horum pariter ac priorum Expoſitionibus Commentarium ſuum Johannes conflavit, paucis de ſuo additis. In eo igitur reperiuntur continua ferè & ampla Berengarii Excerpta; quæ in Codicibus noſtris MSS. totidem verbis comparent. Atque has quidem Berengarii vindicias me egiſſe, Eruditos, ſpero, non pigebit.

1070. Lanfrancus, Archiepiſcopus Cantuarienſis,

Comm. in 1 Cor. XIV. pag. 74, 75. Qui enim loquitur linguâ.] *ſc. auditoribus incognitâ.* [Non hominibus loquitur.] *Simplex bonum. Ipſe enim ſolus intelligit.* [ſed Deo. Nemo enim audit.] *i. e. intelligit, &c.* Et ideo] *quia quærenda ſunt dona quæ proſunt.* [qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur. Nam ſi orem] *loquar* [linguâ; ſpiritus meus] *vox mea* [orat.] *id eſt, ego nulli proſum.* [mens autem mea ſine fructu eſt.] *i. e. ſine compunctione; quia non intelligo, quæ linguâ loquor.* [Quid ergo eſt?] *Quandoquidem non proſum loquens linguam non interpretans: eſſe debet, quod ſequitur, ſc.* [Orabo ſpiritu:] *i. e. voce.* [Orabo & mente.] *ut interpretari ſciam, &c.* Sic Gloſſa. Commentarius autem in illud [*Quid ergo?*] ſic docet. *Eſſe debet, ſi bene. Si vox loquens incognitâ linguâ benedicat Deum vel cibum vel aliquid hujuſmodi; Auditor idiota, i. e. audiens & non intelligens, neſcit quando debeat reſpondere Amen, aut Deo gratias; nec eſt qui ſuppleat locum reſponſionis ejus, i. e. qui vice illius reſpondeat; cùm omnes ignorent verba loquentis.*

1080. S. Wulſtanus, Epiſcopus Wigornienſis.

Frequentibus Conciliorum decretis cautum eſt; ut SS. Scripturæ non ſolùm in Eccleſiis, Monaſteriis, & Scholis, verùm etiam in conviviis virorum Eccleſiaſticorum prælegerentur. [Vid. infra, cap. 7.] Cùm

 verò

verò fieri non potuit; quin convivarum pars maxima Scripturas Latino ſermone prælectas minùs intelligerent; mos fuit Epiſcopis, qui ſalutem animarum magis curæ habuerunt, Lectiones convivis ſuis indoctioribus vernaculo ſermone interpretari. Exemplo ſit Wulſtanus, Epiſcopus Wigornienſis, quo non alius inter Antiſtites Anglicanos majorem ſanctitatis famam obtinuit. De eo iſta habet Joannes Vicarius de Tynmouth; qui *Hiſtoriam Auream* tribus prægrandibus voluminibus circa An. 1360. conſcripſit, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ aſſervatam, lib. 21. cap. 106. *Legebantur ad menſam ejus libri ædificationi accommodi; cunctis interim ſummum præſtantibus ſilentium. Jam verò quiete epulis data, exponebat lectionem patriâ linguâ; ut cæleſtem impertiret alimoniam, quibus miniſtraverat corporalem.* Eadem verba paulùm immutata in Wulſtani Vitâ refert Capgravius, fol. 333. *Legend. Nov.* qui integrum ferè Opus ſuum ex Tynmuthenſis *Hiſtoriâ Aureâ* deſcripſit. Paria de Roberto Betune, Herefordenſi Epiſcopo, (qui in Concilio Remenſi Anno 1148. XVI. Cal. Maii, non ſine ſanctitatis opinione obiit) narrat Willelmus Prior Lanthonienſis, diſcipulus ejus ac familiaris; qui Vitam illius non ineleganter conſcripſit libris duobus ad Henricum Epiſcopum Wintonienſem, Stephani Regis fratrem (MS. in Bibliothecâ Lambethanâ) *Lectionem Scripturarum ad menſam audire conſueverat; de quibus inter epulandum aut cum literatis breviter & modeſtiſſimè conferebat; aut illiteratis aſſidentibus aliquid ædificatorium utiliter exponebat.* lib. 2. cap. 15.

1090. Ivo, Epiſcopus Carnotenſis,

Lib. de Eccleſiaſticis Officiis, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. Cap. 19. [y] *Hunc autem Hymnum* (Sanctus) *& ipſe Sacerdos cum aliis neceſſariò debet dicere: ne ſeipſum ſuâ prece videatur privâſſe; qui & ſuas & aliorum voces angelicis laudibus admitti deprecatus eſt in præfatione.* Cap. 12. [z] Nimiam precum multitudinem, quæ in quibubam Eccleſiis obtinere cœperat, reprehendit; eò quòd populi attentionem inducto tædio diſſiparet. Cap. 26. [a] *Orationem, quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine, ſed ex Religioſorum traditione habemus: ſc.* Domine Jeſu Chriſte, qui ex voluntate Patris. *Item & illud.* Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti: *quod dicimus, cùm aliis Euchariſtiam diſtribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes; quas quidam ad pacem & communionem privatim frequentant. Sed diligentiores*

[y] In Micrologo eſt cap. 11. [z] Ibid. cap. 4. [a] Ibid. cap. 18.

antiquarum

antiquarum Traditionum obſervatores nos in hujuſmodi privatis orationibus brevitati ſtudere docuerunt, potiùſque publicis precibus in Officio Miſſæ occupare voluerunt. Nam ut B. Innocentius Papa ſcribens S. Auguſtino & Aurelio Epiſcopis, aſſerit : Nos plùs communibus & publicis, quàm ſingularibus & privatis orationibus, proficere poterimus.

Ex Codice iſto MS. Ivonem Micrologi auctorem eſſe (quod quidem hactenus Eruditos latuit) deprehendi. Codex enim ipſe præclaræ vetuſtatis eſt, Ivone haud multò inferior; adeoque nihil non fidei meretur. In fronte autem iſtiuſmodi titulum præfert, *Liber Ivonis, Carnotenſis Epiſcopi, de Eccleſiaſticis Officiis.* Conſtat Capitulis LXXI. Ex his octo priora (quæ *De Nocturnis Vigiliis, De matutinis Laudibus, De Primâ, De Tertiâ, De Sextâ, De Nonâ, De Veſpertinâ Synaxi,* & *De Completorio,* inſcribuntur) nondum, quod ſcio, prodierunt. Sequentia Capitula LXII. Micrologum conſtituunt. Ultimum (quod de Miſſæ ſingularumque ejus partium Authoribus agit) Micrologo deeſt.

1100. Richardus de Dumellis, Abbas Pratellinus. [b]

Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ fuſiſſimus in priora XXVIII. Geneſeos Capita Commentarius; cujus Prologus ſic incipit. *Anſelmo Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, quidam Dominicæ crucis Servus, & Miniſter Cœnobii Pratellini, &c.* Inibi Author omnia ferè ad Scripturam, importunè etiam aliquoties, ſolet trahere; atque illi myſticè accommodare res maximè communes, puta Cœlum, Solem, Aquas, Paradiſum, &c. Sic enim lib. 1. ad illud [*Producat terra herbam virentem.*] Poſtquam utilitatem Scripturæ latè prædicâſſet, ait : *Quid eſt herba virens aliud quàm ſenſus literæ ſimplicis? quæ rudi populo, jumentis videlicet ſummi Regis, pabulum ſalutiferum ſubminiſtrat. Scriptum eſt enim :* Qui dat jumentis eſcam ipſorum. *Ecce virens herba, unde parvulorum intellectus educatur.* [Et Stellas] *Quid ſunt aliud ſtellæ in firmamento poſitæ, quàm electorum animæ, quæ S. Scripturis invigilant?* Et Lib. 2. ad illud : [Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris.] *Et bene aquæ reptile producere dicuntur; quia S. Scriptura parvulos ſenſu quaſi vivido calore fovet, membra illorum informat; quouſque provectus eorundem intelligentiam ſuperiorem myſticarum locutionum pernice curſu adire valeat. — Creſcit ſiquidem creatura rationalis in ſui crea-*

[b] Monaſterium id Normanniæ eſt, in Diœceſi Lexovienſi, circa Annum 105?. fundatum.

toris devotione; multiplicatur bonorum operum conſummatione; replet aquas maris, per inveſtigationem legis myſticæ. Cùm enim pauci profunditatem ſanctarum Scripturarum intelligunt; quaſi pauca reptilia aquæ producunt. At ubi verò ad ſolidum cibum capiendum idonei facti fuerint, & interiora myſteriorum, prout intelligunt, aliis revelaverint; creſcere quidem & multiplicare & aquas maris implere videntur. Igitur aquæ maris replentur; cùm tripartitus ſenſus ſacræ legis ſimplicibus etiam panditur. —— Quid ſunt paſcua niſi S. Scripturæ, quæ mundis animalibus alimoniam præſtat? Inde fortitudinem interiori homini ſumminiſtrat, &c. De Paradiſo. *Quis eſt Paradiſus ille, quem Dominus plantavit, & in quo hominem ipſe poſuit, niſi ſancta Eccleſia, vel ſacra Scriptura, ubi omnes ſpecies deliciarum inveniuntur, & ubi Lignum Vitæ, Lignum quoque Scientiæ boni & mali plantantur?* Lib. 3. *Dominum autem in Paradiſo deambulare, eſt per diverſa loca ſacrarum Scripturarum, quæ quotidie in Eccleſiâ lectitantur, ſalutem animarum quærere, & multifariâ cunctos deviantes exhortatione ad viam veritatis reducere.*

Ibid. *Quid igitur accipitur convenientius per Cherubim*[b], *qui plenitudo ſcientiæ interpretantur, quàm ſacra Scriptura; per quam nobis onus noſtrarum miſeriarum; & iter, quo revertimur ad patriam, ſatis abundè quoque declaratur? In eâ nimirum promiſſiones gloriæ cœleſtis deſcribuntur; rurſus in eâdem minæ terroreſque gehennalis incendii continentur; quæ, ni fallor, nomine flammei gladii præfigurantur, &c. Viſne redire ad Paradiſum? Volo, inquis. Adito, inquam, Cherubim; hoc eſt, ſcrutare profunda myſteria ſacrarum Scripturarum; quarum eruditione habes redire ad Paradiſum; quem perdideras per primi parentis appetitum illecebroſum. Alioquin clauditur tibi via Paradiſi; niſi tui cordis aurem conſilio ſacræ Scripturæ ſummiſeris.* Lib. 5. Miram profunditatem divinarum Scripturarum, *quæ cuncta ſacramenta Catholicæ religionis continent*, deprædicat. Lib. 9. *Vertitur autem iſte fons* [Vitæ] *in puteum juxta capacitatem legentium. Quippe ſermo divinus minimis & magnis ſeſe capabilem reddit; & omnibus omnia factus condeſcendit. Benedictus Dominus Deus; qui parvulis hauritorio carentibus, Scripturam ſuam juxta morem fontis in ſuperficie terræ manantem ad potandum propinat; cæteris verò jam ſenſus exercitatos habentibus atque valentibus potum trahere de profunditate ſacri eloquii, puteum*[c] Viventis & Videntis me *præparat effodiendo.* Lib. 10. Remiſſum atque ſenſim evaneſcens in Eccleſiâ S. Scripturæ ſtudium deflet. *Appropinquante jam termino mundi labentis, & refri-*

[b] Gen. III. [c] Gen. XVI. 14.

gеſcente

geſcente caritate quamplurium, rigor quidem Chriſtianæ religionis oppidò frigeſcit; & opera ſacræ lectionis, quam conſtat eſſe fomitem animi ad ſuperna gaudia tendentis, fermè redacta eſt in nichilum. Lib. 11. De Verſione LXX. Ptolomæo Rege procurante factâ locutus, inſit. Nam *Sacramenta realiter illarum literarum ſapientibus & inſipientibus patuerunt.* Et poſt pauca ſubdit: [*Vir pius*] *ne quando deficiat, fortitudinem ſacræ lectionis oppoſitam ſibi conſpicit. Eſt autem ſermo dominicus mirabile ſpeculum unicuique, qui jam arcem ſanctitatis aſcendit, vel aſcendere molitur.* Denique Patresfamiliâs omnes, etiam Plebeios, ut conjuges atque liberos ſuos S. Scripturæ cognitione pro facultate ſuâ imbuant, hortatur, Lib. 15. *Qui ſunt illi, qui remanent ad ſarcinas compede copulationis uxoriæ devincti? niſi quidam Chriſtianæ plebis, quibus committitur ſarcina cuſtodiendæ legis, forma videlicet ſimplicis eruditionis, per quam procurat familiam ſuam. Non enim eſt parvæ laudis, hominem habere conjugem ſuis imperiis parentem, & filios habere ſubditos diſciplinæ ſpirituali. Qui cùm profunda myſteria ſacrarum Scripturarum ob tarditatem ingenii nequeunt penetrare; circa ſimplicem intellectum hiſtoriæ jubentur degere.* Codex quidem Lambethanus nullius Authoris nomen præfert. Ab *Abbate* tamen quodam *Pratellino* conſcriptum fuiſſe opus, ex ipſo Epiſtolæ Nuncupatoriæ initio conſtat. *Richardum* Abbatem fuiſſe docet Codex MS. in Monaſterio Pratellino aſſervatus; è quo deſcriptam Præfatoriam ad Anſelmum Epiſtolam Gerberonius evulgavit in nuperâ Operum Anſelmi editione, pag. 451. Richardum denique iſtum *de Dumellis* cognomen traxiſſe indicant Fratres Sammarthani, Tom. 4. pag. 756.

1100. Hildebertus, Epiſcopus Cenomannenſis.

Habentur MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ Sermones ejus LXXIX. (quorum duo ſolummodo, viz. 1ᵘˢ & 78ᵘˢ, evulgati ſunt) Codice admodum vetuſto, quique (prout ex Epiſtolâ brevi ad calcem additâ videri poſſet) ab ipſo Hildeberto ad Decanum Salesbirienſem dono miſſus eſt.

Serm. 6. de Purificat. S. Mariæ Virginis. *Fugiamus ergo ad Scripturam; quoties ſentimus temptationem ejus* (Diaboli) *callidam. Si ait nobis; Exerce adulterium; parata eſt Scriptura, quæ docet,* Non mœchaberis. *Si dicit; Furtum exerce; Scriptura ſe objicit, quæ prohibet,* Ne furtum facias. *Cùm jubet iraſci; Scriptura minatur;* Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. *Cùm mendacium perſuadet, Scriptura pœnam nunciat;*

nunciat; Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Juxta hujuſmodi fluenta ſedeat fidelis anima; & notet adventum inſidiantis inimici.*

Serm. 8. in initio Jejunii Quadrageſ. *Ultiones, fratres Kariſſimi, Veteris Teſtamenti ad correctionem hominum illius temporis factæ ſunt; ſed ad noſtram informationem ſunt ſcriptæ.*

Serm. 9. In Quadrageſimâ. *Ideo, fratres Kariſſimi, proponuntur iſta antiquorum Patrum* (V. Teſtamenti) *ut noſtra vita in aliquo informetur exemplis eorum.*

Serm. 20. In Cœnâ Domini. *Satis novit caritas veſtra, dilectiſſimi fratres, quòd tota perfectio noſtræ ædificationis ex Evangelio accipitur. Cujus verba, quia à ſummo Magiſtro nobis data ſunt, pretioſiora ſunt. Ea ſatis nos hortantur, vos cotidie ædificant; & ea modò vobis repræſentamus; non quia non bene intelligatis, ſed ut intellecta ad memoriam reducatis.*

Serm. 27. in Pentecoſte. *Sancti viri ſecus fluenta divinæ Scripturæ, quibus eorum corda rigantur, inhabitant; ut earum munimento ab incurſu diaboli evadant.*

Serm. 32. de Eccleſiâ. Non in ſolo pane vivet homo, ſed in omni verbo Dei. *Ideo ad hoſtium tabernaculi erat poſita menſa Propoſitionis; ſuper quam erant duodecim panes. Quia ingredientibus Eccleſiam neceſſaria eſt eſca doctrinæ, & menſa divinarum Scripturarum; in quibus ſententiæ duodecim Apoſtolorum continentur; qui per duodecim panes ſignificantur.*

Serm. 38. de Lectoribus. *Debet etiam* [Lector] *lectiones in choro legere, & cibum animæ hominibus dare legendo. Iſte ergo doctrinâ & libris debet eſſe imbutus, ſenſuumque ac verborum ſcientiâ perornatus; ut diſtinctè & apertè ſonans corda audientium poſſit inſtruere. Et tam clara debet eſſe vox Lectoris; ut quamvis longè poſitorum audientium aures adimpleat.*

Serm. 44. ad Sacerdotes. *Quid firmamentum, niſi Scriptura? ſuper quam fundata eſt Eccleſia. Quid luminaria firmamenti, niſi Paſtores Eccleſiæ, qui eam illuminant, eam exponendo aliis?*

Serm 46. ad Sacerdotes. *Manna ergo ſignificat panem verbi Evangelii, &c. Dat itaque Dominus Populo ſuo in cibum utrumque Teſtamentum, &c. Paſcite gregem vobis commiſſum* [iſto manna] *Nolite legem Dei abſcondere, quaſi in craſtino reſervare; ne fiat vobis vermis, ne ſit cauſa damnationis.*

Serm. 61. ad Populum. *Fratres Kariſſimi, ideo leguntur Scripturæ, & traditæ ſunt memoriæ; ut videntes peccata anteceſſorum, audientes à Deo ſuper eos infuſa, eiſdem divitiis occupati, ſimiles pœnas pertimeſcamus.*

Serm. 74.

Serm. 74. *Ecce cibus Eccleſiæ paratus! Ideo appoſita erat menſa juxta oſtium Tabernaculi; cui duodecim panes ſupponebantur. Tabernaculum Eccleſiam fidelium Dei, quæ in mundo eſt, ſignificat. Menſa autem in Templo juxta oſtium Tabernaculi poſita, Scriptura divina intelligitur; quæ per fidem intrantibus Eccleſiam pro eorum capacitate miniſtratur. Sequitur:* [e] Quæ ædificata eſt propugnaculis. *Propugnacula ſunt divinarum Scripturarum ſacramenta; de quibus ſcientiæ veluti jacula procedunt, quibus adverſariæ partes repelluntur. Gladio enim, quod eſt verbum Dei, debet unuſquiſque fidelium ſe tueri. Cùm enim dixerit hoſtis: Exerce adulterium; reſpondeas è contrario; Non, quia ſcriptum eſt:* Non mœchaberis. *Cùm inſtigaverit: Exerce furtum: tu reſpondeas è contra: Non, quia ſcriptum eſt:* Non ſurtum facies, &c. *His igitur armis inſtruit nos Dominus; ut quoties inſtant tentationes, quæramus à divinis ſententiis defenſiones.— ſingulis vitiis opponendo ſingulas Scripturarum auctoritates. Hac armaturâ muniti, erunt fortes; & in die malo reſiſtere poterunt.*

Serm. 79. (ſeu potiùs Epiſtola ad quandam Recluſam) *Scio, cariſſima mea, ſcio quia Solomonem legiſti dicentem:* Qui timet Deum, faciet bona. *Et in Pſalmo;* Initium ſapientiæ timor Domini. *Item legeras apud Apoſtolum, &c.* Recluſa iſta nuperrimè à ſeculo, in quo ſolutiſſimè vixit, diſceſſerat.

1120. Petrus Abælardus

Ad Heloiſſam conjugem Epiſt. 8. quæ Inſtitutio ſeu Regula eſt Sanctimonialium, quibus Heloiſſa præfuit. [f] *Speculum animæ Scripturam ſacram conſtat eſſe; in quam quilibet legendo vivens, intelligendo proficiens, morum ſuorum pulchritudinem cognoſcit, vel deformitatem deprehendit; ut illam videlicet augere, hanc ſtudeat removere, &c. Qui autem Scripturam conſpicit, quam non intelligit, quaſi cæcus ante oculos tenet; in quo qualis ſit cognoſcere non valet; nec doctrinam quærit in Scripturâ; ad quam ipſa tantummodo facta eſt; & tanquam aſinus applicetur ad lyram, ſic otioſus ſedet ad Scripturam: & quaſi panem appoſitum habet, quo jejunus non reficitur; dum Verbum Dei nec ſe per intelligentiam penetrante, nec alio ei docendo frangente, inutiliter cibum habet, qui ei nullatenus prodeſt. Unde & Apoſtolus generaliter ad Scripturarum ſtudium nos exhortans,* Quæcunque, *inquit,* ſcripta ſunt, &c. [Rom. XV.] *Et alibi* Implemini Spiritu S. &c. [Epheſ. V.] *Sibi quippe vel ſecum loquitur, qui*

[e] Cantic. IV. [f] Pag. 188, &c.

quod

quod profert, intelligit; vel de intelligentiâ verborum ſuorum fructum facit. Idem ad Timotheum. Dum venio, attende lectioni, &c. [1 Tim. IV.] *Et iterum.* Tu verò permane in iis, &c. [2 Tim. III.] *Qui etiam ad intelligentiam Scripturæ Corinthios admonens; ut quæ videlicet alii de Scripturâ loquuntur, exponere valeant:* Sectamini, *inquit*, charitatem, &c. [1 Cor. XIV.] *Loqui linguâ dicitur, qui ore tantùm verba format, non intelligentia exponendo miniſtrat. Prophetat verò ſive interpretatur; qui more Prophetarum, qui Videntes dicuntur, i. e. Intelligentes, ea quæ dicit intelligit, ut ipſa exponere poſſit. Orat ille ſpiritu ſive pſallit, qui ſolo prolationis flatu verba format, non mentis intelligentiam accommodat. Cùm verò ſpiritus noſter orat, i. e. noſtræ prolationis flatus ſolummodò verba format; nec quod ore profertur, corde concipitur; mens noſtra ſine fructu eſt; quem in oratione videlicet habere debet; ut ipſa ſcilicet ex intelligentiâ verborum in Deum compungatur atque accendatur. Unde hanc in verbis perfectionem nos admonet habere; ut non more plurimorum verba tantùm ſciamus proferre, verùm etiam intelligentiæ ſenſum in iis habere; atque aliter nos orare vel pſallere infructuoſè proteſtatur. Quem & Beatus ſequens Benedictus* [g]*:* Sic ſtemus, *inquit*, ad pſallendum; ut mens noſtra concordet voci noſtræ. *Hoc & Pſalmiſta præcipiens ait:* [h] Pſallite ſapienter; *ut videlicet verborum prolationi ſapor & condimentum intelligentiæ non deſit; & cum ipſo veraciter Domino dicere valeamus* [i]*:* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! *Et alibi.* [k] Non in tibiis viri beneplacitum erit ei. *Tibia quippe ſonitum emittit ad delectationem voluptatis, non ad intelligentiam mentis. Unde bene in tibiis cantare, nec in hoc Deo placere dicuntur; qui melodiâ ſui cantûs ſic oblectantur; ut nullâ hinc edificentur intelligentiâ. Quâ enim ratione, inquit Apoſtolus,* [l] *cùm benedictiones in Eccleſiâ fiunt, reſpondebitur Amen? ſi quod oratur in illâ benedictione, non intelligitur: Utrum videlicet bonum ſit, quod oratio poſtulat, aut non? Sic enim ſæpe multos idiotas & literarum ſenſum ignorantes videmus in Eccleſiâ per errorem nonnulla ſibi nocrva quàm utilia precari, &c. Cui etiam periculo Apoſtolus providens ait:* Cæterum ſi benedixeris ſpiritu, *id eſt, prolationis tantùm flatu verba benedictionis formaveris, non ſenſu mentem audientis inſtruxeris;* Quis ſupplet locum idiotæ, *id eſt, quis de aſſiſtentibus, quorum eſt reſpondere, id aget reſpondendo, quod idiota non valet, immo nec debet.* Quomodo dicet Amen? *cùm videlicet neſciat utrùm in maledictionem potiùs quàm*

[g] Regul. cap. 19. [h] Pſal. XLVI. [i] Pſal. CXXVIII. [k] Pſal. CXLVI. [l] 1 Cor. XIV.

benedi-

benedictionem inducas. Denique qui Scripturæ non habent intelligentiam, quomodo ſermonis ædificationem ſibi miniſtrabunt; aut etiam regulam exponere vel intelligere, aut vitioſè prolata corrigere valebunt? Unde non mediocriter miramur, quæ inimici ſuggeſtio in Monaſteriis hoc egit; ut nulla ibi de intelligendis Scripturis ſint ſtudia; ſed de cantu tantùm vel de verbis ſolummodò formandis, non intelligendis, habeatur diſciplina: quaſi ovium balatus plus utilitatis habeat quàm paſtus. Cibus quippe eſt animæ, & ſpiritualis refectio ipſi divina intelligentia Scripturæ, &c. Pluribus pergit Abælardus S. Scripturæ ſtudium commendare & Monialibus ſuadere. [m] His monitis ſe ſuaſque Moniales animum ſedulò adhibuiſſe, & Scripturæ lectioni diligenter incubuiſſe, Abælardum certiorem reddit Heloiſſa in Epiſtolâ *problematibus* ad ipſum propoſitis præmiſsâ.

1120. Hugo de Folieto, Monachus Corbeienſis,

Scripſit Opus prolixum *de Clauſtris & Clauſtralibus*, libris V. Extat id MS. in Bibliothecâ Lambethanâ Hugoni noſtro inſcriptum. Prodiit ſæpius inter Hugonis de S. Victore Opera, omiſſo autem libro quinto; qui *De Duabus Rotis* (viz. *Rotâ veræ Religionis*, & *Rotâ Simulationis*) titulum habet. Lib. 2. cap. 11. *Congruum mihi fore videtur; ut qui in Eccleſiâ ante conſpectum Dei convenimus, ibi deteriores non ſimus. Sunt enim quidam, qui mente vagi, Pſalmodiæ verba proferunt, ſed pſalmodiæ ſenſum non attendunt. Unde Beatus Gregorius:* Vox, *inquit*, pſalmodiæ, cùm per intentionem cordis agitur; per hoc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, &c.

Lib. 3. cap. 9. *In hoc refectorio* [animæ] *tres ponuntur menſæ; i. e. tres intellectus divinæ Scripturæ, videlicet, hiſtorialis, myſticus, & moralis. Prima menſa ſimplicibus, ſecunda Doctoribus, tertia communis eſt utriſque, &c.* Cæterùm in diſponendâ Hugonis ætate ſecuti ſumus calculum Viri Cl. Thomæ Jameſii in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. De eodem iſta notavit Joannes Tinmuthenſis in *Hiſtoriâ Aureâ* MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. *Hujus Hugonis* (Victorini) *libros ſupra memoravi. Erat autem liber Hugonis de Clauſtro Animæ, nomine quidem Hugonis de Folieto intitulatus; qui & ipſe S. Petri Corbeienſis fuiſſe dicitur Canonicus; ſed quo tempore, ignoramus*, lib. 22. cap. 44.

[m] Pag. 385.

1140. Robertus Pullenus, Cardinalis Romanus.

Inter Sermones ejus MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ. Serm. 1. ‘ Eſt autem cellarium, ubi quæque optima, quæ naſcuntur in agro vel ‘ in orto, reconduntur; cellarium Domini eſt divina Scriptura. Ibi enim ‘ quicquid natum eſt in orto virtutum, ad opus noſtrum inveniemus ‘ repoſitum. Si morum doctrinam, ſi allegoriarum intelligentiam, ‘ ſi hiſtoriarum veritatem requirimus, totum ibi reperiemus. Ille ergo, ‘ quem in orto redolentia virtutum delectabat, fructum eorum in cel‘ lario percipiat. —Domini Cellarium, i. e. divinarum Scripturarum ſtudium, omnem tuam cognitionem, id eſt, quæ te angit, curioſitatem exterminabit.

Serm. 6. ‘ Quilibet Chriſtianus ſcire debet Dominum. Sed quo‘ modo ſciunt illi Dominum qui nec Catholicæ fidei veritatem, nec ‘ Doctores audiunt, nec Scripturas ſcrutantur; de quibus fidei veritas, ‘ ut piſcis de aquâ, multo labore & ſtudio eruitur.

Serm. 7. ‘ Quòd autem Manna defecerit [*Judæis*] poſtquam come‘ derunt de fructibus terræ; ſignificat Scripturas, quæ noſtra refectio ‘ ſunt in viâ, ceſſaturas, poſtquam erimus in patriâ.

Serm. 14. *Sequitur:* Singuli tenentes gladios in manibus, & docti ad bella.] ‘ Per gladium Evangelium accipimus, &c. Sed quid pro‘ deſt habere gladium, niſi teneatur in manibus? Sunt enim, qui ha‘ bent divinas Scripturas in Manticâ. Philoſophis dictum eſt; *Li‘ bros ferre manu, non ſenſum corde nec ore.* Verbum inane parùm ‘ proficit, immo nichil. Oportet autèm ſcientiam Scripturarum ha‘ bere in cordis memoriâ. ——Hæc (*V. & N. Teſtamenta*) ſunt duo Cherubin, quæ ſeſe reſpiciunt. Interpretatur autem Cherubin plenitudo: ſc. quia etſi aliqua habeatur ſcientia alibi, in his duobus tamen non alibi plena & perfecta.

1150. Anonymus, Clericus Rothomagenſis,

Apologetic. pro Sacerdotum conjugio. [n] ‘ Quòd Deus hoc (Cœlibatum Cleri) ‘ inſtituerit; nec in Veteri Teſtamento, nec in Evan‘ gelio, nec in Apoſtolorum Epiſtolis ſcriptum reperitur; in quibus ‘ quicquid Deus hominibus præcepit, inſertum deſcribitur. Quodque ‘ de Scripturis non habet authoritatem, eâdem facilitate contemnitur, ‘ quâ dicitur.’ Tractatum iſtum MS. vidi inter alios ejuſdem generis Tractatus in Codice ſatis vetuſto in Bibliothecâ Collegii Corporis Chriſti

[n] Teſtimonium de ſufficientiâ S. Scripturæ.

apud

apud Cantabrigienſes, Claſſ. O. numb. 230. Illum autem poſtea deprehendi evulgatum fuiſſe à Joſepho Hallo, [o] Epiſcopo demum Norvicenſi, qui ſeculo duodecimo eum ſcriptum fuiſſe non malè conjecit.

1150. Ailredus, Abbas Rievallenſis.

In vetuſto Codice MS. Bibliothecæ Lambethanæ intermiſcentur Sermones S. Bernardi & Ailredi. Illi XXXVIII. debentur, literis A. C. vel B. A. C. notati; iſti XXXII. literis A. R. inſigniti. Sermones quidem Ailredi quamplurimi prodierunt inter opuſcula ejus *Duaci* 1631. & in Bibliothecâ Patrum noviſſimâ, Tom. 23. Verum inter iſtos Sermones à nobis citati non reperiuntur. Neſcio annon inter Sermones XXV. novos, qui in Nuperâ Ciſtercienſium Bibliothecâ evulgati ſunt Tom. 5. pag. 162.

Serm. in Feſto S. Benedicti, in illud [*Os juſti meditabitur ſcientiam*] circa med. ‘ Fœlix juſtus, cujus os ſapientiam meditatur; qui cum ‘ ſancto Iſaac egreditur in agrum ad meditandum. Ager iſte, ut mihi ‘ videtur, ſacra Scriptura eſt; ager utique feſtivus, plenus omni bene-‘ dictione. *Ecce*, inquit, *odor filii mei*, *ſicut odor agri pleni*, *cui be-‘ nedixit Dominus.* In agro iſto odor mirræ & thuris & univerſi pul-‘ veris pigmentarii. Verè, fratres, non eſt virtus, non eſt ſenſus, non ‘ eſt ſapientia, cujus odor non fragret in agro iſto.

Serm. in Synodo, de Aaron & filiis ejus. ‘ Habes fortè, O ſacerdos, ‘ maculam in oculis; neſcis quomodo doceas, quomodo moneas, quo-‘ modo corripias, quomodo punias. Ligas non alliganda; non ſolven-‘ da ſolvis. Sequeris ſenſum tuum; ſequeris ſtomachum tuum. O ‘ quomodo te ingeris ad alios docendos; cùm ipſe errabundus per avia ‘ quæque incedas? Vade ergo ad aquam Syloe, & lava. Nam ſermo ‘ Domini utique lavat, ſicut habes in Evangelio. *Et vos mundi eſtis ‘ propter ſermonem*, *quem locutus ſum vobis.* Ubi eſt quæſo ſacerdos; ‘ qui quotiens populus legem quærit ab eo; ad inſtar Moyſi ingreditur ‘ tabernaculum; ut inter duo Cherubim, utriuſque ſc. Teſtamenti ſci-‘ entiam, divinam conſulat voluntatem? Non ſic, non ſic multi hujus ‘ noſtri temporis ſacerdotes; in quorum manibus ſæpiùs inveniuntur ‘ calices fœcundi, quàm divinæ auctoritatis libri; à quibus ſæpiùs de-‘ narii numerantur, quàm Scripturæ perſcrutantur; magis negotiis ‘ ſæcularibus implicati, quàm ſacris libris legendis occupati. Fœlix, ‘ fœlix ille ſacerdos, qui in omnibus, in quibus caligat oculus interior;

[o] Lib. vernac. de Honore Cleri Conjugati, ad finem.

‘ in omnibus, de quibus conſulitur; in omnibus, quæ agenda vel docen-
‘ da incumbunt; vadit ad aquas Syloe, & divinum conſulit oraculum.

1150. Hildebrandus Junior

Expoſit. in Evang. S. Matthæi, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, S. Scripturæ ubertatem atque plenitudinem, omnibus ex æquo Chriſtianis paratam, ſæpiùs deprædicat. Hinc illam comparat cum Fermento, [p] cujus admixtione integra farinæ maſſa animatur; cum Margaritâ, [q] pro cujus acquiſitione omnia ſunt vendenda: cum Vineâ [r] in quam Dominus omnes confertim ſervos ad operandum immiſit: cum Talento [ſ], quod Dominus peregrè profecturus univerſis ſervis negotiandum concredidit: Denique cum Prandio, ad quod Dominus omnia hominum genera invitari voluit. Sic enim ſcribit, lib. 8. homil. 64. in illud Matthæi cap. 22. Dicite invitatis, quòd prandium meum paravi.] *Prandium eſt doctrina juſtitiæ, & verba cæleſtium myſteriorum de Dei Filio. Ex omni igitur lege, & ex omnibus Prophetis & Scripturis, menſam S. Scripturæ ordinavit: in quâ menſâ doctrina omnis juſtitiæ & diverſorum myſteriorum; quia diverſi cibi ſunt. Magnitudo igitur & abundantia divinorum myſteriorum, quinimo cibi animarum, in menſâ ſanctæ Scripturæ inveniuntur.* Expoſitionem iſtam Hildebrando Cardinali, qui poſtea Gregorius VII. fuit, deberi credidit Vir Doctiſſimus, P. Allixius; qui ex eâ deſcriptum de Euchariſtiâ fragmentum edidit in Præfat. ad Joannem Paſiſienſ. pag. 7. Verùm longè à Gregorii VII. genio ac ſententia abludit iſtius libri Author. Ille Hæreticos & Eccleſiæ Romanæ adverſarios ferro flammâque exſcindendos clamavit, & exemplo præivit: Clavium poteſtatem Petro à Chriſto datam ſuper omne fas nefaſque extulit; Eccleſiam ſuper Petrum fundatam eſſe conſtanter docuit; & Ordinem Monaſticum, cui impensè favit, ſummo ſibi ſtudio addictum habuit. Iſte è contra Hæreticos morte nequaquam multandos eſſet contendit: [t] de clavium poteſtate haud minùs ſobriè ſentit [u] quàm Reformatorum quivis; omnibuſque ex æquo Apoſtolis datam ſuiſſe docet: Eccleſiam non ſuper Petrum, ſed ſuper ipſum ſolummodo Chriſtum, ædificatam eſſe aſſerit: [x] & Monachorum ordinem Phariſæis ſemel atque iterum comparans; eorum tonſuram, veſtes religioſas & vigilias vellicat. His adde Gregorium VII. preces linguâ populo ignotâ factas maximè comprobâſſe. Noſter autem Hildebrandus ejuſ-

[p] Matth. XIII. [q] Ibid. [r] Matth. XX. [ſ] Matth. XXV. [t] Lib, 6. homil. 42. [u] Lib. 6. homil. 50. [x] Ibid. [y] Lib. 9. homil. 69.

modi

modi orationem non obſcurè improbat; ad illud Matth. XXIII. [y] Excolantes culicem, camelum autem glutientes.] *Væ nobis, ad quos vitia Phariſæorum pervenerunt. Quia in tonſurâ, & veſte religionis, & oratione labiorum, & jejuniis & vigiliis quibuſdam nos quaſi bonos oſtendimus. Et cùm talia facimus; quid aliud quàm vilia olera decimamus; & relinquamus dilectionem Dei & proximi, juſtitiam, & fidem, & ſimplicitatem, & humanitatem, puram in Spiritu Sancto orationem, & alia virtutum germina?* Demum, quod rem extra omne dubium ponit, noſter Bernardum citavit, Gregorio VII. inferiorem. Eccleſiaſticorum enim vitia inſectatus, iſta ſubinfert: [z] *Lege librum Domini Bernardi Clarævallenſis Abbatis de Conſideratione valde bonum; quem ſcripſit Eugenio Papæ; ibi pleniùs invenies deſcriptos errores malorum Prælatorum.* Hildebrandus itaque Junior quidam hujus Expoſitionis Author fuit. Iſtum circa Sæculi duodecimi medium collocavimus, tum quòd certior calculus deſit; tum quòd & Codicis MS. ætas, & loquendi de Bernardo modus, illi ætati optimè conveniant.

1160. Arnoldus, Abbas Carnotenſis,

De Operibus ſex dierum, pag. 66. &c. *Quarta verò dies* (Hexaemeri, in quâ Deus creavit Solem, &c.) *eſt Eccleſiaſtica doctrina & Scriptura ſancta divinitus inſpirata; in quâ certas fidei regulas invenimus; ut non quiſque ſuo ſenſu, ſed veritatis æternæ auctoritate firmetur, &c. Quarta, per verbum Dei ex teſtimonio Scripturarum mentis illuminatio, &c. Oportet hominem & ipſas ſpirituales intelligentias, quæ ex Scripturis naſcuntur, diligenter attendere; quomodo ipſa veritas quaſi Sol illuminet animam; ipſa verò anima quaſi Luna irradiet noctem, id eſt, corporales ſenſus, &c. Nihil eſt ad hominis perfectionem, quod non hæc duo doceant Teſtamenta, &c. Dividit hæc Scriptura inter diem & noctem, ſeparans à ſinceritate doctrinæ Catholicæ hæreticorum inquinamenta, & à moribus ſanctorum eradicans, quæcunque non competunt honeſtati. Lux iſta veritatem ſeparat à mendacio, &c. Verbum Dei, lux æterna, omnia per Scripturam ſanctam intimat & comprehendit.*

1160. Laurentius, Dunelmenſis Præcentor, & poſtea Abbas Weſtmonaſterienſis,

In Hypognoſtico Veteris & Novi Teſtamenti, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, Lib. 4.

[y] Lib. 8. homil. 62.

De

De rebus dubiis verba faciens.

Conſule Scripturas de talibus obſecro ſacras:
Omne quod eſt homini ſcire neceſſe, docent.
Non opus eſt ſciri, quicquid nequit hic reperiri.
Ergo ſperne vagum, Lector amice, Magum.

Lib. 5. de Excellentiâ Pſalmorum.

Adde quòd Eccleſiæ myſteria quælibet unus,
Quælibet & Chriſti continet ille liber.
Ille docet [a] *quæcunque decet; ſed & aſpera planat:*
Curat fracta, fugat noxia, lapſa levat.
Hoſtibus ille liber gravis incantatio; claudis
Pes, cæcis oculus, magna medela reis.
Summis ille liber confœderat ima; Deumque
Inducens homini, hunc ducit in uſque Deum.

1170. Clemens, Presbyter & Prior Lanthonienſis.

Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ ampliſſimus ejus Commentarius in ſeptem Canonicas Epiſtolas. Codex ipsâ Authoris ætate nequaquam inferior videtur.

In 1 Petr. IV. 11. Si quis loquatur; quaſi ſermones Dei loquatur.] *Timens ſcilicet ne præter voluntatem Dei, vel præter quod in Scripturis ſanctis evidenter præcipitur, vel dicat aliquid vel imperet; & inveniatur tanquam falſus teſtis Dei, aut ſacrilegus, introducens aliquid alienum à doctrinâ Domini; vel certè ſubrelinquens & præteriens aliquid eorum quæ Deo placita ſunt: cùm ipſe manifeſtiſſimè prædicatoribus veritatis de his quos imbuerent, præciperet, dicens;* docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. *Et ea enim quæ ipſe mandavit, non alia, Jeſus non ex parte, ſed omnia, ſuis auditoribus ſervanda tradere jubet.*

1 Petr. V. 14. Gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu.] *Conſultò cùm diceret,* Gratia vobis, *addidit;* Omnibus qui eſtis in Chriſto Jeſu: *ut ea quæ paucis Eccleſiis, id eſt, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, ſcripſit; cunctis per orbem Chriſti Eccleſiis ſe ſcribere deſignet. Sic & Johannes in Apocalypſi, cùm ſeptem Aſiæ Eccleſias ſingil-*

[a] *Quæcunque* Cod. MS. alter.

latim

latim, prout competebat, admoneret; adjunxit, per ſingula ita concludens: Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis: *apertè inſinuans, quòd cuncta quæ unicuilibet Eccleſiæ ſcripſit, omnibus qui auditum ſalubrem haberent, univerſis fidelium ſcriberet Eccleſiis.*

2 Petr. I. 19. *Lucernæ ſignatur nomine ſacræ lumen Scripturæ. Nunc ergo lucerna ſuper caput Eccleſiæ ſplendet. Quia ſacra eloquia tenebras noſtræ mentis irradiant; ut in hoc caliginoſo vitæ præſentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, quæ ſint agenda videamus.* Verba iſta citavit ex Gregorio M. lib. 19. Moralium in Job.

1170. Petrus Comeſtor

Tractat. brev. de Pœnitentiâ, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, cap. 16. *Oratio talis debet eſſe; ut ſonus vocis non diſſonet à devotione cordis. Orationem enim ad Deum non faciunt, ut ait Gregorius, verba, ſed vota; id eſt, non ſolùm verba, ſed etiam vota.*

Extat MS. in eâdem Bibliothecâ Sermonum ejuſdem Volumen pulcherrimum. Ex his Sermo 14us, qui eſt 1us in Cœnâ Domini, iſta habet. [Dicit anima Chriſtiani ad Deum] Velle mihi adjacet: perficere autem non invenio. *Doce ignorantiam meam; adjuva impoſſibilitatem; quia ſicut ſine te nihil ſcio, ita ſine te nil poſſum facere. Dicet ei profectò Spiritus Sanctus: Scrutare Scripturas; quas per me ſcripſit Filius; quia ego ſum lingua calami ſcribæ velociter ſcribentis: & invenies plenè domûs tuæ diſpoſitionem. Legat itaque Scripturas animus noſter; & inveniet quod quærebat.*

Serm. 33. qui eſt 5us in Synodo. *Si ſenſerit in me* [Chriſtus] *pueritiam fatuitatis, qui debeo pſallere ſapienter; ſcilicet, ut intelligam quæ dicam: quare non me maledicet cum pueris clamantibus ad Heliſeum.* Aſcende, calve; Aſcende, calve?

1185. Baldewinus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Bartholomæus, Exonienſis Epiſcopus.

Horum *Provinciale* MS. habetur in Bibliothecâ Lambethanâ; digniſſimum profectò, quod lucem aliquando videat.

Cap. 2. De Fide. *Quicunque Deo & Sacerdoti ſuam obtulerit pœnitentiam, primùm diligenter de fide Catholicâ inquiratur, ut vel minùs inſtituatur & confirmetur; vel ſi Catholicè credit, id ſollempnibus verbis Symboli*

memoriter

memoriter ore confiteatur.——Catholica verò fides eſt, quæ Symbolo Catholico continetur: Quo tanquam fidei ſignaculo unuſquiſque fidelium ſe munire debet. Unde Auguſtinus; Accipite regulam fidei; quod Symbolum dicitur; & cùm acceperitis, in corde ſcribite, & cotidie dicite apud vos, antequam dormiatis, antequam procedatis, ſymbolo veſtro vos munite. Unde ex Concilio Gangrenſi. [a] *Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam diſcere ſemper ammoneant ſacerdotes populum Chriſtianum; volumuſque ut diſciplinam condignam habeant, qui hoc diſcere negligunt, ſive in jejunio, ſive in aliquâ caſtigatione. Præterea dignum eſt, ut filios ſuos donent ad Scolas, ſive ad Monaſteria, ſive foràs Presbyteris; ut fidem Catholicam rectè diſcant & orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Qui autem aliter non potuerit, in ſuâ hoc diſcat linguâ.* [Quæ de examine Pœnitentium ad Confeſſionem accedentium in hujuſce fragmenti principio leguntur; in plurimis etiam aliorum Epiſcoporum Conſtitutionibus reperiuntur. Siquidem inter Conſtitutiones Gulielmi Bleſenſis, Epiſcopi Wigornienſis, anno undecimo Pontificatûs ſui, viz. Chriſti 1229. promulgatas, (MSS. in Bibl. Lambeth.) octava hiſce verbis concipitur. *Statuimus, ut Sacerdos ante Confeſſionem Laici Pœnitentis inſtruat eum de fide ſecundùm formam & ordinem contentum in Symbolo Apoſtolorum ſub linguâ ei notâ.*]

Cap. 13. de Oratione. *Debet verò, qui orat, quantùm poteſt, diligenter attendere, ut non aliquando mens dividatur à linguâ, & dicatur ei à Domino:* Homo iſte labiis me honorat; cor autem ejus longè eſt à me. *Magna ſiquidem eſt præſumptio, ut ſervus dicat ad Dominum:* Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ: *cùm ipſius ſervi cor non intendat ad Dominum,* &c. *Omnium autem orationum excellentiſſimam & efficaciſſimam, ſi de puro procedat affectu, Orationem credimus eſſe Dominicam: cujus non ſolùm ſenſum, ſed & verba, & petitionum numerum & formam ex ipſius inſtitutione Salvatoris ſuſcepimus. Hanc, ſicut & Symbolum fidei, ſcire & memoriter Deo reddere, omnibus indicendum eſt Chriſtianis. Unde ex Concilio Cabilonenſi: Jubendum eſt, ut Oratio Dominica, in quâ omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur, & Symbolum Apoſtolorum, in quo fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus diſcatur, tam Latinè quàm Barbaricè; ut quod ore profitentur, corde credatur & intelligatur.*

' Tractat. Moral. Baldwini de utilitate & virtute Sermonis Dei vivi, in Hebr. IV. 12. MS. ibid. cap. 1. *Quòd auditus pro intellectu accipiendus*

[a] Canon eſt 45. Concilii Moguntini anno 813. habiti. Canones Gangrenſes nil ejuſmodi habent.

ſit,

ſit, idem Apoſtolus oſtendit; ubi dicit: [b] Qui loquitur linguis, non hominibus loquitur ſed Deo. Nemo enim audit. *h. e. nemo intelligit. Nam qui linguâ loquitur peregrinâ non intelligentibus eam; quaſi barbarus eſt illis; & non ædificat non intelligentes. Ergo intellectus neceſſarius eſt.*

His ſubjungam præclarum ejuſdem teſtimonium de plenitudine ac ſufficientiâ S. Scripturæ, exemplo Illuſtriſſimi Armachani; qui multa ejuſmodi teſtimonia paſſim dedit. Baldwinus itaque in Sermone in die omnium Sanctorum, MS. ibid. ſic ſcribit. cap. 4. *De Deo quidem falſa opinio periculoſiſſimè admittitur. Nam quæ Dei ſunt occulta & arcana, ex incerto humanæ opinionis ventilare non licet, nec aliud de Deo credere, quàm ipſe dignatus eſt de ſe revelare. Ipſe enim ſibi teſtis eſt; & ſecretorum ſuorum conſcios eatenus habere voluit, quatenus fidei conſcientia ſeſe extendit; quæ de teſtimoniis Scripturarum aſtruitur, & earum ratione ſubnixa immobiliter ſtatuitur & ſtabilitur. Scriptura enim ſancta divinitus inſpirata eſt. In eâ præſcripta eſt nobis forma fidei. Quicquid ultrà quæritur, non invenitur. Omnis humana adinventio, quæ pietati fidei formæque præſcriptæ obviat, præſumptionis ſpiritus deputanda eſt.*

1200. Innocentius III. Papa Romanus.

De Officio Miſſæ, lib. 2. cap. 61. *Monet autem Sacerdos, ut* Surſum corda *habeamus ad Dominum, ſecundùm exhortationem Apoſtoli dicentis:* Quæ ſurſum ſunt, quærite. Nam ubi eſt theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. *Multi quippe, dum ore loquuntur cæleſtia, corde meditantur terrena. Quibus Dominus improperat per Prophetam:* Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. *In quâlibet igitur oratione peccatum, ſed in iſtâ periculum, cor habere diviſum ab ore, vel os habere* [c] *diviſum à corde. Nam qui ſemetipſum non audit, nec Deus illum exaudit. Chorus igitur reſpondens profitetur ſe Sacerdotis monita ſuſcepiſſe cùm ait:* Habemus ad Dominum. *Sacerdos autem, poſtquam attentos reddidit & devotos, hortatur ut gratias agamus Domino Deo noſtro,* &c. Parilem ſententiam Idem habet in Sermone 2°. in Concilio Lateranenſi habito. [d] *Sed qui ſemetipſum non audit; quomodo Deus illum exaudiet? Qui taliter orat, non inclinat Deum ad indulgentiam; ſed provocat illum ad iracundiam.*

---

[b] 1 Cor. XIV. [c] *Divuſum* utrobique legit Codex MS. Lambethanus. [d] Concil. Tom. XI. pag. 137.

Innocentius author Canonum Concilii Lateranenſis anno 1215. habiti vulgò habetur. Ex illis præclarum teſtimonium protulit Illuſtriſſimus Primas cap. 5. ſect. 1. Eorundem Codex MS. in Bibliothecâ Lambethanâ reperitur; qui à vulgatâ editione parum diſcrepat, niſi in diviſione capitum. Ipſi Concilio parùm ætate cedit. Ut vana ſit illorum ſuſpicio; qui Canones hoſce recentiorum Pontificiorum fraude ſuppoſitos arbitrantur.

1200. Joannes Subprior.

Hujus Commentarium in Apocalypſin MS. in Bibliothecâ Lambethanâ aſſervari ſupra [c] memoravimus. Quo tempore Author vixerit, haud ſatis conſtat. Nullus enim è Scriptoribus noſtris illius meminerunt. Eum igitur ad annum 1200. repoſuimus, neque vanâ forſitan conjecturâ. Certè non multò inferior fuit; ipſe enim Codex ante annos circiter quingentos videtur ſcriptus: nec multò ſuperior. Roberti Prioris enim Expoſitionem Apocalypſeos in prologo laudat. Hunc autem Robertum ſuſpicarer fuiſſe, aut Robertum Canutum, Priorem Canonicorum Regularium Oxonienſium ad Fanum S. Frideſwidæ, aut Robertum Scribam, Priorem Bridlintonenſem; quorum uterque, teſte Baleo, [f] Expoſitionem in Apocalypſin ſcripſit, & ſub Henrico II. Rege floruit circa an. 1170. & 1180.

In cap. 1. tit. 8. Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ hujus.] *Quid eſt quòd ſecundùm quiſdam ſingulariter* legit, audiunt *autem* & ſervant *pluraliter dicitur? Quia unus eſt, qui legit in Eccleſiâ, & docendo exponit, multi qui audiunt. Omnes doctores & auditores, Chriſti imitatores, verba prophetiæ hujus pariter obſervant. Principium ergo libri, ut Jeronymus ait, beatitudinem legenti, audienti, & ſervanti promittit; ut lectioni ſtudens, exinde opera diſcat, & quæ percipit cuſtodiat, & qui audiunt imitentur; & utique ſervando quæ vel legunt vel audiunt, coronam mereantur & accipiant æternam.*

Tit. 48. *Datæ ſunt linguæ* [Apoſtolis] *in revelationem Scripturarum, ad prædicandum omnibus gentibus.*

Viſio. 7. cap. 12. *Qui lumen fidei & caritatis, & intelligentiam Scripturarum cordis aure percepit, ad hoc alios convocet.*

[c] Ad an. 1040. [f] De Scriptor. Angl. cent. 3. cap. 4. 11.

1200. Ano-

1200. Anonymus Author Libri *de Admonitione profectûs animæ.*

Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ Liber Anonymus *de Admonitione profectûs Animæ*, ad Mulierem quandam Deo devotam ſcriptus. Codex ante quingentos circiter annos exaratus videtur. Capite autem antepenultimo iſta habet. *Non eſt in his diu morandum ; quia tranſmitto caritatem tuam ad latiſſimum campum divinarum Scripturarum ; ut quod tibi hîc deeſſe cernis, ibi ſolerter perquiras. Quapropter oro dilectionem tuam ; ut ſtudium ſemper in te creſcat legendi. Nullus enim poteſt perfectè Dei nôſſe præcepta, niſi qui legendi continuum habet ſtudium. Quia quantò quiſque in divinis Scripturis aſſiduus fuerit ; tantò ex eis majorem intelligentiam capiet. Sicut terra, quæ quantò magis excolitur, tantò ampliùs fructificat. Nam quamvis homo tardum ſenſum habeat ; aliquid tamen diſcere poterit ex Scripturarum myſteriis ; ſi aſſiduitatem habuerit legendi. Sicut ſcriptum eſt in Evangelio.* [g] Qui enim habet, dabitur ei ; & qui non habet, etiam hoc quod videtur habere, auferetur ab eo. *Id eſt : Qui habet ſtudium legendi, dabitur illi etiam intelligendi facultas ; & qui non habet ſtudium legendi, etiam quod videtur habere, id eſt, quod naturaliter bonum intelligit, propter ejus ignaviam auferetur ob eo. Et ſicut ille, qui tardus eſt ad intelligendum, pro ſuâ intentione recipiet gloriam ; ita ille, qui talentum ſibi datum negligit, condemnabitur. Quapropter admoneo caritatem tuam, ut ſtudium habeas legendi ; quia omnis profectus ex lectione procedit. Quæ enim neſcimus, ex lectione diſcimus. Dicit enim Iſidorus ; quòd orationibus mundamur, lectionibus inſtruimur*, &c.

1200. Petrus, Cantor Pariſienſis, & poſtea Epiſcopus.

Illum ad annum 1215. refert Jameſius in Catalogo MS. Scriptorum Eccleſ. ad an. 1199. Sedem Pariſienſem obtinuit anno 1208. juxta Sammarthanos, Gall. Sacr. Tom. 1. p. 441. Joannes de Mimallis, Tornacenſis, qui Annales ab orbe condito ad annum 1512. contexuit ; plura de Scriptoribus Eccleſiaſticis notatu digna paſſim habet ; de Petro autem iſta ſolummodò : *An.* 1199. *Petrus, Cantor Pariſienſis, & poſtea Epiſcopus, ſcripſit Grammaticam Theologorum, & alia.* Extant hi Annales MSS. inter ſcrinia Lambethana.

[g] Matth. XXV.

Habetur verò in Bibliothecâ eâdem Petri Cantoris liber MS. cui titulus, *Verbum Abbreviatum.* Eſt autem *Summa* quædam Theologiæ, conſtans Capitibus CII. ſeu totidem titulis de Virtutibus & Vitiis.

In Prologo. Verbum abbreviatum facit Dominus ſuper terram. *Si enim Verbum de Patris ſinu nobis miſſum, immo ſi Filius Dei incircumſcriptibilis, quem totus non capit orbis, brevitate uteri virginalis voluit circumſcribi; quantò magis verbum ſacræ paginæ, quod nobis in arram & pignus ſuæ dilectionis reliquit, voluit abbreviari; in quo vias & ſemitas ejus deprehenderemus; in quo curſûs noſtri viam breviter & ſuccinctè ad æternam beatitudinem legeremus expreſſam? Superfluitas verborum, immo infinitas, eſt in aliis Scripturis, reſpectu ſacræ Scripturæ; quam reſpuit illa,* &c. Ubi vehementer ſuadet, miſſis aliis libris, ſoli Scripturæ ſtudio ab omnibus incumbendum.

Cap. 56. Contra cæremoniarum & traditionum Eccleſiaſticarum multitudinem acerrimè diſputans, omnes ad S. Scripturæ normam contrahi & reformari hortatur. *Nunc multitudine novarum traditionum revocare videmus jugum & onus ipſorum; quod neque nos neque patres noſtri portare potuerunt: quæ ſæpe dant materiam & occaſionem delinquendi,*&c. *Antonius autem Heremita, quibuſdam Religioſis quærentibus ab eo regulam & formam religioſe vivendi, tradidit eis codicem Evangelii.*

Cap. 57. *Contra mollientes arcum Sacræ Scripturæ* [per traditiones ſuperadditas] *In caſibus & humanis negotiis ſequenda ſunt exempla prudentium. In viâ verò fidei, vitæ & morum imitanda & attendenda eſt potiùs regula & forma vivendi & credendi ſufficienter præſcripta à Domino* [ſc. in S. Scriptura] *quia verba ejus Spiritus & vita ſunt.*

Porrò S. Scripturæ plenitudinem innumeris in locis aſſerit; adeò ut in unico Novi Teſtamenti libro omnia fidei neceſſaria contineri doceat; ſenſumque ejus ita planum ac facilem eſſe; ut gloſſarum multitudine obſcuretur potiùs quàm illuſtretur. Sic enim cap. 2. ‘Cùm Dominus ‘ante offenſam idololatriæ Judaico populo tantùm Decalogum commi‘ſiſſet ſufficientem ad ſalutem; poſt illam multiplices contulit cæremo‘nias, quibus meritis eorum exigentibus onerati ſunt & afflicti. Eo‘rum exemplo nos vereri debemus; quia cùm Dominus tantummodo ‘textum Matthæi Eccleſiæ primitivæ commiſiſſet, omnia neceſſaria ſa‘luti continentem; meritis noſtris, utputa vanis exercitationibus, in‘quiſitionibus ſuperfluis, & peccatis aliis, gloſſarum multitudine, le‘ctionum ſuperfluitate, & prolixitate onerati ſumus; in quibus eſt tan‘tùm labor & afflictio ſpiritûs, &c. Non ideo data eſt nobis Sacra ‘Scriptura; ut in eâ ſuperflua & vana quæramus; ſed fidem & doctri‘nam

‘nam morum & conſilia & reſponſiones ad infinita negotia in Eccleſiâ emergentia.’ Et cap. 57. ‘Maximè autem nobis [Chriſtianis] obiici poteſt ; cùm dicamus omnia eſſe in luce & aperta in doctrinâ Chriſti ; cur ſic à ſpiritu vivificante & literâ Evangelicâ planâ receſſimus, exponendo & allegorizando, magis quàm Judæi à literâ occidente. Et mox de Gloſſatoribus & Commentatoribus. ‘Qui utinam non Sacræ Scripturæ dominarentur ; ſed permitterent eam liberè currere in gravitate & maturitate ſuâ.’ Caput ſequens *contra Pigros* inſcripſit ; idque ſic inchoat. ‘Enervantibus arcum S. Scripturæ peccatorumque peſſimis ponderatoribus adjuncta eſt & collactanea Pigritia ; ob quam non lectitant, non perſcrutantur S. Scripturam.’ Denique attentionem in oratione neceſſariò adhibendam flagitat, & opinionem ſenſim in Scholis invaleſcentem de Opere operato precum Eccleſiaſticarum pluribus oppugnat cap. 56. ‘Hilariter pſallentem & orantem diligit Deus, non ex triſtitiâ vel neceſſitate. Abſit igitur ex præcepto multiplicare matutinos pſalmos & preces : niſi affuerit devotio, &c.’ Et cap. 85. ‘Propter igitur orationis faſtidium, periculoſæ ſunt Traditiones datæ de multitudine Horarum vel Pſalmorum decantandorum.

1210. Stephanus Langton, Archiepiſcopus Cantuarienſis,

Expoſit. in Eſaiam, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, in illud cap. LV. Omnes ſitientes venite ad aquas.] ‘Scripturæ ſcilicet, ſive doctrinæ. Notandum quod dicitur *ſitit*. Qui enim non ſitit, non curat aquam.’ Et qui non habetis argentum] id eſt , qui non appetitis terrenas divitias. Talis erat Petrus , qui ait : *Argentum & aurum non eſt mihi* &c. Tales appetunt has aquas. Alii verò faſtidiunt. Unde ſic legitur in Judicum [*libro* :] Qui curvatis genibus biberunt, repulſi ſunt à bello Domini. Properate.] Quidam enim tardè veniunt ad aquas Scripturæ. Sed in Exodo legitur, quòd manna colligebatur in principio diei. In robore enim juventutis debes colligere manna Scripturæ, non in veſpere ſenectutis, ne liqueſcat. Unde in Eccleſiaſtico : *Ne tardes converti ad Dominum* &c. Vinum & lac] Alicubi eſt Sacra Scriptura vinûm, alicubi eſt lac : vinum quoad majores, lac quoad minores.

Carm. de Contemptu Mundi, MS. ibid. propè fin. de S. Scripturâ loquens.

Omne

Omne quod oſtendo, potes hîcque videre legendo.
Indice Scripturâ, poteris cognoſcere plura.
Vitam quærenti dat iter ſacra lectio menti.

1220. Jacobus de Vitriaco, Cardinalis Romanus,

Hiſt. Oriental. lib. 1. cap. 74. *Græci qui eâdem linguâ in vulgari & in Scripturis utuntur, ſacerdotes ſuos in Eccleſiâ & in literali ſermone, qui idem eſt cum vulgari, intelligunt.* Cap. 77. *Maronitæ utuntur* [in ſacris] *Chaldæâ literâ & vulgari idiomate Saraceno.* Cap. 78. *Armeni habent proprium idioma, & proprias literas, & in vulgari ſermone divinas Scripturas pronuntiant, ita quòd ſacerdotes & Clerici eorum à Laicis in Eccleſiis intelliguntur : ſicut dictum eſt de Græcis.*

1220. Alexander Neckam, Abbas Exonienſis.

Expoſit. in Cantica Canticorum, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, Lib. 1. cap. 1. In principio creavit Deus Cœlum & Terram.] ‘ Domine, puteus S. Scripturæ altus eſt : da mihi hauritorium humilitatis, ‘ quod dependens a ligno ſoliditatis fidei, demittatur cum ſune diſcretionis perſeverantis; ut ſic aquas refrigerium præſtantes contra intentiva mœrorum hauriam. Ad has aquas ſalutares venite paſſibus fidei ‘ omnes ſitientes juſtitiam, doctrinam Salvatoris, laudem Matris ſalutis. Et etiam vos, qui ſimplices & idiotæ videmini, qui non habetis ‘ argentum intentis eloquentiæ; præparate vobis, emite diligentiâ & ‘ devotione; comedite delectando in veris præconiis illius; quæ mater ‘ eſt veritatis. Venite, emite : reputabitur enim vobis pro emptione; ‘ quod tamen gratis accipietis. Emite abſque argento, & etiam abſque ‘ ullâ commutatione terrenâ vinum, hoc eſt, jocundam dulcedinem ſacri eloquii, & lac, h. e. ſimplicium doctrinam. Sacra enim Scriptura cibus eſt & potus. Cibus in occultis, potus in apertis; cibus ‘ recreationis, potus delectationis.

Lib. 4. cap. 19. ‘ Sacra namque Scriptura & puteus eſt & fons. ‘ Puteus eſt propter myſteriorum profunditatem, fons eſt propter habundantiam indeficientem. Dives eſt ſapientiæ vena ; nec aquarum ‘ copiâ fons deſtitui poteſt, jugi ſcaturigine defluens. Fons ortorum eſt ‘ ſacra Scriptura, qui ſpirituales animarum ortos amantium fideliter irrigat. Hi orti læta proferunt virtutum germina, quæ aquis gratiæ ſa-

‘ luberrimis

‘ luberrimis irrorantur. Hæ ſunt aquæ, quas Dominus in Iſaiâ promittit ‘ populo ſuo, dicens: *Ponam in deſerto viam, & in ſicco flumina*, &c.

Lib. 5. cap. 11. ‘ Sententiæ item ſacræ Scripturæ non immerito mites dicuntur. Sicut enim nux cibum, lac lumen miniſtrat; ita ſacra ‘ Scriptura nunc cibus eſt, nunc potus; nunc lucis exhibet ſolatium ‘ expellendo tenebras ignorantiæ. Orti prædicti humile eſt oſtium; ‘ nec erectæ cervici patebit ingreſſus ipſius. Humilitas introducit intrare volentes; cujus fidus comes eſt amor honeſtus. O pudor, O dedecus! multi dedignantur intrare in ortum iſtum; in quem Sapientia ‘ patris intrare dignata eſt, &c. Deſcendit enim in ortum ſacræ Scripturæ ‘ Chriſtus, cùm per ſanctos Expoſitores cœleſtem paginam elucidavit, ‘ &c. Quotidie etiam tam in legentibus quàm in exponentibus deſcendit Chriſtus in ſacram Scripturam; & videt poma convallium; ‘ dum ipſos intelligere facit fructus & utilitatem incarnationis ipſius. ‘ Inſpicit autem an floruerunt vineæ; cùm tranſitus in ſacrâ Scripturâ ‘ pertinentes ad virtutem ſacramentorum Eccleſiæ nos videre & intelligere facit, &c.

Lib. 6. cap. 5. ‘ Fœlice fœlicior eſt, qui etiam ætatis primitias Deo ‘ offerens, lectione ſacræ Scripturæ ſe diutiùs informavit, ſub Hely ſacerdote, ſpiritualibus utilitatis exercitiis cum Samuele [innutritus.] ‘ Fœlix eſt, qui in agro divinæ lectionis ſpicas collegit remanentes, ſequutus meſſorum veſtigia; & ne ad momentum quidem revertitur ‘ erroris priſtini. Audi lector conſilium Booz alloquentis Ruth. *Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco; ſed jungere puellis meis, & ubi meſſuerunt, ſequere.* Attende, ‘ lector, quòd monet ne vadas in alterum agrum quàm in agrum ſacræ ‘ Scripturæ. Fertilis eſt ager iſte, ſuis contentus deliciis.

Lib. 6. cap. 6. ‘ Si autem tibi, cùm adhuc mammotrectus ſis, ‘ nondum corrigendus eſt crater vino ſubtilis intelligentiæ coronatus; ‘ ſi nondum idoneus es eſui panis tritici confirmantis cor hominis: ecce ‘ admovet ori tuo ubera ſua cœleſtis Scriptura, mater, nutrix, gerula. ‘ Ubera ſuge fœcunditatis uberrimæ. Lac tibi non æſtate novum non ‘ frigore deerit. Lactei fontes ſunt, venâ divite lac inceſſanter fundentes. Sugi deſiderant lactis ubera; ut amplior ſit ubertatis gloria.

1229. Con-

1229. Concilium Toloſanum.

Decretum Concilii Toloſani, à Cl. Armachano ſupra [g] memorati, his verbis continetur, cap. 14. [h] *Prohibemus etiam, ne libros Veteris Teſtamenti aut Novi Laici permittantur habere; niſi fortè Pſalterium vel Breviarium pro divinis officiis, aut horas B. Mariæ, aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmiſſos libros habeant in vulgari tranſlatos, arctiſſimè inhibemus.* Conciliarem quidem autoritatem præ ſe ferunt Canones Toloſani. Verùm ſi quis Præfationem attentè legat; privata fuiſſe Romani, Cardinalis S. Angeli, Apoſtolicæ ſedis Legati, & apud Toloſanos Inquiſitoris, edicta facilè animadvertet. Sic enim præfatur. *Licèt à diverſis Apoſtolicæ ſedis Legatis diverſa emanaverint inſtituta contra Hæreticos, &c. nos tamen* [poſt illos] *ordinandum duximus & ſtatuendum de Conſilio Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, & Baronum, & Militum; quæ ad purgationem hæreticæ pravitatis, &c. novimus expedire.* Propriâ igitur autoritate Legatus Canones iſtos edidit; & Concilium, quod vocant, Toloſanum nil aliud erat quàm Conventus quorundam Præſulum ſimul & Laicorum; quos Legatus ſibi ſatellites aſciverat.

1230. Gregorius IX. Papa Romanus,

Epiſt 6. ad Germanum, Patriarcham CP. [i] *Cùm juxta teſtimonium veritatis, occaſio ſit errorum ignorantia Scripturarum; cunctis expedit illas legere vel audire; quia quæ in eis inſpiratio divina repoſuit pro doctrinâ ſequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum.*

1240. Robertus Groſthead, Epiſcopus Lincolnienſis,

Tract. de Curâ Paſtorali, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, paulò poſt init. Poſtquam dixiſſet ſacerdotes *verbum Dei, quod eſt pabulum animæ,* gregi ſuo aſſiduè prædicare debere; ſubdit. *Si aliquis dicat, quòd neſcit; proprium remedium eſt, quòd reſignet Beneficium ſuum. Tamen melius remedium dicam. Poteſt enim quilibet Perſona vel Sacerdos repetere in ſeptimanâ nudum textum Evangelii diei dominicæ; ut ita ſciat ſaltem hi-*

[g] Cap. 5. ad An. 1229. [h] Concil. Tom. XI. pag. 430. [i] Concil. Tom. XI. pag. 322.

ſtoriam groſſam ſubditis ſuis referre. Et hec dico, ſi Latinum intelligat; & ſi faciat ſingulis ſeptimanis, in veritate bene proficiet, &c. Si verò non intelligit Latinum; ſaltem poteſt adire vicinum aliquem intelligentem, qui caritativè ei exponet; & ſic ulteriùs gregem ſuum doceat; & in uno anno poteſt ſic repetere Epiſtolas Feſtorum, & in ſecundo Vitas Sanctorum, & deinde ſubditis referre. Priora hujus loci verba ab Authore Fragmenti Wigornienſis adducta ſupra [k] habes, verùm ex Anglico à me converſa. Codex enim MS. Lincolnienſis ad manum non erat. Scripſit ille duplicem hujus argumenti Tractatum; alterum modò citatum qui incipit, *Scriptum eſt de Levitis*; cujus exemplar vidi etiam Cantabrigiæ in Bibliothecâ Collegii D. Joannis; alterum, qui incipit, *Moyſes, qui, tradente Domino.* Iſte inter Epiſtolas Lincolnienſis MSS. haberi ſolet: Seorſim tamen poſitum vidi in Collegio S. Trinitatis apud Cantabrigienſes.

Serm. ad Clerum, in Pſal. CXXXII. 9. (in Appendice ad Faſcic. Rerum expetend. *Londini* 1689. pag. 303.) ‘Pro libro vitæ, quem ‘hìc apertè non poſſumus legere, ſicut Angeli legunt, datur nobis li‘ber duorum Teſtamentorum; in quo debemus aſſiduè legere, & quæ ‘illuſtrant mentis noſtræ contemplationem, & quæ noſtram regant ‘actionem. Ab hujus libri lectione & ſpeculi inſpectione nihil nos ‘avellat, niſi proximorum vel noſtri juſta neceſſitas vel pia utilitas: ‘recolentes illud quod in typum noſtrì dictum eſt Ezechieli [l], & Joanni ‘in Apocalypſi [m]; ſcilicet ut comederent volumen vel librum ſibi oſten‘ſum. Quid eſt autem librum edere, niſi illum avidè legere, lectum‘que intelligere. Namque ipſa ſcientia eſt ſicut cibus animæ, &c. Pru‘dentiam generet Scripturarum frequens immò aſſidua inſpectio, &c.

Conſtitut. Eccleſ. (ibid. pag. 410.) ‘Provideant etiam attentiùs Ec‘cleſiarum Rectores & Sacerdotes Parochiales, ut pueri Parochiarum ‘ſuarum diligenter doceantur & ſciant Orationem Dominicam & Sym‘bolum, & Salutationem B. Virginis, & crucis ſignaculo ſe rectè ‘conſignare. Et quia, ut audimus, etiam quidam adulti hæc ignorant; ‘præcipimus, ut cùm Laici ad confeſſionem accedunt, diligenter exa‘minentur, utrùm ſcierint prædicta; & ſecundùm quod expedit, in ‘eis à Sacerdotibus inſtruantur.’ Superiùs præceperat; ut Presbyteri Parochianos ſuos Decalogum edocerent.

Tractat. de Oculo Morali, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, Cap. 44. *Sacra Scriptura eſt tanquam Spiritùs S. apotheca; in quâ invenitur efficax*

[k] Cap. 5. ad An. 1410. [l] III. 1. [m] X. 9.

Hhh *contra*

contra omne vulnus unguentum, ſalubre contra morbum antidotum, ſalutiferum contra dolorem remedium. Et ſic dicit Chryſoſtomus. In Scripturâ ſacrâ invenit ignorans quid diſcat, contumax quid timeat, laborans præmia, puſillanimis ſolatia. Ecce quanta eſt in Scripturâ ſacrâ ſoliditas? & quam elongata eſt ab eâ vanitas? Et ideo Sapiens invitans nos ad ſtudium divinæ ſapientiæ, dicit Proverb. XXII. Ecce deſcripſi eam tripliciter in cogitationibus & ſcientiâ; ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis. *Et ideo ad hanc tanquam ad objectum firmum & ſolidum debemus dirigere rationis oculum. Unde dicitur Petr. I.* Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, &c.

Sententiam iſtam Lincolnienſis adducit Præfationis in Verſionem Scripturæ Anglicanam Author [n], de quo plura infra ad Ann. 1290. *Deus voluit, ut plures Interpretes S. Scripturam transferrent, & diverſæ Tranſlationes in Eccleſiâ eſſent; idcirco ut quod unus obſcuriùs dixerat, alter manifeſtiùs redderet.*

1250. Thomas Aquinas.

Summ. par. 1. qu. 1. art. 9. *Convenit etiam ſacræ Scripturæ, quæ communiter omnibus proponitur; ut ſpiritualia ſub ſimilitudinibus corporalium proponantur; ut ſaltem vel ſic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia ſecundùm ſe capienda non ſunt idonei.*

2. 2. qu.83. art. 12. *Utrùm oratio debeat eſſe vocalis? Duplex eſt oratio, communis & ſingularis. Communis quidem oratio eſt, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſonâ totius fidelis populi Deo offertur. Et ideo oportet quòd talis oratio innoteſcat toti populo, pro quo profertur; quod non poſſet fieri, niſi eſſet vocalis. Et ideo rationabiliter inſtitutum eſt; ut Miniſtri Eccleſiæ hujuſmodi orationes altâ voce pronuntient, ut ad omnium notitiam poſſint pervenire.*

Comment. in 1 Cor. XIV. Idiota] *ſcilicet non habens niſi linguam maternam.* Nonne dicent quòd inſanitis?] *Objectio. Idem eſt loqui linguis, & loqui literaliter, quantùm ad idiotas. Cùm ergo omnes loquantur literaliter in Eccleſiâ, quia omnia dicuntur in Latino; videtur quòd ſimiliter ſit inſania. Dicendum eſt ad hoc, quòd ideò erat inſania in Primitivâ Eccleſiâ, quia erant rudes in ritu Eccleſiaſtico. Unde neſciebant, quæ fiebant ibi niſi exponeretur eis. Modò verò omnes ſunt inſtructi. Unde licèt in Latino omnia dicantur; ſciunt tamen illud quod ſit in Eccleſiâ.* Ita

[n] Propè fin.

quidem

quidem concedit Thomas linguâ alienâ orare vel prædicare, juxta Apoſtoli & Eccleſiæ Primitivæ ſententiam, inſaniæ indicium fuiſſe: quod nobis nequaquam concedent hodierni Pontificii. Quod de majori autem hodiernæ quàm primitivæ plebis ſcientiâ adducit; vereor ne è contra plebs Chriſtiana olim res divinas meliùs nôrit, quàm etiam Clerus Romanus hodie. Utut ſit, Apoſtoli argumentum non minùs in Romanenſes recurret; quicquid enim ſit de fidelium cœtu ſacris jamdiu aſſueto; certè infideles in Eccleſiam intrantes populum linguâ alienâ orantem inſanire dicent.

1255. Thomas Cantipratenſis, Epiſcopus Luſentinus.

Memorabil. lib. 1. cap. 23. num. 3. Rem ſuo tempore factam narrat, de piâ quâdam Reclusâ in Brabantiæ partibus, viri pauperrimi filiâ; *quæ cum puella nondum ſeptennis miro interiùs fervore ſpiritûs traheretur, rogavit Patrem cum lachrymis ut ſibi Pſalterium compararet. Cui Pater: Unde, inquit, filia, Pſalterium comparabo, qui vix tibi quotidie Panem lucrari ſufficio?* [B. Virgo igitur, puellæ miſerta, ei in ſomnis apparuit, & Pſalterium in manus tradidit. Puella rem patri narrat, ille filiam irridet] *& conſolans eam, Vade, inquit, tantùm diebus Dominicis & Feſtivis ad magiſtram, quæ filias divitum pſalterium docet; & primò diſcas legere; & poſtea B. Maria tibi pſalterium forſitan procurabit. Mira res, quòd ubi puella ſimpliciter accepit, & ad magiſtram, quæ divitum filias docebat, venit; Pſalterium inſpexit & legit.*

1260. Humbertus de Romanis, Dominicanorum Præpoſitus Generalis.

Expoſit. in Regulam S. Auguſtini, cap. 63. *Pſalmis & hymnis tum oratis; dum hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.*

Cap. 65. *Porrò multùm debent omnes, & maximè Religioſi, dare operam; ut in orando verſetur in corde, quod profertur in ore: alias oratio eſſet ſimiatica. Simia enim interdum labia movet ad modum orantis, licèt neſciat quid dicat. Unde dicitur:* Populus hic labiis me honorat. *Item in docendo, in diſputando, in fabricando, & in omni actione etiam corporali, fatuus reputatur, qui non cogitat in eo quod facit; ſecundùm Gloſſam dicentem ſuper illud:* Pſallite ſapienter: *Nemo ſapienter agit quod non intelligit; quantò magis in orando? Et in illud;* Os ſapientium in corde

 ipſorum:

ipſorum : *quod ideo dicitur, quia quæ dicunt, verſantur in corde ipſorum. Iterum cùm quis loquitur proximo ſuo, cogitat in eo quod dicit ; & tantò magis, quanto major eſt, cui loquatur. Cùm ergo orando loquimini Deo ſummo ; quantùm cogitare debet quilibet in oratione ſuâ? &c. Iterum, oratio cibus eſt cordis. Sicut ergo amittit dulcedinem boni morſelli, qui non maſticat eum : ſic dulcedinem ſpiritualem orationum, qui non committit dentibus intelligentiæ orationem. Nam cibus in ore, pſalmus in corde ſapit. Non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ ; ne ſi fortè integrum glutiat, fruſtretur ſapore palatum dulciore ſuper mel & favum. Iterum in oratione petimus, ut Deus nobis intendat, juxta illud :* Intende mihi, & exaudi me. *Quomodo autem eſt probabile, quòd hoc faciat ; ſi nos nobis non intendimus? Nam quomodo mihi intendet, qui mihi non intendo? Item quod magis efficax eſt in oratione, eſt ex parte cordis, &c.*

Cap. 150. S. Scripturæ ſtudium operosè commendans, inter alia hæc habet : *Interdum verò propter deſperationem proficiendi* [Scripturæ lectio rejicitur.] *Sunt enim quidam, qui Scripturas non intelligentes, nec de intelligendi poſſibilitate confidentes, refugiunt lectionem ; quamvis innumerabiles matronæ & mulieres Deo devotæ non dimittunt propter hoc legere Pſalterium cotidie, quia non intelligunt, ut debent. Sed non eſt propter hoc dimittendum. Credendum eſt enim, quòd verba ſacra, etſi non intelligantur à legente ; habent tamen virtutem contra ſpirituales nequitias ; ſicut verba incantantis contra ſerpentem, quamvis non intelligantur ab ipſo incantatore.* Liber iſte Humberti typis aliquoties excuſus prodiit. Verùm cum exemplar impreſſum ad manum non eſſet ; loca iſta ex Codice MS. Bibliothecæ Lambethanæ deſcripſi.

1280. Rogerus Bacon.

Habetur MS. in Bibliothecâ Lambethanâ *Epiſtola* ejus *de laude ſacræ Scripturæ* ad Clementem IV. Papam ; juſti voluminis molem exæquans. In illâ portentoſum quidem & impoſſibile commentum, de Scripturæ ſcientiâ apud omnes fideles propagandâ, Pontifici proponit ; quod tamen ſententiam illius de neceſſariâ Scripturæ cognitione luculenter declarat. Nimium eſſet omnia, quæ huc ſpectant, ipſius verba deſcribere ; commenti igitur rationem duntaxat ſummatim repræſentabo.

Primùm igitur ponit, omnia ad credendum neceſſaria, omnia ſcitu digna, in S. Scripturâ contineri, fidei quidem articulos & abſolutè neceſſaria, literaliter ; ſcientias autem humanas & minùs neceſſaria, autem myſticè & ſpiritualiter. Sic enim cap. 28. inquit : *Dein aggreſſus*

ſum

ſum partem ſecundam (majoris cujuſdam Operis, ejuſdem cum Epiſtolâ argumenti ad quod paſſim Lectorem remittit) *in quà oſtendo, quòd una ſola eſt ſapientia perfecta ab uno Deo data uni generi humano propter unum finem, ſcilicet vitam æternam : quæ in ſacris literis tota continetur ; per Jus tamen Canonicum & Philoſophiam explicanda. Sub Philoſophiâ comprehendo Jus civile.* Dein cap. 30. docet utrumque etiam Jus in S. Scripturâ comprehendi. *Et ſic terminatur pars ſecunda, in quà principale propoſitum eſt oſtendere, quòd tota ſapientia concluditur in ſacrâ Scripturâ; per jus tamen & Philoſophiam explicanda : ut ſicut in pugno colligitur, quod latiùs in palmâ explicatur ; ſic tota ſapientia utilis homini continetur in ſacris literis, licèt non tota explicetur ; ſed ejus explicatio eſt Jus Canonicum & Philoſophia. Nam utrumque jacet in viſceribus ſacræ Scripturæ, & de his exivit ; & ſuper hoc fundantur omnia, quæ utiliter dicuntur in Jure Canonico & Philoſophia ; & hoc per probabiles conſiderationes oſtendo ; quas hìc non expono.* Nonnullas tamen rationes adjungit ; & poſt multa ſubdit : *Secunda cauſâ quare docui ſapientiam totam comprehendi in lege Dei utriuſque Teſtamenti, eſt ſummè notanda, quia nichil in Eccleſiâ Dei plùs debet conſiderari. Quia ſi fiant, quæ narro ; tunc totum ſtudium rectificabitur per ſeipſum ; & tota Eccleſia regetur ſicut in temporibus Sanctorum ; & fiet pax univerſalis tam apud Eccleſiaſtica negotia, quàm apud regimen Principum & Laicorum. Et niſi per veſtram hæc fiant ſapientiam ; non credo quòd unquam fient. Et tamen Prophetatum eſt à multis temporibus ; quòd per unum Papam debent fieri quæ narrabo. Et debet ille eſſe iſtis temporibus ; ſicut inferiùs explicabo magis. Et quod volo dicere, eſt quòd regimen Eccleſiæ, ſicut per legem Dei regebatur antiquitus apud Hebræos, ſic debet eſſe nunc apud Chriſtianos. Et ſicut in primitivâ Eccleſiâ, regebatur per eam, ſic nunc habet regi. Et ſi tota ſapientia eſt ibi principaliter contenta & fontaliter ; tunc principaliter ad minus debet per illam regi. Sed nunc non eſt ita, &c.*

Proximo loco oſtendit omnia reipublicæ Chriſtianæ mala ac peſtes à Scripturæ ignorantiâ provenire. Populum quidem fidem & officii ſui rationem parùm ſcire, mores corruptiſſimos paſſim inoleſcere, fœdiſſimos errores atque hæreſes enaſci : iſta autem omnia, aliaque, ſi quæ ſint ejuſcemodi, mala, exinde oriri ; quòd populus Scripturas neſciat, immò quod magis dolendum eſt, à preſulibus Eccleſiæ in ignorantiam datâ operâ deducatur. Sic enim cap. 27. ait. *Cauſa namque quare fideles non convertuntur ad fidem, eſt quia Principes & Prælati eorum tenent eos in errore, & ſic eſt in omni ſtatu. Scilicet, infinitus eſt defectus in eis qui præſunt nunc temporis ſtudio & vità : & ideo eſt quòd ſubjecta*

multitudo

multitudo errat in infinitis. Apprimè igitur neceſſarium eſſe concludit, ut omnes Chriſtiani ſacras Scripturas, fidei ſuæ fontem & regulam, perfectè ſciant & perſcrutentur.

Neque tamen ſatis eſſe ut ſimplicem Scripturæ ſenſum ſciant, niſi & fontes Hebraicos & Græcos conſulent. Quicunque enim ſacram Scripturam accuratè ſcire velit, neceſſarium eſt ut linguarum Originalium notitiam ſibi comparet; tum quòd multa ſint in S. Scripturâ, quæ in aliam converſa linguam, vim & affectum amittunt; tum quòd multa perperam transferantur. Ipſe enim Hieronymus in Verſione conficiendâ infinitis in locis turpiter hallucinatus eſt; aliique Interpretes magis adhuc lapſi ſunt. His adde, Codices Latinos turpiſſimè depravatos eſſe librariorum & ſciolorum vitio; maximè à viginti retro annis, in quo peſſimus inter *Minores*, & *Scolares*, potiſſimùm verò *Prædicatores* mos inolevit, *quòd quilibet corrigat pro ſuâ voluntate, & quilibet mutat quod non intelligit; quod non licet facere in libris Poetarum.* Iſta fusè docet cap. 31.

Res quidem incredibilis, ut ſinguli Chriſtiani totidem linguarum notitiam ſibi comparare poſſint; res tamen, ſi Baconum audias, factu perquam facilis. His enim præmiſſis, commenti ſui rationem explicat. Nimirum ſibi viſus eſt inveniſſe Grammaticam quandam Univerſalem; cujus ope quilibet intra paucos dies linguas Hebræam, Græcam, Latinam, & Arabicam addiſcere queat; licèt de Arabicâ, utpote minus neceſſariâ, [g] minus laboret. Ut unicum enim duntaxat locum attingam; ſic homo ventoſus de artificio ſuo gloriatur: cap. 25. *Sed certum eſt mihi, quòd infra tres dies ego quemcunque diligentem & confidentem docerem, Hebræum ut ſciret legere, & intelligere quicquid Sancti dicunt & ſapientes antiqui in expoſitione ſacri textûs, & quicquid pertinet ad illius textûs correctionem & expoſitionem; ſi vellet ſe excitare ſecundùm doctrinam datam. Et per tres dies ſciret de Græco iterum; ut non ſolum ſciret legere & intelligere quicquid pertinet ad Theologiam, ſed ad Philoſophiam, & ad Linguam Latinam. Nam conſideret veſtra ſapientia, quòd in linguarum cognitione ſunt tria: ſcilicet ut homo ſciat legere & intelligere ea, quæ Latini tractant in expoſitione Theologiæ & Philoſophiæ & linguæ Latinæ. Et hoc eſt facile, ut dixi, dummodo compoſuiſſem primò quoddam ſcriptum ſub compendio de poteſtate Scientiarum & Linguarum.*

Linguarum igitur cognitionis obtinendæ facilitate demonſtratâ, unica reſtabat objectio; ne vulgares Chriſtiani, linguarum licèt ſcientiâ

g Cap. 31. in init.

prædití,

prædititi, verum Scripturæ ſenſum minus rectè aſſequantur. Id autem minimè verendum eſſe Rogerus clamat. [p] *Quia ſi ſciat legere, poteſt intelligere. Nam autores exponunt omnia, & dant intellectum.* Quò tutior tamen Lectoribus Scripturæ ingreſſus pateat; ſe Opus quoddam manuductorium ſeu Præliminare editurum ſpondet. Quamvis enim Scriptura legentibus ſit intellectu facilis: *non tamen nego*, inquit, [q] *quin verò ſcriptum Philoſophiæ de quibuſdam communibus debet fieri, quæ non poſſunt poni in explicatione Scripturæ; ſed tamen illa debent anteponi, ut totum fiat volumen. Et ſatis modicum erit præ librorum Philoſophiæ & Theologiæ numero; immo nichil revera his comparatum. Et ſic omnis ſuperfluitas infinita, quæ nunc eſt, reſecabitur; & omnis falſitas tolletur, & omnis vanitas excludetur; & omnia neceſſaria ſapientiæ divinæ & humanæ, quorum infinita quaſi nunc deſunt, addentur; & redigetur ſtudium ſapientiæ ad ſtatum debitum, ſcilicet iſtius temporis poſſibilitatem.*

Tot & tam præclara itaque beneficia, ex univerſali S. Scripturæ linguarumque cognitione proventura, ne Eccleſiæ invideat, Papam multis orat. Id frequentibus vaticiniis confirmatum, id ſummis omnium votis expetitum; ut tandem aliquando Pontificis Romani operâ Eccleſia reformetur & Scripturæ ſtudium reſtituatur. Neque enim multa annorum luſtra requiri, ut res ab ipſo excogitata inchoetur ſimul & abſolvatur. Quin [r] *& unus, qui vidit hæc per revelationem, dixit & dicit, quòd ipſe videbit hæc magnifica fieri temporibus ſuis. Et certè infra annum unum poſſent fieri; ſi Deo placuerit, & ſummo Pontifici; & infra minus. Unde temporibus noſtris poſſent fieri. Et Deus confirmet vitam veſtram; ut hæc per vos fiant.* Enixè igitur poſtulat, ut Pontifex artificium ſuum autoritate Apoſtolicâ confirmet, & Eccleſiæ univerſæ excolendum commendet; ſalvâ tamen omnibus illo utendi libertate. Sic enim præfatur, cap. 22. *Nec eſt intentio mea ſuſcitare veſtram Clementiam; ut per violentiam corrigatur multitudo, nec capita multitudinis. Neque ego contendam cum eis; ſed ago ad hæc propter cauſas prædictas. Et ſi veſtræ ſapientiæ placeat; quod dicetur; primò poſſunt ſapientes recipere exemplar; dein paulatim quicunque velit; ut nullus cogatur. Et tamen ſcio, quòd omnes vellent accipere.*

Ultimo loco innumera beneficia ex hoc artificio Eccleſiæ proventura prædicat. [ſ] Horum præcipua ſunt, quòd *Officium divinum* ab omnibus fidelibus intelligeretur: quòd legis divinæ ſcientia, latiùs diffuſâ, haud ita facilè corrumpi poſſet: quod Chriſtiani ſacris oraculis inſtructi, *futu-*

[p] Cap. 25. [q] Cap. 30. [r] Cap. 30. [ſ] Cap. 32.

ris

ris Antichriſti periculis ſortiùs reſiſtere valerent; quòdque fidei normam & vitæ documenta è puro & incorrupto fonte haurirent. His adde *converſionem infidelium & ſchiſmaticorum, ac reprobationem eorum, qui converti non poſſunt:* ubivis *manifeſta eſt utilitas linguarum*, ubivis neceſſaria Scripturæ ſcientia.

1290. Anglicanus Interpres.

Facta ante Wiclefum creditur Anglica totius Scripturæ Verſio, quam Cl. Uſſerius Jameſii auctoritate ductus ad Annum 1290. refert. Idem Præfationem docti imprimis viri in Vetus Teſtamentum Anglicè ante Annos 300. conſcriptam ex Joanne Caio ſæpiùs citavit [t]. Præfationem vidi MS. in Bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrigienſis, nulli Authori inſcriptam. Prodiit autem typis excuſa ſub Wiclefi nomine *Londini* 1550. 12°. Eandem eſſe, quam Caius citavit, indicio eſt utrumque teſtimonium à Caio laudatum, & in Præfatione propè finem repertum. Author verò paſſim dicit ſe totam Scripturam Anglicè tranſtuliſſe: adeò ut pronum ſit credere Typographos Londinenſes in apponendo Wiclefi nomine hallucinatos eſſe. Rem confirmat impotens animi iracundia; quâ Præfationis Author Academicos Oxonienſes inſequitur; quùm è contra Wiclefus Academiæ alumnus & magiſtratus fuerit, maximoque ſemper honore ab Academicis affectus. Præfatio eſt admodùm prolixa; & de autoritate atque uſu ſingulorum S. Scripturæ librorum agit. Canonem Veteris Teſtamenti juxta Hebræos diſpoſuit, rejectis Apocryphis: & Scripturæ ſtudium omnibus Chriſtianis, tam viris quàm fœminis, tam doctis quàm indoctis, excolendum ubivis docet; & Cleri repugnantiam dolet. Sic enim cap. 13. *Sed proh dolor! Peſſima quæ unquam in Chriſtiano Clero audita eſt, abominatio nunc in Angliâ propoſita eſt à mundanis Clericis & larvatis Religioſis. Idque in primâ noſtræ gentis Academiâ, (ut multi fide digni dolentes narrant) horribile iſtud & diabolicum ſcelus moliuntur Chriſti adverſarii & Chriſtianorum parricidæ; ut nullus Theologiam aut S. Scripturam diſcat; niſi Curſum ſuum (quod vocant) in Artibus peregerit; id eſt, Artium Magiſterium obtinuerit, & per duos exinde annos* Regens *fuerit. Hinc novem aut decem anni abſolvendi ſunt poſt Grammaticæ ſtudium rectè finitum, antequam ediſcenda ſit S. Scriptura; quamvis etiam ſagax adſit ingenium, & ſedula diligentia, & ingens Scripturas diſcendi cupido. Iſtud procul-*

[t] Cap. 5. ad An. 730. 890. 1360.

dubio

dubio Diaboli commentum videtur, ſcilicet ut pauci admodum aut ferè nulli Dei legem diſcerent & intelligerent. Poſtea quatuor abominationes in Clero paſſim obtinere deflet, ſc. Impietatem, Sodomiam, Simoniam, & quartam, quam his verbis depingit. *Quarta autem Abominatio eſt quod nunc moliuntur propoſitum interdicendi Chriſtianis, immò etiam Sacerdotibus & Curatis legis divinæ ſtudium; antequam novem aut decem annos Artium ſtudio inſumpſerint, &c.* Capite ultimo Verſionis ſuæ rationem reddit, & Apologiam texit. Summa argumenti huc redit. Cùm Chriſtus Evangelium ſuum in omni mundo prædicandum eſſe edixerit; & Scripturæ populorum eſſe à Pſalmiſtâ dicantur; & ob inſtructionem populi primitus conſcriptæ ſint: *Ob has aliaſque rationes, pro ſalute omnium in hoc regno Electorum, ſimplex homo Bibliam ex Latino in Anglicum ſermonem tranſtulit.* Quamobrem ſe junctâ cum plurimis amicis operâ varios Codices congeſſiſſe dicit; lectiones optimas ſelegiſſe, & in verſione ſecutum eſſe; Patrum expoſitiones, & eruditorum (præſertim Lyrani) gloſſas adhibuiſſe; & in vertendo non tam verba quam ſenſum ſpectâſſe: Demum illos refutare nititur, qui verſionem vernaculam temeritatis arguebant. Delirare illos dicit: cùm verſiones innumeræ Latinæ, & Græca LXX. fuerint olim evulgatæ; dum Græca & Latina vulgares erant linguæ: Nec minùs verè & eleganter ſacra eloquia in Anglicam linguam converti modò poſſe, quam in Latinam olim potuiſſe: Bedam potiorem Bibliæ partem Saxonicè tranſtuliſſe, ut & Alfredum Regem priorem Pſalmorum partem. Gallos, Belgas, & Britonas S. Scripturam linguâ maternâ converſam legere; pari igitur jure ab Anglis etiam Biblia vernaculo ſermone legenda eſſe. Hæc aliaque argumenta profert Verſionis Author; de cujus nomine atque ætate certius aliquid eſt diſquirendum.

Inprimis itaque id conſtat, eidem Authori deberi iſtam Præfationem, ac Verſionem integram S. Scripturæ Anglicam, quæ in Bibliothecis noſtratibus Wiclefo inſcripta paſſim extat. Quæcunque enim de Tranſlatione ſuâ præfatur ille, huic Verſioni adamuſſim conveniunt. Ex. gr. Cap. 1. Dicit Præfationis Author, ſe nonniſi primum Eſdræ librum atque illum Neemiæ tranſtuliſſe, tertium autem & quartum Eſdræ libros prætermiſiſſe. Cap. 15. Plura locorum S. Scripturæ difficiliorum dat ſpecimina; diſputatque quomodo converti debeant, & quomodo à ſe converſa fuerint, indicat. Iſthæc omnia dictæ Verſioni exactiſſimè concordant. Deniq; Cap. 11. Se Prophetas omnes Gloſſis nonnullibi illuſtrâſſe fidem facit. Et ſanè in Codice Lambethano Gloſſæ in Prophetas, in nullum autem alium S. Scripturæ librum, comparent. Illas in aliis Codicibus me vidiſſe non memini.

 Verſio-

Verſionem iſtam Codices omnes quos vidi (& ſanè quamplurimos vidi [u]) Wicleſo unâ voce tribuunt. Wicleſum quidem S. Scripturam Anglicè convertiſſe extra dubium eſt. Ut Balei etenim auctoritatem taceam; id confirmat Joannes Huſſus; cujus teſtimonium Cl. Uſſerius ſupra [x] adduxit. Quæ autem apud nos vulgò extant Biblia MSS. Anglica, Wicleſo minimè deberi cenſeo. Neque ut aliter ſentiam, unanimes Codicum MSS. Inſcriptiones movent. Cunctæ enim recenter ſunt additæ, ab incautis puto Lectoribus, qui Anonymâ Verſione repertâ, cùm inter Interpretes antiquos Anglicanos Wiclefi nomen ſit longè celeberrimum, illud appoſuerunt. Ex adverſo autem præſtò ſunt rationes fortiſſimæ. Primò enim eundem fuiſſe Verſionis iſtius ac Præfationis ſupradictæ Authorem, neque tamen Præfationem Wicleſo deberi, ſupra oſtenſum eſt. Dein aliâ prorſus Verſione utitur Wicleſus in Commentario ſuo vernaculo in Pſalmos; quod MS. extat in Bibliothecis Lambethanâ & Norfolcianâ. Poſtremò ab indubiâ Wiclefi Tranſlatione iſta eſt diverſiſſima. Me quidem integram Wiclefi Verſionem nunquam vidiſſe fateor. Vidi tamen partem ejus non contemnendam in Bibliothecâ Norfolcianâ, Cod. MS. 254. 4°. ſc. Quatuor Evangeliorum Harmoniam, Septem Epiſtolas Canonicas; & Lectiones Dominicales ac Feſtivales totius anni è S. Scripturâ depromptas. Codicem iſtum Wicleſo deberi probat tum Balei auctoritas [y] ſcribentis illum Harmoniam Clementis Lanthonienſis vernaculo ſermone reddidiſſe, tum Præfatio præmiſſa; de quâ plura vide infra in Wicleſo. Quæ in iſtoc autem Codice habentur Verſiones, à vulgatis Codicibus MSS. ſunt planè diverſiſſimæ; quantùm tamen ex ſedulâ dialecti collatione conjectari poteram, eâdem prorſus ætate confectæ. Siquis indicium petat, cujus ope utriuſque Authorem agnoſcat; ſciat Wicleſo ſolenne eſſe in Interpretatione ſuâ S. Scripturæ voces difficiliores additis Synonymis dilucidioribus explicare. Seu ſpecimen utriuſque malis; locum illum Lucæ II. *Et reclinavit eum in præſepio; quia non erat ei locus in diverſorio.* Wicleſus ſic reddit: **And puttide him in a Cratche; for place was not to him in the comyn ſtable.** Alter Interpres ſic: **And leide him in a Cratche; for there was no place to him in no chaumbre.**

Rejecto itaque Wicleſo, reſtat ut alium Authorem quæramus. Duo ſolummodò, quod ſciam, mediâ ætate fuerunt Interpretes S. Scripturæ Anglicani; Wicleſus & Joannes Treviſa, de quo plura ad Annum

[u] Vid. infra ad An. 1380. [x] Pag. 162. [y] Cent. 6. cap. 1.

1387.

1387. Huic itaque dictam Verſionem libenter aſcriberem. Optimè certè illius ætas Verſioni convenit. Quùm in Præfatione [z] enim Ricardi Armachani *Summa adversùs Armenos* citetur; illam poſt medium Seculum XIV. ſcribi neceſſe eſt.

Obſtat equidem, quod de Verſione Anglicâ centum ſaltem annis ante Wicleſum atque adeò Treviſam coætaneum factâ Cl. Uſſerius ex Jameſio ſupra [a] adduxit. Et ſanè, quod neutiquam diſſimulare vellem, in ipsâmet Verſione nonnulla reperiuntur, quæ Seculum Treviſâ anterius primâ fronte demonſtrare poſſent. In Codice enim Lambethano, Gloſſa ad Cap. XI. Danielis hæc habet: *Ab iſto tempore* (pollutione Templi Hieroſolymitani ab Antiocho Epiphane factâ) *ad nos effluxerunt pluſquam mille quadringenti anni.* Secundùm iſtum quidem calculum, cùm Antiochus Hieroſolymam expugnaverit anno ante Chriſtum (juxta Euſebium) 171. Verſio facta erit circa annum poſt Chriſtum 1229. Verùm & Interpretem in calculis ſubducendis, & Jameſium in ætate illius ponendâ, errâſſe manifeſtè patet. Interpres enim in Præfatione Lyranum ſæpiùs, Armachanum ſemel citat; eundemque fuiſſe Præfationis noſtræ ac Verſionis Jameſianæ Authorem, conſtat ex teſtimonio de libris Scripturæ Canonicis; quod ex ſui Interpretis Præfatione Jameſius ibidem protulit, in noſtrâ Præfatione ſtatim poſt principium totidem verbis repertum. Pari modo ſupra [b] lapſus eſt Uſſerius; quùm Anglicanum Interpretem Jameſianum ad An. 1290. Præfationis autem à Caio citatæ Authorem ad Annum 1360. retulerit. Neque enim alius fuit Interpres ille à dictæ Præfationis Authore; uti ſupra oſtenſum eſt.

1340. Richardus Hampole.

De emendatione Peccatoris, cap 9. *Si cupis ad amorem Dei pervenire, & ſuccendi deſiderio cæleſtium gaudiorum, & induci ad contemptum terrenorum; non ſis negligens ad meditandum & legendum ſacram Scripturam; & maximè in his locis, ubi mores inſtituit, & inſidias diaboli cavere docet; ubi loquitur de amore Dei, & de contemplativâ vitâ. Difficiliores verò ſententiæ diſputantibus & ingenioſis viris longo tempore in ſanctâ doctrinâ exercitatis relinquantur.*

Cæterùm quod habet Jo. Foxus à Cl. Uſſerio ſupra [c] citatus, Richardum nempe noſtrum ad verſum illum Davidis [*Ne auferas ab ore meo*

[z] Cap. 12. [a] Pag. 155. [b] Pag. 155, 157. [c] Cap. 5. ad An. 1401.

verbum veritatis uſquequaque.] judicium ſuum de neceſſitate Scripturarum Vernacularum propoſuiſſe; id in Commentario illius in Pſalmos, quod hodie vulgatum extat, nequaquam comparet. Sin Foxus Hampolum id in Verſione ſuâ Pſalterii Anglicanâ, quam memorat, feciſſe voluerit; me nunquam aliàs de eâ inaudiviſſe fateor. Res tamen veri haud abſimilis eſt. Plures enim Tractatus Vernaculos in populi uſum Hampolum elucubrâſſe conſtat. Ex his nonnulli in Bibliothecâ Lambethanâ hodienum aſſervantur. Immo verò tandem comperi Verſionem Pſalmorum Anglicam ab Hampolo evulgatam fuiſſe, ex teſtimonio Authoris *Speculi B. Virginis* (de quo infra) qui in Prologo ſic ſcribit. *Paucos admodum Pſalmos tranſlatos dedi; ideò quòd vobis præſtò ſint ex Richardi Hampoli Verſione, aut ex Bibliis Anglicis; modò licentiam eorum legendorum habeatis.*

1350. Nicolaus Cabaſilas, Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.

Expoſit. Liturg. cap. 21. *Sacerdos cùm hoc exclamavit, & Doxologiam adjecit; cantandi hymni Triſagii ſacro populo hoc veluti ſignum proponit; & cum ipſi ut mos eſt Doxologiæ Amen ſubjecerint, hymnum incipiunt. Poſt hymnum autem, Sacerdos jubet omnes non ſocorditer & negligenter ſtare, ſed ea quæ fiunt & canuntur attendere.* Πρόσχωμεν *enim, quo vocabulo utuntur, idem eſt, quod, Mentem adhibeamus, &c. Quia autem cum convenientibus cogitationibus neceſſe eſt ſtare & myſterii eſſe participes, & ſacrarum ejus auditionum & contemplationum; niſi eis fruſtra ſumus interfuturi & tempus conſumpturi: hoc autem non eſt facile: propterea opus eſt quidem ipſos à nobis ipſis excitari & eſſe ſobrios; opus eſt autem externâ admonitione; ut noſtram mentem ab oblivione aſſiduè ſurreptam & ad vanas curas attractam poſſimus recipere. Hoc etiam ſibi vult Canticum, quod canitur, dum pretioſa dona ad altare offeruntur, &c. Vult nos eſſe certamini intentos; qui ad Deum & divina myſteria accedimus; & non ſocorditer, ſed cum ſtudio & diligentiâ omnique reverentiâ in eis verſari; ſive videre, ſive dicere, ſive audire aliquid ex ſacris oportebit.* —— τοῦ ὕμνου ἀπέρχονται· μετὰ δὲ τὸν ὕμνον ὁ ἱερεὺς κελεύει πάντας μὴ ῥαθύμως καὶ ἀμελῶς, ἀλλὰ τοῖς τελουμένοις καὶ ᾀδομένοις προσέχειν τὸν νοῦν· τὸ γὰρ πρόσχωμεν, τοῦτο δύναται, &c. Ἐπεὶ δὲ μετὰ τῶν προσηκόντων λογισμῶν ἀναγκαῖον ἑστάναι, καὶ μετέχειν τῆς τελετῆς καὶ τῶν ἱερῶν αὐτῆς ἀκουσμάτων καὶ θεαμάτων, &c. εἴτε ὁρᾷν, εἴτε λέγειν, εἴτε καὶ ἀκούειν τι δεήσει ἱερῶν.

Cap. 22. *Sed quid ſibi vult hîc ſacrarum literarum lectio. Si vis quidem uſum ſcire; dictum eſt.* (ſupra dixerat, *divinorum eloquiorum auditionem eſſe magnum bonum,* μέγα τι ἀγαθόν ἐστιν ἡ τῶν θείων λογίων ἀκρόασις.)

ἀκρόασις.) *Nos enim præparant & præpurgant ante magnam myſteriorum ſanctificationem.* παρασκευάζουσι γὰρ ἡμᾶς καὶ προκαθαίρουσι πρὸ τοῦ μεγάλου τῶν μυστηρίων ἁγιασμοῦ.

1357. Richardus Radulphi, Archiepiſcopus Armachanus.

Summa adv. errores Armen. lib. 9. cap. 1. *Quæritur, nunquid aliqua certa verborum Forma ſit neceſſaria ad conſecrationem corporis & ſanguinis Chriſti, & quæ eſt illa?* Richardus. *Non intelligo, quid Formam verborum certam appellant. Aut enim illud appellant certæ linguæ verba certa; & non eſt dubium quod dicunt. Nemo enim Chriſtianus dubitat, quin ita verè conſecratur in unâ linguâ, ſicut in aliâ; quoniam ſic fecerunt Apoſtoli & ſic tradiderunt facere. Matthæus enim ſcripſit Evangelium in Hebraico, Johannes in Græco, Marcus in Italico. Et Paulus Epiſtolam ad Romanos* [*Corinthios* proculdubiò legendum, & ita quidem legit Codex MS. Bibliothecæ Lambethanæ,] *ubi de iſta conſecratione ſit mentio, etiam ſcripſit in Græco; & ſinguli in illis linguis, in quibus ſcripſerunt, non dubium conſecrare docuerunt: unde conſtat in ſingulis conſecrationem poſſe fieri. Immò videtur, quòd linguæ omnes ob hoc erant datæ Apoſtolis, ſicut legitur Actuum ſecundo: ut modum conſecrationis hujus Sacramenti, ſicut & alia ſalutis documenta, ſingulis nationibus ſingularum linguarum crederent exercenda.*

Locum è [e] *Defenſorio Curatorum* ejus Cl. Uſſerius ſupra [f] leviter memoravit. Illum igitur integrum ſubjiciendum duxi. Extat itaque MS. in Bibliothecâ Lambethanâ iſtius *Defenſorium Curatorum*, ſeu *Propoſitio facta in Conſiſtorio Avenione coram Papâ & Cardinalibus contra Fratres Mendicantes, Anno 1357. die 8. Novembris.* Inibi paulò ante medium hæc leguntur. *Item eſt aliud dampnum tam grave, quòd cedit ad conſumptionem & evacuationem doctrinæ in Sæcularibus cujuſlibet Facultatis; ſcilicet quòd iſti Ordines Mendicantium propter infinita lucra, quæ mediantibus prædictis privilegiis de Confeſſionibus & Sepulturis & aliis acquirunt; tantùm multiplicati ſunt in Conventibus & perſonis Conventuum; quòd non reperitur in Studiis Communibus de Facultate Artium, S. Theologiæ, & Juris Canonici, niſi raro, aliquis utilis multùm liber venalis. Scilicet omnes emuntur à Fratribus; ita ut in ſingulis Conventibus ſit una grandis ac nobilis Libraria: & ut ſinguli Fratres habentes ſtatum*

[e] Prodiit Opus iſtud typis ſemel excuſum. Verùm exemplar impreſſum ad manum non eſt. [f] Cap. 5. ad An. 1358.

in ſtudiis, quales ſunt modò innumeri; nobilem etiam habeant librariam. Unde ego de mihi ſubjectis Rectoribus tres aut quatuor miſi ad Studium; & dictum eſt mihi, quòd quia nec Bibliam eis utilem, nec alios libros Theologiæ venales eis congruos ibi poterant reperire; ad ſuam propriam ſunt reverſi, aut unus ſaltem eorum jam rediit. Tractatus iſte à Joanne Treviſa ſub finem ejuſdem Seculi Anglicè converſus eſt. Verſio habetur MS. in Ampliſſimâ Bibliothecâ Reverendi Viri, Thomæ Teniſon, Theologi noſtrâtis. Cæterùm Fraterculos S. Scripturæ Codices incarcerandi potiùs quàm lectitandi animo undique conquiſiviſſe, res à Melchiore Adamo in Vitâ Lutheri narrata innuit: Lutherum nempe, utcunque avidum librorum helluonem, & ſacræ lectionis imprimis cupientiſſimum, nunquam Scripturæ Codicem nanciſci potuiſſe; donec ſortè fortunâ exemplar quoddam in obſcuro Bibliothecæ Cœnobii ſui angulo, tineis & blattis ſemeſum, invenit.

1360. Bartholomæus de Glanvillâ, Anglicus *dictus*.

Ad calcem librorum ejus de Proprietatibus Rerum in Codice MS. Lambethano, reperiuntur tres Sermones; primus in illud, Pſal. XIX. 8. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Reliqui in illud, Job XXXVIII. 37. *Concentum cœli quis dormire faciet?* In ſingulis Encomium S. Scripturæ contexuit; unicum id argumentum tractans. In ultimo autem Cœlum per S. Scripturam allegoricè interpretatus; eam omnes ſcientias, omnia ad fidem neceſſaria continere, doctis etiam indoctiſque pariter patere, fuſiſſimè docet. *Omnes humili ſermone invitat; ne ipſo ſuperbo eloquio non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad divitem. Et ex hoc liquet mirabile in hâc Scripturâ; quòd ſermo eius etiam eſt manifeſtus* (eloquentem antea dixerat) *ut parva nutriantur, & magna oblectentur ingenia; ſecundùm Auguſtinum: manifeſtus & aperta continens; ut amicus familiaris ad cor loquitur doctorum & indoctorum. ——Sola ſapientiam veram & completam notitiam tradit; quâ perveniatur ad vitam æternam, &c.*

1360. Joannes Thoresbeius, Archiepiſcopus Eboracenſis.

Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ *Paſtorale* ejus, ſeu Injunctiones Clericis Provinciæ Eboracenſis datæ, Anglicé. Inibi Oratio Dominica, Symbolum Apoſtolicum, & Decalogus linguâ vernaculâ traduntur, & Expoſitione luculentâ illuſtrantur. Firmiter autem injungit

git Archiepiſcopus, ut ſinguli Chriſtiani iſta omnia memoriter diſcant; & an rectè didicerint, à Sacerdotibus ſuis crebrò interrogentur. *Neve* inquit, *aliquis ignorantiam & imperitiam diſcendi prætendat; Pater noſter Archiepiſcopus conſtituit & præcepit, ut ſingula populo publicè enarrentur linguâ Anglicanâ.* In Explicatione Symboli hæc habet: *Fides noſtra nos docet, Deum inſtituiſſe integrum Symbolum, & juſſiſſe ut homines id ediſcerent atque intelligerent & alios docerent. Sique Præſules in hoc, muneri ſuo deſint; Chriſtus edixit ipſos etiam lapides exclamaturos; voluitque ut Seculares viri [Domini] ob Præſulum defectum ſeu negligentiam, legem Dei linguâ Vernaculâ diſcant & edoceant.* Iterum in Expoſitione quarti præcepti Decalogi: *Populus diebus Dominicis res divinas ſolummodò curent. Tunc Officio divino cum reverentiâ & devotione attendas; & Orationem Dominicam, Symbolum, Salutationem Angelicam, devotâ mente recites; aliaſque etiam pias Orationes, ſi poſſis. Quinetiam legem divinam maternâ linguâ prædicatam audito. Id enim tibi utilius eſt, quàm multas audire Miſſas.*

Iterum in Expoſit. ſexti Mandati. *Quinetiam improbi Præſules & Curati hominum tam animas quàm corpora interficiunt, verbum Dei ſubtrahendo, & bonæ vitæ exemplum denegando. Nullus enim fidem aliaſque virtutes ſpiritualiter vivens exercere poteſt, niſi Dei verbum audiendo & obſervando. Atque adeò illi ſub pœnâ damnationis tenentur docere iſtud Dei verbum, quod humanæ animæ cibus eſt.* Illos increpare præſules & ſacerdotes videtur; qui vulgarem ſacræ Scripturæ lectionem plebi ſuæ interdixerunt. Factum id primùm in Angliâ à quibuſdam Præſulibus circa iſtud tempus non malè cenſeri queat. Idque factum Thoresbio culpare integrum fuit. Nondum enim latum erat Concilii Oxonienſis decretum de Scripturis vernaculè non legendis. Id in animo autem habuiſſe Thoresbeium, nullus facilè dubitabit; qui integrum Paſtorale perlegerit, noveritque quantâ mordacitate, quali ſinceræ religionis zelo iſte Præſulum & Fraterculorum ſui temporis vitia, errores & præſtigias ubivis inſectetur.

Thoresbeio in hâc ſententiâ prævivit Robertus Pullanus, Cardinalis; cujus inſigne teſtimonium antea omiſſum, hìc loci apponam. Sic igitur ille in Sermone 16. MS. *Sunt nonnulli omnium, quos terra ſuſtinet, miſerrimi; qui nec boni in ſe aliquid habent; & cùm in aliis audierint vel viderint, non diligunt, ſed invident: Et eos quos ad divinam lectionem vel prædicationem proficiſci cognoverint, à bono propoſito virulentis diſſuaſionibus, quantum in ipſis eſt, revocant.*

1361. Simon

1361. Simon Langham, Epiſcopus Elienſis, poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Sermo ejus *in Synodo* factus habetur MS. penès me, ex Bibliothecâ Collegii D. Petri apud Cantabrigienſes deſcriptus. In illo ſequentia reperiuntur. ‘Quia ſine Decalogi obſervatione ſalus animarum non ‘conſiſtit; exhortamur in Domino firmiter injungentes, ut unuſquiſque ‘paſtor animarum & quilibet ſacerdos parochiarum ſciat Decalogum, ‘i. e. decem mandata legis Moſaicæ; eademque ſuo populo ſubjecto ‘frequenter prædicet & exponat, &c. Et hi, qui ſunt Sacerdotes, ‘maximè ſciant quæ exiguntur ad veræ Confeſſionis & Pœnitentiæ Sa‘cramentum, formamque baptizandi; & doceant frequenter laicos in ‘idiomate communi, &c. In Eccleſiâ quoque divinum Officium inte‘grè fiat & devotè; ut videlicet lectiones, hymni, Pſalmi, & alia ‘quæ in Dei laudem recitantur in Eccleſiâ, integram habeant verbo‘rum prolationem, mentiſque ad ſenſus verborum devotam attentio‘nem: ne, quod abſit, pro hoſtiâ vivâ & integrâ offeratur hoſtia mu‘tilata vel mortua, &c. Provideant etiam attentiùs Eccleſiarum Recto‘res & Sacerdotes parochiales; ut pueri parochiarum ſuarum diligen‘ter doceantur & ſciant Orationem Dominicam & Symbolum & Sa‘lutationem B. Virginis, & crucis ſignaculo ſe rectè conſignare. Et ‘quia, ut audivimus, etiam quidam adulti hæc ignorant; præcipimus ‘ut cùm laici ad confeſſionem accedunt, diligenter examinentur, u‘trùm ſcierint prædicta; & ſi quid expedit, in eis à ſacerdotibus in‘ſtruantur.

1380. Joannes Wiclefus.

In Oſtiolo, ſeu Tractatu adversùs Tranſubſtantiationem vernaculo, *Norimbergæ* Anno 1546. excuſo, pag. 4. ‘Paulus Apoſtolus ubique ‘oſtendit omnes pœnitentiam agere debere. Præ aliis autem pœni‘tere debet Clerus; utpote qui Deo ſemper adverſatus eſt & in Veteri ‘& in Novâ Lege, Prophetas Dei verbum annunciantes interficiendo. ‘Illi olim quidem, ubi probè nôſtis, neque ipſi Dei filio pepercerunt; ‘cùm Sæcularis Judex illum liberare voluiſſet; & pari modo inſecuti ‘ſunt Apoſtolos & Martyres, qui verbum divinum illis verè annunciâ‘runt. Hodiè verò hæreſin eſſe clamant S. Scripturas Anglicè prædi‘care; adeóque etiam condemnant Spiritum S. qui linguas Chriſti Apoſtolis,

'Apoſtolis, uti ſcriptum eſt, donavit; ut in omnibus dialectis totius 'orbis à Deo conſtitutis, verbum divinum prædicarent. Quinetiam 'Spiritus S. ſuper Gentiles deſcendit, quomodo ſuper Apoſtolos in 'Hieroſolymis deſcenderat. Sin verò Chriſtus pro infinitâ ſui miſeri'cordiâ Spiritum S. Gentilibus immiſerit, atque illos ſanctiſſimi ſui 'verbi participes fecerit; quamobrem à Nobis in hâc gente poſitis, 'qui Chriſtiani ſumus, auferatur? Videte annon idem ſit Chriſti verba 'hæreſeos incuſare ac Chriſtum ipſum Hæreticum efficere. Si mea enim 'verba ſint mendacia; tunc ego, qui verba loquor, mendax ſum. Si mea 'igitur verba ſint Hæretica; ego etiam qui verba loquor, Hæreticus 'ero. Idem igitur eſt Dei verbum in quacunque linguâ, ac Deum 'ipſum verbi authorem, hæreſeos damnare. Is enim ejuſque verbum, 'unum idemque ſunt; & ſeparari non poſſunt. Et ſi verbum ejus ſit 'vita mundi; ſicut ſcriptum eſt: *Non in ſolo pane vivet homo, ſed in 'omni verbo quod procedit ex ore Dei*; & omne Dei verbum ſit vita 'animæ humanæ; quod ait D. Joannes; quomodo, per Deum, auſus 'eſt Antichriſtus id à nobis Chriſtianis auferre, & efficere, ut populus 'fame pereat aut in hæreſin incidat.

In Prologo in Expoſit. Orationis Domin. Anglicè MS. penes Cl. Teniſonum. *Quùm Oratio Dominica optima ſit omnium orationum; (cùm illâ enim omnes aliæ concludi debent, modò Deo gratæ ſint) verba ejus ab omnibus ſunt memoriter tenenda, & intellectus verborum inveſtigandus. Cúmque Dei veritas non magis in unâ quàm alterâ linguâ ſit poſita; quicunque autem meliùs vivit & melius docet; Deo meliùs placet, cujuſcunque demum ſit linguæ; iſta igitur oratio Anglicè enarrata tam indoctam plebem ædificare queat, quàm doctos Latinè. Porrò cùm Evangelium ſit Chriſti, idque Chriſtus populo prædicari juſſerit; ut omnes illud ediſcerent, ſcirent, & juxta ejus præcepta viverent; quare nobis non licet linguâ Anglicanâ conſcribere Evangelium, aliaque opuſcula Evangelium explicantia ad Chriſtianorum ædificationem & animæ humanæ utilitatem; prout à Concionatore plebi verè prædicantur. Quòd ſi enim conſcribendum non eſſet; eàdem ratione neque prædicandum eſſet. Procul abſit à Chriſtianis iſta hæreſis & blaſphemia. A Diabolo enim proficiſcitur; uti Chriſtus ait*, Diabolus eſt mendaciorum parens. *Sic & ſecta Phariſaica à Deo execrata eſt; quæ, ut Pauli verbis utar*, Jeſum non amat, & *Evangelium populo prædicari prohibet. Si quis enim artem aliquam humano generi neceſſariam calleat; aliiſque doctrinæ ſuæ capaces docere nolit; illis ignorantiæ cauſa eſt. Similiter dicendum eſt de Evangelii verſione in linguam vernaculam, in vulgi uſum & ſcientiam. Quis Chriſtum minùs amat,*

quis à Deo execratur; niſi qui iſtiuſmodi verſionem impedit? Ipſe enim Satan eſt Chriſti adverſarius. Impia autem iſta ſecta otioſum dormire Evangelium cupit; & licèt Chriſti nomen præferat, parùm tamen de illo prædicat. Sic fecerunt olim Mahometes & Sergius Monachus; cùm legem ex arbitrio confictam evulgârunt, nonnihil tamen de Evangelio ad carnalem intelligentiam deflexum immiſcentes; quorum fraude factum eſt, ut Gentiles ſint hodienum à fide alieni. Similiter prava iſta gens integram Evangelii veritatem non prædicat. Vitam enim præceptis ejus contrariam ducunt; Chriſtuſque filios ſuos ex operibus judicium ferre jubet. In exponendo autem primo Orationis articulo, hæc habet: *Pater Noſter, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum.*] *Et ita quidem Chriſtus Apoſtolos integram iſtam orationem docuit. Scitote autem, quòd nec Latinè nec Gallicè; ſed linguà illis vulgari & uſitatâ. Iſtam enim meliùs nôrunt. Ecce regulam omnibus Chriſtianis, cujuſcunque ſint linguæ, poſitam: nimirum gratum eſſe Deo ſacrificium, ſcire Orationem Dominicam, Evangelium, aliaſque S. Scripturæ partes animæ ſaluti neceſſarias; & juxta illa vitam inſtituere; ſive illis explicentur Latinè, ſive Anglicè, ſive Gallicè, ſive Belgicè, ſive quàvis alià linguà, quam populus intelligit. Clero itaque lætandum eſſet, ſi populus legem divinam ſciret; & laborandum omnibus, quibuſcunque poſſent, mediis, ut populum ſibi commiſſum veritatem ſcire efficerent.*

Comment. in Pſalmos, quod prolixum admodum ſcripſit linguâ vernaculâ, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. In Pſalm. XLVII. Magnatum Laicorum officium explicans, iſta monet: *Sepoſito autem humano conſilio, Legem Dei legant; ejuſque ſtudio ſedulò incumbant; eamque intelligant; atque inibi optima regiminis præcepta invenient.*

In Pſal. LVIII. Chriſtus jubet, ut nullus articulis fidei addere aut detrahere præſumat; *neque eam alià formulà concipere, quam Scripturæ textus docet. Aliter errore tenemur.*

In Pſal. LXXIV. *Olim in Eccleſià præceptum fuit, antequam avaritia radices egerat; ut poſtquam Evangelium Latinè lectum fuerat, plebi linguâ vernaculâ interpretaretur.*

Extat MS. in Lambethanâ aliiſque plurimis Angliæ Bibliothecis, Vernaculum Wiclefi Manuale; cui titulus eſt *Pauper Ruſticus.* Continet autem complures Tractatus pios, & in his Decalogi Expoſitionem; in cujus Epilogo hæc leguntur. *Iſta ſunt Dei Mandata decem; ex quorum normâ omnes tam viros quàm fœminas vitam ſuam dirigere oportet; ſi modò ſalutem conſequi velint. Atque adeò Chriſtus omnibus in æternam*

vitam

vitam intrare volentibus præcipit, [g] *ut iſta mandata obſervent. Eadem etiam Dei mandata cuncti liberos & ſervos ſuos docere debent. Propterea enim Deus generale univerſo ſuo populo præceptum dedit;* [h] *ut ſinguli filiis ſuis annunciarent; quomodo Deus populum ſuum Ægypto eduxerit.* Eritque, *inquit Deus*, quaſi ſignaculum in manibus tuis, & memoriale ante oculos tuos; & lex Domini ſemper erit in ore tuo, &c.

Lib. de Quæſtionibus variis contra Clerum, in illud 1 Cor. III. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, &c.* Anglicè, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, cap. 3. *Evangelium Joannis refert Pontifices & Phariſæos de Chriſto dixiſſe:* Si illum ſinamus; omnes in illum credent; & Romani venient, noſtramque gentem & regionem auferent. *Chriſtum enim veriti ſunt; ne ſi verba ejus in vulgus propalarentur, Romani venirent, & Pontifices ſimul ac Phariſæos malè perderent. Similiter præſules & Phariſæi juncto hodie conſilio dicunt: Occultemus legem Dei; ne Sæculares Proceres veniant, & Baronias noſtras redituſque auferant.* Ab illo die, *dicit Evangelium,* Chriſtum interficere quæſiverunt. *Ita nunc hi majori etiam ſcelere occidunt illos, qui veritatem Evangelii Chriſti docent; atque adeò Chriſtum in populi ſui animabus efficaci fide vivere non ſinunt. Fides enim oritur ſolummodo ex ſcientiâ legis; quam à populo tam nefariè abſcondunt. Atque hoc modo Chriſtum interficere crudelius longè eſt, quàm proprium ipſius corpus interfeciſſe. Exinde enim maximum humano generi evenit bonum, ſalus nempe electorum ad ſalutem. Ex alio autem Chriſtum occidendi modo, ſc. ex occultatione legis divinæ, nulla utilitas provenit. Adverſatur enim Chriſti voluntati, & Diabolo gratiſſimus eſt, & animarum jacturæ cauſa. S. Paulus igitur ait:* [i] Si opertum eſt Evangelium noſtrum; his qui pereunt eſt opertum; in quibus Deus hujus mundi excæcavit mentes infidelium. *Quicunque autem cogitat malitiam, quam Pontifices & Scribæ & Clerici contra Chriſtum in terris poſitum demonſtrârunt; ejuſdem generis malitiam in noſtratibus Epiſcopis & Religioſis renovatam inveniet.*

De Verſione S.Scripturæ à Wiclefo factâ iſta dudum adnotavi [k] *Anglicam totius S.Scripturæ verſionem ex vulgatâ Hieronymi verſione concinnavit, An.1383. prout Codex MS. in Collegio Emanuelis Cantab. aſſervatus in fronte aſcriptum habet. Habetur etenim MS. iſta Verſio in Bibliothecâ dicti Collegii pulcherrimè exarata; uti & in Bibliothecâ Cottonianâ ſub effigie Claudii, E.2. & in Bibliothecâ Regiâ Weſtmonaſterienſi, ut & in Lambethanâ, & Collegii Sionenſis Londinatis. Porrò extat in Bibliothecâ publicâ Academiæ Cantab.*

[g] Matth. XIX. [h] Exod. XIV. [i] 2 Cor. IV. [k] Append. ad Hiſt. Literar. pag. 53.

Verſio Novi Teſtamenti, eodem autore; cui præfigitur prolixa admodum Introductio de autoritate atque uſu S. Scripturæ. His adde exemplar omnium pulcherrimum in Bibliothecâ Norfolcianâ, 2. vol. fol. & bina ejuſdem Verſionis Novi Teſtamenti exemplaria MSS. Introductione tamen deſtituta, reperiri in Bibliothecâ Lambethanâ. Horum alterum Epiſtolam ad Laodicenſes exhibet. Iſtius verſioni præponitur præfatio; in cujus fine hæc nota legitur: *Iſthæc Epiſtola in vulgatis Latinis codicibus non comparet; adeoque nuper admodum in linguam Anglicam converſa eſt.* Hinc patet aut antiquiorem fuiſſe quandam S. Scripturæ Tranſlationem Anglicam, aut duplicem fuiſſe Tranſlationis Wiclevianæ editionem. Suaviter autem illi ſomniant, qui Verſionem à Wiclefo ex Hebræis Græciſque fontibus adornatam fuiſſe arbitrantur. Quiſquis Verſionem inſpexerit, ex vulgatâ Tranſlatione Latinâ factam fuiſſe facilè reperiet. De Wiclefi autem Tranſlatione vide quæ ſupra annotata ſunt ad Annum 1290.

Porrò extat MS. in Bibliothecâ Collegii Emanuelis Cantab. Anglica totius ferè Miſſæ Tranſlatio, unâ cum Decalogo, aliiſque quibuſdam ad pietatem ſpectantibus. Mihi curſim eam perluſtranti Wicleſum Authorem habuiſſe viſa eſt. Certè eâdem conſcripta eſt manu, quâ Verſio totius Scripturæ ibidem aſſervata: Iſta enim Wicleſum Authorem præ ſe ferebat. De hac autem re vide certiora ſupra ad Annum 1290.

Cæterùm, quod Cl. Armachanus habet [k] de Verſione librorum XII. Clementis Lanthonienſis de Concordiâ Evangeliſtarum; ſc. in ejus Præfatione Wicleſum Scripturarum Vernacularum prohibitionem Antichriſtianam eſſe confirmâſſe: aliquando ſum veritus, ne id ab aliis minùs fide dignis acceperit. Extat enim MS. penès amicum quendam iſta Verſio; in qua quidem nil ejuſmodi reperitur. Tandem verò Exemplar ejus MS. in Bibliothecâ Norfolcianâ inveni; in quo poſt Præfationem brevem de Authore Operis & inſtituti ſui ratione atque utilitate, ſuccedit prolixior de Scripturis Vernaculè legendis. Nimium eſſet illam integram deſcribere: pauca tamen dabo.

‘ Sub incunabulis ſanctæ Eccleſiæ prohibitum erat, ne quis linguâ ‘ peregrinâ loqueretur, niſi auditoribus linguâ Vernaculâ oratio ejus ‘ manifeſtaretur. Atque hinc optima conſuetudo in nonnullis Eccleſiis ‘ inolevit; ut poſtquam Evangelium in Eccleſiâ juxta literam prælectum ‘ eſſet, Auditoribus linguâ ſuâ vulgari ſtatim pronunciaretur & explica-

[k] Cap. 5. ad An. 1380.

‘retur.

'retur. Quid nobis itaque noſtris diebus agendum eſt; quùm pauci 'aut nulli, iis quæ legunt, intendant; vel quæ lecta audiunt, intelli-'gant? Nunc igitur impletum videtur, quod olim erat dictum. *Erit 'ſacerdos ſicut unus è populo.* ——Chriſtiani homines multam operam 'S. Scripturæ & præſertim quatuor Evangeliorum in linguâ ſuâ Ver-'naculâ lectioni diu noctuque impendere debent. ——Proh Deus; ſi 'quis Dei timor, quâ fronte impediuntur Laici illiterati; quò minùs 'Evangelium ſciant & cuſtodiant; & de eo in manſuetudine & chari-'tate palàm loquantur, ad eradicanda vitia & plantandas virtutes in 'Chriſtianorum animis? Avari autem Sacerdotes mundiales contra 'objiciunt, Laicos citò errare poſſe; adeóque illis de Chriſtianâ fide 'diſputandum non eſſe. Helas, Helas! quænam iſta crudelitas, inte-'gram regionem aliquam cibo corporeo privare, eò quòd ſtulti non-'nulli illo in gulam, ſuique & aliorum damnum abutantur; quamvis 'alii eundem ſobriè ſumant? Æquè adversùs Scripturam Latinè con-'ſcriptam errare poteſt ſuperbus mundialis Sacerdos, ac ſimplex Laicus 'adversùs Evangelium Anglicè conſcriptum. ——Sine ſcientiâ atque 'obſervatione illius nullus ab inferni pœnis liberari queat. Indocti ita-'que viri illam ediſcere deberent à Deo principaliter, & piè vivendo, '& ſedulum ſtudium impendendo; & ubi obſcurior fuerit, veram 'ejus ſententiam à Clericis doctioribus ſciſcitando. —Quænam iſthæc 'ratio? Siquidem puer Scholæ traditus in lectione ſuâ primo die er-'raverit, idcirco nunquam permittere, ut pueri literas ediſcant? Quis 'unquam iſta ratione doctus evaſerit? Quilibet Chriſtianus in ſuſcipi-'endâ primùm fidei profeſſione, ſeſe S. Scripturæ in diſciplinam tradit; 'idque in ſe recipit, ut illam totâ vitâ pro viribus ſuis diſcat & do-'ceat; aliter inferni pœnas paſſurus, cœli gaudia amiſſurus. Quiſnam 'igitur, quæſo, Antichriſtus, ſi quæ Chriſtanorum cura, illiteratis in-'hibere auſit ediſcere lectionem ſuam, à Deo tam firmiter præſcri-'ptam? Quam quidem quilibet ſectari debet; ut ſalvari poſſit. —Sa-'cerdotes autem mundani clamant, Sacram Scripturam Anglicè per-'lectam, diſſidium Chriſtianæ Reipublicæ inducere, Subditoſque ad 'arma contra Principes cienda incitare; adeóque Laicis permittendam 'non eſſe. Helas! quomodo apertiùs calumniari poſſunt Dei auctori-'tatem & pacem, & ſanctam ejus legem, docentem manſuetudinem, 'patientiam & charitatem? —Sic & mendaces Judæi, nempe Primores 'Sacerdotum, Scribæ & Phariſæi, Chriſtum diſſentionem in populo con-'citâſſe exclamàrunt. Jeſu Chriſte, qui ad confirmandam Legem tu-'am & redimendas Chriſtianorum animas, mortem obiiſti; Anti-

'chriſti

'chriſti & mundialium Sacerdotum blaſphemias repelle; desque ut 'ſanctum tuum Evangelium à ſimplicibus tuis fratribus ſciatur & ob'ſervetur; illoſque adaugeas in fide, ſpe & charitate, in manſuetu'dine & patientiâ; ut pro te ac tuâ lege mortem læti patiantur. 'Amen.

1387. Joannes Treviſa, Sacerdos Cornubienſis.

In Dialogo inter Patronum & Clericum præfixo Verſioni ſuæ Anglicæ Polychronici Ranulphi Higdeni à Caxtono excuſæ *Londini* 1482. de utilitate Tranſlationum, præſertim verò S. Scripturæ, multis agit. Pauca quædam deſcribam. *Sacra quidem Scriptura Latinè etiam tradita* (Græcas Verſiones LXX. Aquilæ, Symmachi, &c. magnoperè ab Eccleſiâ collaudatas eſſe priùs dixerat) *& bona eſt & pulchra. Sermonem tamen S. Scripturæ Latinè recitare hominibus Anglicam ſolummodo linguam & non Latinam intelligentibus inſanum eſſet; cùm auditores nihil proficerent; niſi verò ſenſus Latini ſermonis Anglicè illis exponeretur. Anglicè autem exponi non poteſt niſi per Tranſlationem è Latino in ſermonem Anglicum. Oportet igitur habere Anglicam Tranſlationem. Porrò ut res memoriâ diutiùs conſerventur, & ab oblivione vindicentur; Præſtat iſtam Tranſlationem fieri & literis mandari, quàm ore tenus recitari & non conſcribi. Rex Alfredus magnam Pſalterii partem è Latino Anglicè tranſtulit: & Wyrefrithum Epiſcopum Wigornienſem S. Gregorii Dialogos è Latino in Saxonicum ſermonem convertere effecit: Cednomus etiam Whitbeienſis à Spiritu S. afflatus egregia Poemata Anglicè concinnavit de omnibus ferè S. Scripturæ hiſtoriis. Vir quoque ſanctus Beda S. Joannis Evangelium è Latino in Anglicum tranſtulit. Noſti quinetiam ubi Apocalypſis parietibus & laqueari Capellæ cujuſdam inſcribitur tum Latinè tum Gallicè.* (1) *Evangelium enim & Prophetiæ & recta fides S. Eccleſiæ, illis qui Latinè neſciunt, Anglicè neceſſariò eſt docenda & prædicanda. Evangelium igitur & Prophetiæ & recta fides S. Eccleſiæ illis Anglicè ſunt explicanda. Id autem non fit niſi per Anglicam Tranſlationem. Iſtiuſmodi enim Anglica explicatio, ipſiſſima eſt Tranſlatio: & talis explicatio bona eſt & utilis; ergo Anglica Tranſlatio bona eſt & utilis.*

(1) Extat etiamnum MS in Bibliothecâ Lambethanâ Apocalypſeos Verſio & Expoſitio vetus Gallica, picturis miniatis & deauratis elegantiſſimè exornata.

Treviſæ ætatem Cl. Uſſerius à Caxtono deceptus malè poſuit. [m] Quæ enim ex fine Tranſlationis Polychronici citat, à Caxtono fœdè corrupta ſunt. Namque is Verſionem paſſim emendare & pro lubitu mutare in ſe recepit; quod in Præfatione editionis ſuæ fatetur. Cùm itaque Hiſtoria Polychronici Anno 1357. deſierit; ille Verſionem iſto anno finitam eſſe, aut imprudens credidit, aut forſan etiam ſciens ſubſtituit. Propiùs ad veritatem accedunt bini Codices MSS. ab Uſſerio memorati, alter D. Forſteri, alter Cottonianus; quorum ille notat Verſionem finitam eſſe *die Jovis, Aprilis octavo, Anno* 1387. *decimo Richardi II.* iſte autem *die Jovis, Aprilis decimo octavo, Anno* 1387. *duodecimo Richardi II.* Uterque verò lapſus eſt. Neque enim (in priore calculo,) Aprilis octavus dies Anni 1387. in diem Jovis incidit ſed in diem Lunæ; nec (in poſteriore,) Annus 1387. incidit in duodecimum Richardi II. annum, ſed in viceſimum. Utrique igitur ſcrupulo fœliciter ſatisfacit, & finitæ Verſionis tempus rectè definit Codex MS. qui in inſtructiſſimâ Cl. Teniſoni Bibliothecâ habetur; his verbis. *Iſta Tranſlatio finita eſt die Jovis, decimo octavo Aprilis die, Anno Domini* 1387. *decimo Richardi II. poſt Conqueſtum anno, anno autem triceſimo quinto ætatis Patroni mei Domini Thomæ Baronis de Berkely, qui me Tranſlationem iſtam aggredi fecit.* Craſſiùs adhuc hallucinatur Seldenus (in fine præfat. ad X. Scriptores Angl.) qui Treviſam Higdeni Polychronicon convertiſſe, & ad initia Edwardi I. annum ſc. 1460. continuâſſe dicit. Qui Verſionem enim Polychronici primus edidit Caxtonus, Continuationem ejus ab Anno 1357. ad 1460. non à Treviſâ, ſed à ſemetipſo conſcriptam fuiſſe diſertis verbis affirmat.

1420. Nicolaus de Clamengiis.

De corrupto Eccleſiæ ſtatu, cap. 16. *De literis verò & doctrinâ quid loqui attinet? cùm omnes ferè Presbyteros ſine aliquo captu aut rerum aut vocabulorum moroſe ſyllabatimque vix legere videamus. Quem ergo fructum, quam exauditionem ex ſuis orationibus ſive ſibi ſive aliis impetrabunt; quibus barbarum eſt quod orant?*

[m] Cap. 5. ad An. 1360.

1420. Simeon,

1420. Simeon, Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.

Sub medium præcedentis ſæculi Barlaamus nova dogmata commentus, maximas inter Græcos turbas excitavit. Errores ejus ſigillatim [n] explicat & refutat Simeon Theſſalonicenſis, in Opere pererudito *de fide, ritibus & myſteriis Eccleſiaſticis*; quod multùm diuque deſideratum, integrum demum prodiit Græcè excuſum *Jaſſii in Moldaviâ* 1683. fol. Inter alios errores, Barlaamus circa preces Eccleſiaſticas inſigniter deliravit. Nam τὴν νοερὰν προσευχὴν ἀπηγόρευε. *Orationem intellectualem, ſeu à precantibus intellectam improbavit.* Illum igitur his verbis Simeon oppugnat: Οὗτος ὁ δύστηνος Βαρλαὰμ καὶ πλεῖστα κατὰ τῆς ἱερᾶς προσευχῆς ἐβλασφήμησέ τε καὶ συνεγράψατο, &c. *Sceleratus iſte Barlaam multa etiam adverſus ſanctam orationem divinamque gratiam & cognitionem blaſphemè effutivit & conſcripſit; non intelligens illud Apoſtoli;* Indeſinenter orate, *neque quidem præ mentis tumore & ſuperbiâ intelligere valens. Quin nec illud intellexit:* Orabo ſpiritu, orabo & mente. *Neque iſtud,* Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. *Et quòd* Emiſit Deus Spiritum Filii ſui, *gratiam videlicet,* in corda noſtra, clamantem, Abba Pater. *Et,* In Eccleſiâ malim quinque verba ex intelligentiâ meâ loqui, quam decem millia verborum linguâ. Hactenus Simeon: qui quidem iſtum Barlaami errorem dilucidè nequaquam explicat. Verùm ex Refutatione conſtat Barlaamum preces lingua à precantibus non intellectâ admitti voluiſſe, Simeonem improbâſſe. Videtur Barlaamus errore Myſticis Theologiæ Naturalis Doctoribus familiari, Orationum efficaciam non in orantis devotione ſed in myſticâ verborum intelligentiâ poſuiſſe; adeoque preces efficaciſſimis, quamvis ignotis nullumque ſenſum præbentibus, vocibus concipiendas eſſe docuiſſe. Sic olim docuerant, ab Illuſtriſſimo Armachano [o] ſupra memorati, Philoſophi & Hæretici; qui Theologiæ Myſticæ ſtudium præ aliis coluerunt. Barlaamum autem Simeon eo nomine fusè inſequitur; quòd futilibus Græcorum Philoſophorum ineptiis & ſubtilitatibus perditè deditus fuerit; omnemque Theologiam in profundâ rerum naturalium & Aſtrologiæ cognitione ſitam eſſe contenderit. Dogma iſtud Barlaamo & priſcis Hæreticis commune ſuſcipere & tueri Pontificii non erubeſcunt; qui quoties precum populo ignotarum futilitas objicitur; vocum Latinarum, Græcarum, vel Hebraicarum, præ aliis efficaciam allegant.

[n] Cap. 31. pag. 51. [o] Cap. 9.

Mitto

Mitto recentiores cauſæ Pontificiæ Advocatos. Vetus is prætextus. Sic enim *Gloſſa* MS. in S. Pauli Epiſtolas, in Bibliothecâ Lambethanâ, ante ducentos ſaltem annos conſcripta, ad illud 1 Cor. XIV. Quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem; cùm quid dicis neſcit?] *Quomodo igitur, dicis ſecundùm Apoſtolum, cùm myſterium Miſſæ celebras, vel Sermonem facis, vel Sermonem populo dicis; quomodo reſpondebit verbum confirmatorium, cùm non intelligat? Huic objectioni reſpondet Adimantius; non parum utilitatis animæ confertur; cùm lectio licèt obſerata Dei ſermonis ad aures noſtras illabitur. Si enim per Gentilium Carmina ſopiuntur ſerpentes; multò magis per virtutem Dei ſermonis Dæmones expelluntur:* Origenis locus à nobis ſupra adductus eſt, cap. 2. ad An. 240. Eundem pro ſuâ causâ allegat Bellarminus [o]; qui cum Anonymo Gloſſæ Authore conſentiens, Adimantii verba de lectione S. Scripturæ ne minimùm quidem intellectâ dici vult. Fraude manifeſtâ. Neque enim aliud Origenes docet, quàm Scripturæ lectionem multùm prodeſſe; quamvis omnia illius loca & ſententiæ à legentibus plenè non intelligantur. Hinc illum maximè deprædicat, qui verum Scripturæ ſenſum accuratè novit. Quùm tamen is rarò inveniatur; non ſtatim rejiciendam eſſe lectionem dicit illis, quibus ad difficiliores Scripturæ ſententias hæret aqua.

Preces Græcorum publicas Simeonis ætate à populo intellectas fuiſſe patet ex innumeris, quæ à populo faciendæ erant, Reſponſionibus, quæque unà cum ſacerdote recitandæ, Orationibus atque Hymnis. Pauca hujuſce rei teſtimonia deſcribam. In Synaxi igitur Symbolum Apoſtolorum παρὰ πάντων ἀνομολογηθῆναι, *ab omnibus recitatum* fuiſſe dicit [p]. Dein [q] *Oratio pro omnibus tam vivis quàm defunctis, communi fit voce & ſupplicatione; Sacerdote quidem præeunte, omnibus autem unà orantibus* (κοινὴ δὲ εὐχή τε καὶ δέησις γίνεται, τοῦ ἱερέως ἀρχομένου, πάντων δὲ συνευχομένων) *Pro religioſis Imperatoribus, pro Orthodoxis Epiſcopis, &c.* Mox [r] *Omnes ſimul Triſagium & Orationem Dominicam cantant.* (οἱ μὲν πάντες ᾄδουσι.) Iſte etiam [s] Hymnus, *Gloria tibi in excelſis, &c. junctâ ab omnibus voce decantatur* (παρὰ πάντων ᾀδομένη ὁμοῦ) Iterum [t] *populus recitat orationem iſtam.* Domine, Miſerere, &c. (ὁ δέ γε λαὸς τὴν δέησιν ἐπιφέρει.) Denique [u] *Sacerdos ſurgens unà cum plebe* (μετὰ τοῦ λαοῦ) *gratias agens dicit: Tuum eſt enim miſerèri & ſalvare, &c.* Et in ritibus nuptiarum celebrandis [x] *Omnes ſimul* (πάντες ὁμοῦ) *Orationem Dominicam recitant.*

[o] De Verbo Dei lib. 2. cap. 16. [p] Cap. 98. pag. 111. [q] Cap. 308. pag. 117. [r] Cap. 309. [s] Cap. 313. [t] Cap. 321. [u] Cap 322. [x] Cap. 281.

Iſtam enim [y], aliaſque Eccleſiæ Orationes ac Hymnos *quilibet Orthodoxus Chriſtianus ſine omni exc[illegible]atione tenetur ſcire.* Χρὴ εἰδέναι, δίχα περιστάσεως πάσης, τὸ ἱερῶς φερόμενα πάντα Χριστιανόν. Lectiones autem in Synaxi recitatæ ad plebis inſtructionem unicè ſpectabant. [z] *Ideò enim divini ſermones prælegantur; ne brutorum ad inſtar ventris ſolius curam agamus* (ἀλλ' ὡς λογικοὶ μετὰ σαρκὸς, τὴν μὲν σάρκα στηρίζομεν τοῖς ἐσθιομένοις, τὴν ψυχὴν δὲ τοῖς λεγομένοις) *ſed, utpote qui animâ pariter ac corpore conſtamus, corpus quidem eduliis, animam autem lectionibus confirmemus. Dein ſurgentes, factâ oratione,* (δοξολογοῦμεν ἅπαντες) *omnes ſimul Doxologiam recitamus, &c.*

[a] Populus igitur Simeonis ætate ſacras Liturgiæ preces probè intellexit; utque intelligeret quidem, Simeon neceſſarium duxit. Hinc deferveſcentem populi ſui Theſſalonicenſis in orando ſervorem deflet; acriterque illis increpat, qui neque rei neceſſitate nec repetitis Sacerdotis adhortationibus moti, Reſponſiones in cœtu Eccleſiaſtico aut inſuper haberent, aut oſcitanter darent. Sic enim populum affatur [a]. Τοῦ Ἀρχιερέως τὸ Εἰρήνη πᾶσι, λεγομένου, &c. *Epiſcopo*, Pax vobis omnibus, *dicente; & Diacono antea*, Attendamus, *clamante; nullus ad hoc mentem adhibet neque audire cupit; neque reſpondet,* [*Et cum Spiritu tuo*] Et alibi, *Eccleſia*, inquit [b], *fideles ſæpe inter ſacra conſultò admonet, ut attenti ſint.* [*Dicamus omnes,*] *inquit* (hanc vel illam orationem ſive hymnum) Εἴπωμεν πάντες, φησὶν, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας εἴπωμεν) *& ex toto corde noſtro dicamus.*] *Illud enim* [*Dicamus omnes*] *& quæ ſequuntur, nobis excitandis & docendis inſerviunt; ſicut & illud* [*Sapientia*] *&* [*Attendamus*, Πρόσχωμεν] *& iſtud* [*Sapientiâ recti* Σοφία ὀρθοί] *quaſi diceretur, In intelligentiâ erecti ſtate omnes.* Nunc verò, Proh dolor, *Fratres* (οὐ νοοῦμεν, οὐδὲ τῶν λεγομένων αἰσθανόμεθα, &c.) *non intelligimus, neque quæ in Eccleſiâ dicta ſunt perſentimus, ſed ex conſuetudine labiis ſolummodò loquimur, de devotione cordis adhibendâ minus ſolliciti, &c. Aliquando neque reſpondemus quidem* [*Miſerere*] *neque ad Reſponſionis ſenſum attendimus.* Pluribus argumentum iſtud tractat cap. 231, 232.

1430. Gualterus Hilton, Carthuſianus Anglus.

Myſticorum Theologorum ineptiis minimè favere ſoleo. Quùm verò tot ex omni literatorum genere teſtes adhibuerimus; nollem ſanè

[y] Cap. 3[illegible]. [z] Cap. 358. [a] Cap. 231. [b] Cap. 322. 226, 227.

Myſticos ſeſe ultro ingerentes repellere. Hujuſce commatis Theologis præire ſolent Carthuſiani; & inter Carthuſianos enituit Gualterus Hilton; quo non alius ſublimiùs deliravit. Quod tamen in laudem ejus haud parum cedit; celeberrimum illud Opus *de imitatione Chriſti* non minùs æquo jure ſibi forſan vendicare queat, quàm Thomas Kempenſis, aut quivis alius. Extant enim in Bibliothecâ Lambethanâ bini Codices MSS. & alibi plures; qui tres priores Operis iſtius libros complectuntur, titulo *Muſicæ Eccleſiaſticæ.* Codicum alter Hiltoni nomen præ ſe fert; illumque ejuſmodi Opus conſcripſiſſe Baleus confirmat. Scripſit idem *Scalam Perfectionis*, ſeu de Vitâ Contemplativâ libros duos, ſermone Anglico, ad Mulierem quandam Deo devotam. Aſſervatur Opus MS. in Bibliothecâ Lambethanâ. In eo multa agit Hiltonus de unione animæ cum Deo, de igne amoris divini, & de lumine cœlitus dato, aliiſque Myſticorum Scriptorum Locis Communibus. Ponit autem omnibus Electis, licèt indoctiſſimis, poſſibile eſſe hunc perfectionis ſtatum aſſequi: à nullo autem obtineri poſſe ſine diligenti Scripturarum ſtudio & lectione: adeóque Chriſtum ſingulis animabus (quamvis literarum penitus ignaris) ſeipſum ſincerè amantibus Scripturarum intelligentiam cœlitus dare; quin & potiſſimam contemplationis & conſolationis ejus, quam in perfectis Aſcetis haberi jactitat, partem ex Scripturarum lectione & meditatione exoriri. Nimium eſſet omnia, quæ huc faciunt, deſcribere. Unicum tamen locum dabo ex lib. 2. cap. 43. *Qualis ſit Jeſus in eſſentiâ ſuâ, nulla, dum in terris manet, anima pervidere poteſt: per effectus tamen operationum ejus, gratiæ lumine adjuta videre poteſt. Verbi gratiâ. Poteſtas ejus in creando omnes ex nihilo creaturas patet: Sapientia ejus in ordinatâ earundem diſpoſitione; bonitas ejus in ſalute illis datâ; miſericordia ejus in remiſſione peccatorum; ſanctitas ejus in gratiæ donis; juſtitia ejus in ſeverâ peccati punitione; veritas ejus in certâ bonorum operum remuneratione. Atque iſthæc omnia in Sacrâ Scripturâ declarantur; eaque & omnia huc ſpectantia anima in S. Scripturâ clarè videt. Iſtud itaque pro certo habeas, deſiderabiles ejuſmodi notitias in Sacrâ Scripturâ aut aliâ quâvis per gratiam conditâ, verè eſſe dulciſſimas Epiſtolas ſive nuncios inter animam amantem & Jeſum amatum: ſeu, ut veriùs dicam, inter Jeſum verum Amatorem & animas ab illo amatas. Summo etenim amore proſequitur omnes Electos ſuos, vitæ corporeæ cœno hìc incarceratos: & quamvis abſens ſit illis, in ſinu Patris ſupra occultatus, beatiſſimæ Deitatis deliciis cumulatus; illorum tamen reminiſcitur; & per deſideratiſſimam ſpiritualem ſui præſentiam frequentiſſimè inviſit; miſſis S. Scripturæ literis conſolatur;*

ſolatur; anxietatem & dolorem, ſuſpiciones & timores ex animis eorundem depellit; gaudiumque & fiduciam donans, illos omnibus ſuis promiſſis fideliter inniti & voluntatis ſuæ completionem patienter expectare facit. Ita enim S. Paulus, Rom. XV. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. *Atque hoc aliud eſt Contemplationis opus, Jeſum ſc. in Scripturis ſecundùm ſpiritualis oculi manifeſtationem contemplari, &c.*

1440. Marcus Eugenicus, Archiepiſcopus Epheſinus.

Paria Simeoni docet, alterum Eccleſiæ Græcæ iſthoc ſæculo ornamentum, & invictiſſimus in Concilio Florentino Pugil, Marcus Epheſinus; cujus Expoſitio τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας ad calcem Simeonis Operum evulgata eſt. Nimium eſſet innumeras fere, quas à populo inter ſacra faciendas eſſe docet, Reſponſiones recenſere; ſingulaque quæ ad noſtram cauſam ſpectant, loca deſcribere. Quæ de Pſalmorum autem lectione habet, notatu non indigna ſunt. [c] *Poſt decantatum Alleluia, Pſalterii portionem quandam prælegimus; iſti etiam Doxologias, & Troparia, quæ καθίσματα dicuntur, frequenter interjicientes. Si rationem iſtiuſmodi Pſalmorum lectionis quæras; non alia erit* (2) *præter ſummam illorum utilitatem & divinæ voluptatis quam præbent ubertatem; quòdque omnino oporteat, integrum Davidis Pſalterium ſingulis ſeptimanis percurri, ſemel aut etiam bis perlectum.*

1450. Reginaldus Peacock, Epiſcopus Ciceſtrenſis.

Cl. Uſſerius nos plura de iſthoc ſcituros ad Stoum, Chronici de Rebus Angliæ Vernaculi Authorem, remittit. Et refert quidem Stous [d] Peacocum in vertendis Anglicè S. Scripturæ libris multis annis inſudàſſe; eoque inter alia nomine ab invidis Epiſcopis damnatum eſſe. Mihi tamen res parùm comperta, immò error manifeſtus, videtur. Neque enim Peacocus, cui in omnibus ſui ſcriptis, ſingulos quos ediderat, quoſque edendos meditabatur, libros recenſere ſolenne eſt, ejuſmodi Verſionem ullibi memoravit; nec in ipſis quidem *de Fide* libris, quos paulò ante

[c] Cap. 2. p. 384. [d] Pag. 402.

(2) Τὸ πολυωφελὲς αὐτῶν καὶ ἡδονῆς θείας ἀνάπλεων, καὶ τὸ δεῖν πάντως ἀνάγκης εἶναι πληροῦσθαι κατὰ τὴν ἑβδομάδα τὸ ἱερὸν τοῦ Δαβὶδ ψαλτήριον, ἅπαξ ἢ καὶ δὶς ἀναγινωσκόμενον.

obitum.

obitum conſcripſit, & in quibus amplum Scriptorum ſuorum indiculum exhibuit. Nec id etiam in Articulis Peacoco objectis, qui hodienum extant [e], comparet; cùm tamen credi nequeat, ſi Scripturam Anglicè tranſtulerit, adverſarios miſſum facere voluiſſe iſtiuſmodi crimen, quod à Concilio Oxonienſi ſub initium hujuſce Sæculi damnatum fuerat. Utut verò Peacocus Scripturæ verſionem nequaquam concinnavit (quæ poſt tot Verſiones jamdiu evulgatas inutilis fuiſſet) vertendam tamen cenſuit; ejuſque lectionem omnibus ex æquo Chriſtianis patere docuit.

De Fide lib. 2. (quem *Londini* Anno 1688. imprimendum curavi) cap. 2. pag. 14, 15. *Scriptura tamen data & relicta à Deo, & Apoſtolis, & Apoſtolorum diſcipulis fidem Chriſtianam ſatis ſuperque fundare poteſt in omni Clerico & Laico, qui quod in Novo Teſtamento legit; intelligere queat, quamvis eandem fidem à Generali Concilio aut collectà Clericorum multitudine non ediſcat, &c. Sique ſcire velis, quamnam Scripturam intelligam; certè eſt Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti, &c. Præcipitur Deuteronomii capite undecimo; ut patresfamiliæ totuſque populus Dei leges & beneficia Scripturæ conſignata habeant. Illic enim mandatur, ut leges iſtas & beneficia ante oculos aſſiduè habeant. Plura de hoc argumento videre potes in libro de Doctrinà in linguà vernaculà, &c. Non igitur neceſſarium erat, ut ad diverſas regiones diverſas Scripturas iſto ſenſu darent* (nempe ut ſinguli Apoſtoli totidem Evangelia conſcriberent eo ſc. animo, ut) *ut res diverſas traderent: quamvis fieri bene potuit ut una eademque res diverſis linguis ſcriberetur, aut in diverſas ſcripta transferretur.*

Cap. 4. pag. 30. *Certè enim fieri poteſt, ut ſimplex aliquis homo, ſiquidem famam & vulgi opinionem ſpectes, verum ſenſum cujuſdam Scripturæ loci, aut veritatem cujuſdam articuli rectiùs intelligere, judicare & definire queat, ob diuturnum ſc. Scripturæ ſtudium & meditationem; quàm illuſtre quoddam Generale Concilium.*

In *Repreſſore nimiæ Cleri reprehenſionis*, Anglicè, MS. in Bibliothecà publicà Academiæ Cantabrigienſis. Par. 1. cap. 16. *Lex igitur divina prohibet, ne quilibet Chriſtianus credat aut arbitretur id ſalubre eſſe inſtitutum, fidem & opinionem ſuam clam tenere, neque in examen quodcunque deduci permittere. Certè ſi quis nolit permittere fidem & opiniones ſuas in lucem produci, & argumentorum igne tentari; falſas hic merces & adulterinum aurum jactitare meritò exiſtimandus eſt. Et ejuſmodi qui-*

[e] Apud Foxi Hiſt. Eccl. Lat. *Baſil.* 1563. par. 1. pag. 129. & in Regiſtro Caroli Booth, Epiſcopi Herefordenſis, MS.

dam

dem inſtitutum rationi adverſari hinc evidenter patet. Simile eſt enim legi Mahometis & Saracenorum in eo articulo; in quo præſertim lex illorum rationi repugnat. Lex etenim Mahometica ſub gravi acerrimarum pœnarum comminatione vetat; ne quis poſt admiſſam ſemel ejuſce legis credulitatem, diſputare aut argumentari cum ullo alio de quâvis illius legis concluſione aut articulo audeat. Ob hoc impium & execrabile præceptum, hujus ſectæ populus ita vinculis obſtrictus tenetur; ut multò plures ad fidem veram converti poſſent, ſi tam inſana lex non obſtitiſſet. Et ſi Chriſtiani ſe vinculis ullis conſtringunt: quò minus de quovis fidei Chriſtianæ articulo liberè cum aliis diſputare & argumentari queant; uti de quibuſdam narratum audivi; certè illi maximum legi Chriſtianæ tam naturæ quàm fidei opprobrium faciunt: quaſi verò Chriſtiana lex tam infirma eſſet, ſpuria, & erronea; ut grave examen nequaquam ferre poſſet. Contra Innocentius IV. Papa in Epiſt. 11. [a] *Firmiter inhibemus, ne cuiquam perſonæ Laicæ liceat publicè vel privatim de fide Catholicâ diſputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.*

Part 2. cap. 5. Abuſum rei non tollere uſum ejus licitum diſputans, adeoque nec imagines Eccleſiis eliminandas ob frequentes ex illis oriundos abuſus; hæc habet. *Sic autem res ſe habet, ut mala quæ ab imaginibus in Eccleſiis poſitis & retentis proveniunt, non ſint majora malis, quæ ex licitis artificiis & mercaturâ per accidens oriuntur; nec majora malis, quæ exinde eveniunt, quòd Laici ſacram Scripturam linguâ vernaculâ uſurpent; nec majora malis, quæ exinde naſcuntur, quòd ſacerdotes ſint & concionatores. Quapropter argumentum iſtud imaginum uſum neceſſariò abolendum eſſe non evincit; niſi etiam pariter evinceret illicitum eſſe uſum omnium artificiorum, & uſum ſacræ Scripturæ inter Laicos; immò etiam niſi evinceret Sacerdotes & Prædicatores in Eccleſiâ eſſe non debere.*

Part. 2. cap. 20. Poſtquam imaginum uſum aſſeruiſſet; monet omnes, ne iſtiuſmodi ſignis viſibilibus nimis inhæreant; quin potiùs ut omnes qui legere queant, ad unicum ſacræ Scripturæ ſtudium ſe conferant; quique legere non poſſint, alios legentes aut exponentes audiant. Hujus enim ſtudium omnibus externis Cæremoniis & ſubſidiis humano ingenio excogitatis longè præſtare; id ſolum veram ſcientiam & ſalutarem conſolationem gignere. Rem pluribus perſequitur. Locum itaque prolixiorem deſcribere inſuper habui.

In *Pauperis Speculo*, MS. Anglicè (Codicem ab opifice quodam Nor-

[a] Concil Tom. 11. pag. 617.

vicenſi

vicenſi redemptum in Cl. Teniſoni Bibliothecam conſignavi) indoctæ plebi rudimenta fidei enucleare & præcepta vitæ infimæ etiam Chriſtianorum ſorti convenientia tradere in ſe recipit. Cap. 7. diſcipulum ita inſtruit. *Gratias Deo agere debemus ob inſtitutum ſuum ſapientiſſimum; quo voluit, ut ſacra Scriptura tam Veteris quàm Novi Teſtamenti nos inſtruat & memoriam confirmet, & ſanctiſſimam noſtram fidem nobis perfectiſſimè & devotiſſimè ſuppeditet.*

Ad finem hujus *Speculi* adjiciuntur *Conſilia* quædam *ad inſtructionem humanam*, ex Sanctorum Patrum, præſertim verò Iſidori, ſcriptis congeſta: Paulò ante med. iſtud *Conſilium* legitur. *Plurimam ad legendum operam dato. Vide ut Scripturæ meditationi inſiſtas. In lege Dei aſſiduus eſto. Frequens cum divinis codicibus commercium habeto; legens diligenter quæ tibi ſint agenda & tenenda. Lectio oſtendit quid timere debeas. Lectio monſtrat quò vadis. Lecti ne ſcientia & intellectus augentur. Multùm legendo proficies; ſi juxta ea, quæ legis, ſacias.*

1470. Speculi B. Virginis Interpres Anglicanus.

Integrum B. Virginis *Officium*, quod à S. Brigittâ concinnatum, Monialibus ſui Ordinis in uſu publico fuit; Anglicè ab Anonymo quodam converſum, *Londini* prodiit ante Annum 1500. fol. ex Caxtoni, ut videtur, prælo editum. Verſionem ſuam Interpres nuncupavit Monialibus Sionenſibus; quas in priore Prologo ſic affatur. *Quandoquidem multæ è vobis, quamvis publica B. Virginis Officia cantare & in choro legere queatis; ſenſum tamen eorum minùs intelligatis; idcirco ad unicam Domini noſtri Jeſu Chriſti & Matris ejus clementiſſimæ gloriam, veſtrûmque omnium ſpiritualem conſolationem & utilitatem, Legendam veſtram totumque Officium in Anglicam linguam converti; ut ex intellectu ejus percipiatis, quàm pulchra ſanctaque glorioſæ Virginis præconizatio inibi contineatur; & majori cum devotione & intellectu id cantetis, legatis, & ad cultum ejus recitetis.* Succedit Tractatus *de Officio Divino*, & alter *de Lectione*: in cujus fine ſacras Virgines conſilio monet; ut *Officium* ſuum in Conventu vernaculâ linguâ legant; primam duntaxat ſingularum Lectionum, Hymnorum, vel Orationum vocem aut ſententiam Latinè recitantes; ac demum ſubdit. *Quoniam autem ſub anathematis pœnâ prohibetur* [ſc. in Concilio Oxonienſi, Anno 1407] *ne quis aliquem S. Scripturæ textum Anglicè transferat, ſine Epiſcopi Diœceſani permiſſione; in multis autem veſtri Officii locis S. Scripturæ textus reperiantur; idcirco ab Epiſcopi rogavi & impetravi licentiam iſtiuſmodi locorum Anglicè convertendorum ad*

ſpiri-

ſpiritualem veſtram conſolationem & utilitatem. Cæterum Operi ſuo Interpres titulum dedit: *Speculum B. Virginis.*

1480. Gabriel Biel

De Canone Miſſæ, lect. 62. *Rationabiliter ſtatuit Eccleſia, ut Miniſtri Eccleſiæ orationes etiam altâ voce pronuncient; ut ad notitiam omnium poterint pervenire, &c. Nam cantus in laudem Dei factus cum intellectu & advertentiâ eorum quæ cantantur, animos cantantium exhilarat ſimul & audientium, &c. Magis verborum laudis divinæ intelligentiam tollunt; dum propter nimiam artificioſam vocum fractionem, non verba, ſed tantùm cantantium ſonus percipitur. Quod utique reprehenſione dignum non dubitatur, &c. Et licet ſufficit oratio mentalis quoad Deum; utilis tamen eſt vocalis propter plures cauſas, &c. Secunda [cauſa] eſt mentis illuminatio. Verbis enim inſtruitur intellectus ad diſcernendum petenda; propter quod Dominus Apoſtolis quemadmodum orarent doceri petentibus orationem vocalem tradidit; quam cùm proferrent vocaliter, intellectus ad ea quæ petenda ſunt a Deo, illuminaretur. Tertia eſt, facilior recordatio rerum tempore orandi, &c. Oratio non ſolùm voce fieri debet. Probatur; quia oratio vocalis ordinatur ad mentalem; non è converſo. Unde Iſidorus.* Oratio cordis eſt, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus attendit ſolùm, ſed orantis cor aſpicit. *Unde melius eſt cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis ſine intuitu mentis, &c. Nichil eſt ſolâ voce canere ſine cordis intentione. Sed ſicut ait Apoſtolus:* Cantantes in cordibus veſtris; *hoc eſt, non ſolùm voce ſed & corde pſallentes. Item ſicut ſupra patet: Oratio eſt aſcenſus in Deum; ille autem fieri non poteſt per voces, niſi conjunctæ ſint menti.*

1485. Laurentius Gulielmus de Savonâ, S. T. D. Ordinis Minorum,

Scripſit Librum, cui titulus, *Triumphus Amoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti.* Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, cum Epiſtolâ Præfatoriâ valdè prolixâ, ad Wilhelmum de Waynflete, Epiſcopum Wintonienſem, Londini in Conventu Minorum Anno 1485. ſcriptâ. Inibi iſthæc habentur. *Quotieſcunque à verâ ſemitâ propter imbecillitatem noſtram, carniſque blanditias, dæmonum inſuper jugiter nos impugnantium aſtutias, declinaſſe contigerit; per ſacrarum literarum præclara documenta ad rectitudinem veræ viæ reducimur. Quippe quoniam Sacra Scriptura ſit*

ſpeculum

ſpeculum lucidiſſimum, ſinceræque & integerrimæ veritatis oſtenſivum; quo Deum vivum & verum noſque metipſos luculentiſſimè contemplemur & cognoſcamus; quantùm ad veram ſalutem conſequendam opportunum eſſe videtur: modò lippis oculis aut animo malignanti ad hoc Speculum divino munere præparatum non accedatur. Quoniam ſcriptum ſit: In malevolam animam non introibit ſapientia; neque habitabit in corde ſubdito peccatis. *Hæc eſt igitur Paradiſus deliciarum.*

1510. Thomas Cajetanus, Cardinalis Romanus.

In 1 Cor. XIV. *Et affert hæc* [Apoſtolus] *ut intelligamus, quòd eſſe barbarum eſt eſſe relativum, & nullum hominem eſſe abſolutè barbarum: quoniam in omni genere ſunt homines communicantes in idiomate: ac per hoc inter ſe nullus eſt barbarus. Hinc enim properat ad deducendum inconveniens, dicendo* [Si ergo neſciero, ero cui loquar] *hoc eſt, loquenti.* [barbarus] *ego audiens & non intelligens ſignificatum vocis, ero barbarus loquenti; & è converſo, &c. Benedicere ſpiritu, eſt laudare Deum linguâ alienâ ex dono ſpiritûs.* [Quis ſupplet locum idiotæ?] *Idiota Græca dictio eſt & illiteratum ſignificat, &c. Ex hâc Pauli doctrinâ habetur; quòd melius ad ædificationem Eccleſiæ eſt orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici linguâ communi Clericis & Populo, quam dici Latinè.*

Volo quinque verba in ſenſu meo loqui, &c.] *Unde diſcere debemus eligibilius eſſe, ut in Eccleſiâ dicantur divina* [*horæ ſcilicet Canonicæ & Miſſæ*] *intelligibiliter ſine melodiâ muſicâ; quàm ſic, ut non intelligi poſſint.*

Comment. in Aquinat. 2. 2. qu. 83. Art. 12. *Propter quod dicentes privatas miſſas ita ſubmiſsè de induſtriâ, ut intelligi ab Auditoribus nequeant, à ratione devii videntur & inexcuſabiles; niſi fortè per accidens, coram aliis non celebrent.*

Quodlibet. 7. qu. 6. art. 14. *Sacra Scriptura ad hoc divinitus eſt ordinata; ut per eam nobis veritas manifeſtetur neceſſaria ad ſalutem.*

1520. Joannes, Epiſcopus Chemnicenſis.

Onus Eccleſiæ, cap. 23. *Concitato & prærupto oris motu Clerici orantes feruntur cum confusâ labiorum feſtinatione & titubatione; ac magis murmurare quàm orare videntur; ut nec ipſi quid orant, intelligant; nec aſtantes audiant: ac proinde Deus eos non exaudiat.*

1520. Polydorus Virgilius.

Lib. 6. cap. 2. *Sed hodie longè minus è republicâ noſtrâ eſſe videtur* [Cantorum ordo] *quando Cantores noſtri ita in templis conſtrepunt, ut nihil præter vocem audiatur; & qui interſunt (interſunt autem quotquot civitas capit) ejuſmodi clamorum concentu, quo eorum aures maximè calent, contenti, de vi verborum minimè curant. Unde eò ventum eſt; ut apud vulgus omnis divini cultûs ratio in iſtis Cantoribus ſita eſſe videatur, &c. Quare dubio procul ex religionis uſu foret, aut ejuſmodi graculos è templis ejicere, vel omnino ita eos inſtituere, ut canentes more potiùs legentium quàm inſtrepentium hymnos recitarent: quod Divum Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum olim in Diœceſi ſuâ feciſſe Auguſtinus atteſtatur* [b] *atque magnopere laudat.*

[b] Confeſſ. lib. 10.

CAPUT

CAPUT VI.

PErſecutionis à Pontificiis in Angliâ ſæculo poſtremo adversùs S. Scripturam commotæ hiſtoriam Reverendiſſimus Armachanus diligentiſſimè contexuit. Unicum ego ejuſdem inſaniæ Papalis addam teſtimonium; quod Illuſtriſſimi Primatis notitiam ſugit. Extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ (&, ni fallor, à Cl. Spelmanno editum eſt Tomo Conciliorum Anglicorum ſecundo) *Inſtrumentum ſuper Decreto & ordinatione Domini Henrici VIII. Regis Angliæ quoad reprobationem & condemnationem Novi Teſtamenti, ac aliorum librorum in vulgari linguâ impreſſorum, hæreticam pravitatem ac damnatam Lutherianam hæreſin continentium.* Anglicè. Ipſum eſt (quod vocant) Originale Inſtrumentum, à Gulielmo Warhamo, Archiepiſcopo Cantuarienſi confectum, & Notariorum publicorum ſubſcriptionibus confirmatum Anno 1530. In Præfatione Archiepiſcopus Henrici Regis conſilium explicat, Regem nimirum indies ſerpenti hæresîs veneno obicem ponendi animo, plures Præſules, Doctores, & Theologos ab utrâvis Academiâ delegatos coegiſſe; ut Libros quoſdam vernaculos nuper in Angliam invectos examinent & cenſurâ notent. Illos poſt maturum examen infinitos ferè errores, hæreſes & blaſphemias adinveniſſe & excerptos exhibuiſſe. Dein ſequuntur iſta excerpta; ex quibus quatuor ſolummodò ſelegi, quæ hîc loci repræſentarem.

Errores & Hæreſes contentæ in libro, cui titulus eſt, Summa Scripturæ.

Num. 4. *Suſceptores & Suſceptrices tenentur, quantùm poſſunt, curare, ut infantes (pro quibus in Baptiſmo ſpoponderunt) ad ſcholam mittantur; ut Evangelium & Epiſtolas D. Pauli intelligant.*

Num. 5. *Omnes ex æquo tenemur ſcire Evangelium & Epiſtolas D. Pauli.*

Num. 66. *Homines curare debent; ut liberi ſui Eccleſias adeant conciones audiendi gratiâ.*

Num. 83. *Evangelium omnibus perſonis & hominum ordinibus, Magnatibus, Principibus, Pontifici & Imperatori, ſcribitur.*

Poſt errores ſigillatim notatos ſuccedit Interdictum Regis: quod ſic incipit: *Quos quidem omnes enormes errores & peſtiferas hæreſes; quùm*

contagioſæ ſint & damnabiles, unà cum omnibus libris illas continentibus, cum Tranſlatione etiam Scripturæ à Gulielmo Tindallo corruptæ (1) *tam Veteris quàm Novi Teſtamenti, & omnes alios libros linguâ vernaculâ iſtiuſmodi errores continentes; Regia Majeſtas ex conſilio & aſſenſu Antiſtitum, Doctorum, & utriuſque Academiæ, determinat penitus repellendos, rejiciendos, & ſubditorum omnium manibus excutiendos eſſe.* Quo faciliùs autem Decretum Regium populo innoteſcat; Monitorii cujuſdam formula præſcribitur, plebi à ſingulis Sacerdotibus è ſuggeſto legenda. In eâ quiſque libros prædictos & in his Anglicam Novi Teſtamenti Verſionem, Curatis ſuis tradere ſub gravi pœnâ jubetur. Neve quis Scripturæ lectionem ſibi interdictam queratur; narratur Regem habito Epiſcoporum, virorumque doctorum conventu, in medium conſuluiſſe, An S. Scripturæ lectionem vernaculam populo permittere expediret? Poſt gravem autem & ſolennem diſceptationem concordi ſuffragio definitum eſſe: *Quòd editio Sacræ Scripturæ linguâ vernaculâ Chriſtianis non ſit neceſſaria: quódque Regia Majeſtas & Epiſcopi vulgarem S. Scripturæ linguâ Anglicâ evulgatæ uſum populo interdicentes, rectè facerent.*

Parile edictum paulò ante ediderant Ferdinandus & Iſabella Hiſpaniæ Reges. Id Alfonſus à Caſtro laudare neutiquam veretur. *Quapropter laudandum*, inquit [a], *meritò venit Edictum Illuſtriſſimorum Catholicorumque Hiſpaniæ Regum, Ferdinandi videlicet ejuſque conjugis Heliſabetæ; quo ſub graviſſimis pœnis prohibuerunt, ne quis ſacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab alio tranſlatas quoquam pacto retineret. Timuerunt namque prudenter plebi ſuæ, quam regendam ſuſceperant; ne ulla occaſio illi daretur errandi: nec tamen gratis & ſine causâ timuerunt: quoniam longâ experientiâ compertum fuerat plures hâc occaſione hæreſes fuiſſe olim ſuſcitatas.*

Iſtam quidem interdictæ Scripturæ rationem Pontificii Scriptores comminiſci ſolent. Nec mirum quidem, Os deforme fucum quærit. Veram autem rationem Paulus Vergerius exhibet in commentitio Patrum Bononienſium *Conſilio de Romanâ Eccleſiâ ſtabiliendâ* ad Julium III. Papam. Poſtquam enim illi monuiſſent, ut ſummoperè curaret, ut quàm minima Scripturæ Portio linguâ vernaculâ prælegeretur; ſaltem ut illa pars ſufficeret, quæ in Miſsâ recitari ſolet; iſta ſubdunt. *Hic ille eſt liber, qui præter cæteros haſce nobis tempeſtates ac turbines concitavit;*

[a] Adv. Hæreſ. lib. 1. cap. 13.

(1) Inanis is prætextus. Tindallus enim Scripturam ſatis fideliter tranſtulit.

quibus

quibus prope abrepti ſumus. Et ſanè ſi quis illum diligenter expendat; deinde quæ in noſtris fieri Eccleſiis conſueverunt, ſingula ordine contempletur; videbit plurimùm inter ſe diſſidere, & hanc doctrinam noſtram ab illâ prorſus diverſam eſſe, ac ſæpe contrariam etiam. Quod ſimulatque homines intelligunt, à docto ſci'icet aliquo Adverſariorum noſtrorum ſtimulati; non ante clamandi in nos finem faciunt, donec re tandem pervulgatâ nos inviſos omnibus reddiderint.

Atque utinam iſtam ſolummodo Sacræ Scripturæ Pontificii injuriam feciſſent. Inhibitam illius lectionem vidimus, excuſſa fidelium manibus unica fidei inſtrumenta, obſignatos vitæ fontes, ſacræ lectionis ſtudioſos ſeu anathemate percuſſos ſeu vivicomburio extinctos: ſpes tamen reſtabat, non eouſque impietatis deventum iri; ut ſacris Codicibus corruptrices inferre manus auderent. Tam immane facinus aggredi ſi non divini nominis reverentia, ſaltem infamiæ timor inhiberet. Neque enim ſperare poſſent ejuſmodi fraudem latere poſſe. Eò tamen improbum cauſæ deſperatæ ſtudium Adverſarios impulit; ut nec Legi Divinæ pepercerint; ut ſacroſanctos Codices interpolare fœdiſſimiſque additamentis viciare auſi ſint. Satius erat profectò vernaculam S. Scripturæ lectionem in æternum fidelibus interdixiſſe; ſatius nunquam in vulgares linguas tranſtuliſſe; quàm inaudito ſæculis flagitio ipſammet Scripturam mutilare. Jam quidem id, quod antea non licuit, jactitare poſſunt Pontificii, ſe in nonnullis ſaltem regionibus Sacrorum Codicum lectionem omnibus paſſim perhibere. Jam verò & nos viciſſim, quod antea haud ita licuit, vitiatæ ac corruptæ Scripturæ crimen eiſdem intentare poſſumus. Siquidem unius ſceleris infamiam alio longè atrociori redimunt; idque Orbi Chriſtiano liquidò demonſtrant; Pontificios aut nullam aut nonniſi corruptam Scripturam plebi permiſſuros. Rem, ſatis ſcio, factam denegabunt viri perfrictæ frontis, qui ſe unicos fidei monumentorumque ejus conſervatores perhibent; & expurgata ab Indicibus ſuis Expurgatoriis SS. Patrum Scripta, rem toti orbi notiſſimam, inficiari non erubeſcunt: forſitan nec credent poſteri; niſi ſuis etiam temporibus (quod minimè futurum non vanis auguriis ducti ſperamus) qui veritati ſolitis artibus adverſentur, exſtiterint Pontificii. Rem tamen noſtro Sæculo heu nimiùm compertam loquor; cujus eximium aliquod monumentum in iſthoc Opere in æternùm Pontificii nominis opprobrium exſtare volo.

Prodierunt plures à triginta annis in Galliâ S. Scripturæ Verſiones Vernaculæ à Theologis Pontificiis elucubratæ. Vix ullam ex his ſinceram atque fraudis immunem reperies. Præ cæteris autem ſceleris palmam.

mam tulit nupera Novi Teſtamenti Verſio, à Theologis Lovanienſibus confecta, & *Burdegalis* excuſa Anno MDCLXXXVI. in 4°. ab Archiepiſcopi Burdegalenſis Typographo, præmiſsâ etiam ſolenni Theologorum Prœli Curatorum licentiâ. Exinde nonnulla ſelegi gravioris corruptelæ ſpecimina, quæ Lectori exhiberem; additâ Tranſlatione eorundem Latinâ; ne cum hodiernæ dialecti, quæ indies mutatur, interitu, fraudis etiam memoria depereat.

Par. I. pag. 364. Act. XIII. 2.

Or Comme ils offroient au Seigneur le Sacrifice de la Meſſe.

Offerentibus autem illis Domino Sacrificium Miſſæ. Miniſtrantibus autem illis Domino. *Sic Verſio Vulgata; ex quâ Verſionem ſuam Gallicam expreſſiſſe præ ſe ferunt Lovanienſes.*

Par. II. pag. 53.

1 Cor. III. 15. Mais is ſera ſauvé quant à luy, ainſi toutefois comme par le feu du Purgatoire.

Ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem Purgatorii. Deeſt vox ultima in Verſ. Vulgat.

Pag. 70.

1 Cor. XI. 10. Partant la femme à cauſe des Anges, qui la voyent, doit avoir ſur la téte un enſeigne qu' elle eſt ſous puiſſance.

Ideo debet mulier ſubjectionis inſigne habere ſupra caput ſuum, propter Angelos, qui eam vident. Verſ. Vulgat. *velamen habere ſupra caput ſuum, & propter Angelos.*

Pag. 72.

1 Cor. XI. 26, 27. C' eſt pourquoy quiconque mangera ce pain de vie. —Car toutes les fois que vous mangerez ce pain vivant.

Itaque quicunque manducaverit panem hunc vitæ. — Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc viventem. Deeſt utrobique vox ultima in *Verſ. Vulgat.*

Pag. 165.

Coloſſ. II. 18. Que perſonne ne vous ſeduiſie à ſon plaiſir ſous pretexte d' humilité, & de Religion donneé à Moiſee par des Anges,

Nemo vos ſeducat pro arbitrio ſuo, prætextu humilitatis & Religionis Moſi ab Angelis datæ; rebus quæ non vidit ſeſe immiſcens; temerè

s'ingerant

s'ingerant es choſes, qu' il n' a point vüës, eſtant temerairement enflé du ſang de ſa chair.

inflatus à ſanguine carnis ſuæ. Verſ Vulgat. *Nemo vos ſeducat volens, in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans; fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.*

Pag. 192.

1 Tim. IV. 1. Or l' Eſprit dit clairement, qu' es derniers temps quelques uns ſe ſepareront de la Foy Romaine.

Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide Romanâ. Deeſt vox ultima in *Verſ. Vulgat.*

CAPUT

CAPUT VII.

NON ſolùm clariſſimi Eccleſiæ Doctores S. Scripturæ ſtudium omnibus patere voluerunt; ſed & Conciliorum, Pontificum atque Principum decreta idem confirmârunt. Teſtimonia Cl. Armachanus capite 7. affatim profert. His breve quoddam Spicilegium nobis addere licebit. Quantùm igitur plebi olim intereſſe credebatur, ut preces publicas intelligeret; frequentes Diaconi admonitiones, Sacerdotis allocutiones, & omnium fidelium Reſponſiones demonſtrant. Plenæ his ſunt omnes antiquorum Liturgiæ, plena Scriptorum Liturgicorum monumenta. Exemplo ſint Conſtitutiones Apoſtolicæ; quæ diſciplinam Orientalis Eccleſiæ primævis Sæculis receptam optimè demonſtrant. Inibi præcipitur, [a] ut ante ſingulas Sacerdotis petitiones; Diaconus clamaret: ἐκτενῶς πάντες δεηθῶμεν. *Intentè omnes precemur.* ἐφ' ἑκάστῳ δὲ τούτων, ὧν ὁ διάκονος προσφωνεῖ, λεγέτω ὁ λαὸς, κύριε ἐλέησον, καὶ πρὸ πάντων τὰ παιδία. *In ſingulis horum, quæ Diaconus dicit, reſpondeat populus, Kyrie eleiſon; & ante omnes reſpondeant pueri.* Et cap. 11. Λεγέτω ὁ διάκονος, πρόσχωμεν· καὶ ἀσπαζέσθω ὁ ἐπίσκοπος τὴν ἐκκλησίαν, καὶ λεγέτω, ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν· καὶ ὁ λαὸς ἀποκρινέσθω, καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου. *Dicat Diaconus: Attendamus. Et ſalutet Epiſcopus Eccleſiam & dicat: Pax Dei cum omnibus vobis. Et reſpondeat Populus: Et cum ſpiritu tuo.* Cap. 12. *Epiſcopus dicit: Gratia Dei, &c. ſit cum omnibus vobis. Et omnes unâ voce reſpondeant* (πάντες συμφώνως λεγέτωσαν) *Et cum ſpiritu tuo. Ac rurſus Epiſcopus: Surſum mentem. Reſpondeant omnes: Habemus ad Dominum. Et Epiſcopus: Gratias agamus Domino. Et Omnes: Dignum & juſtum eſt.*

Eandem populi attentionem in lectionibus ſacris audiendis Patres exegerunt. Sic enim Anaſtaſius I. Papa in Epiſtolâ Decretali ad Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopus. [b] *Dum ſancta Evangelia in Eccleſiâ recitantur; Sacerdotes & cæteri omnes præſentes, non ſedentes ſed venerabiliter curvi, in conſpectu ſancti Evangelii ſtantes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.* Nullum S. Scripturæ lectione defraudatum, non ſolùm è perfectioribus & in fide confirmatis, ſed neque è rudibus & imperfectis, voluerunt. Ita Canon 18. Concilii Arauſicani I.

[a] Lib. 8. cap. 6. [b] Concil. Tom. II. pag. 1192.

Anno 441.

Anno 441. celebrati. [c] *Evangelia deinceps placuit Catechumenis legi apud omnes provinciarum noſtrarum Eccleſias.* Neque in Eccleſiâ ſolùm, ſed & in conviviis virorum Eccleſiaſticorum, idiotas lectione divinâ ædificari præceperunt. Id mandat Concilium Rhemenſe II. Anno 813. habitum, Can. 17. [d] *Ut Epiſcopi, & Abbates, pauperes & indigentes ſecum ad menſam habeant; & lectio divina ibi perſonet; & ſumant cibum cum benedictione & laude Domini.* Idem habet Herardus, Archiepiſcopus Turonenſis, capit. 108.

Poſtquam autem exolevit apud Occidentales vulgaris linguæ Latinæ uſus: quantâ ſollicitudine curarunt Eccleſiæ Antiſtites; ne Scripturæ rerumque divinarum notitia apud vulgum Chriſtianum interiret? Concilium Anglicum Cloveſhoviæ ſub Cuthberto Archiepiſcopo Cantuarienſi Anno 747. habitum, præcepit Canone 10. [e] *Ut Presbyteri Symbolum fidei, ac Dominicam Orationem, ſed & ſacroſancta quoque verba, quæ in Miſſæ celebratione & officio Baptiſmi ſolenniter dicuntur, interpretari atque exponere poſſe propriâ linguâ qui neſciant, diſcant.* [*Anglicè diſcant & doceant.* Sic Gulielmus Malmsburienſis Canonem refert [f].] Et Canone 7. [g] *Epiſcopi, Abbates atque Abbatiſſæ* [in quorum familiis omnes Nobilium pueri, aliique innumeri, tunc temporis, educari ſolebant.] *ſtudeant & diligenti curâ provideant; ut per familias ſuas lectionis ſtudium indeſinenter in plurimorum pectoribus verſetur, & ad lucrum animarum laudemque Regis æterni multorum vocibus innoteſcat. Nam dictu dolendum eſt, quod his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde ſacræ ſcientiæ rapiantur amore, & vix aliquid elaborare in diſcendo voluerint: quin potiùs à juvenile ætate vanitatibus diverſis & inanis gloriæ cupiditatibus occupantur; atque præſentis vitæ inſtabilitatem, pluſquam ſacrarum Scripturarum aſſiduitatem, vagabundâ mente ſequuntur. Proinde coherceantur & exerceantur in Scholis pueri ad dilectionem ſacræ ſcientiæ; ut per hoc bene eruditi ſint.* Inter Capitula Saxonica incertæ ætatis, viceſimum eſt hujuſmodi. [h] Mæſſe pneoſtaſ ſceolon ſymble æt heopa huſum leopning monna ſceole habban, &c. *Presbyteri per villas & vicos ſcholas habeant: & ſi quiſlibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas literas eis commendare vult; eos ſuſcipere & docere non renuant; ſed cum ſummâ charitate eos doceant. Cùm ergo eos docent; nihil ab eis pretii pro hâc re exigent, nec aliquid ab eis accipient.* Rationem hujus diſciplinæ reddit Capitulum præcedens (quod ex Capitularibus Carolinis

[c] Concil. Tom. III. pag. 1450. [d] Concil. Tom. VII. pag. 1256. [e] Concil. Anglic. Tom. I. pag. 248. [f] De geſtis Pontif. Angl. lib. 1. [g] Concil. Angl. Tom. I. p. 247. [h] Ibid. p. 595.

deſumptum eſt [i] þitcolice ꞃeah eall halȝuȝe ꞃꞃitu miꝺ biꞃenum, &c. *Omnium ſacrarum Scripturarum paginæ inſtrumentis bonorum operum refertæ ſunt: & per ſanctarum Scripturarum Campos poſſunt inveniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur.*

Ita quidem integram Sacræ Scripturæ lectionem vel auditum omnibus Chriſtianis expedire Veteres crediderunt: Symbolum verò (Scripturæ compendium quoddam) & Orationem Dominicam ut omnes perfectè ſcirent, penitus neceſſarium duxerunt. Id quod hæreticæ pravitatis indicium ferro flammâque puniendum Pontificii olim [k] judicârunt. Sic enim Concilium Moguntinum, Anno 813. Canone 45. ſtatuit. [l] *Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & Orationem Dominicam, diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum. Volumuſque ut diſciplinam condignam habeant; qui hæc diſcere negligunt; ſive in jejunio, ſive in aliâ caſtigatione emendentur. Propterea dignum eſt, ut filios ſuos donent ad ſcholam, ſive ad Monaſteria, ſive foràs Preſbyteris; ut fidem Catholicam rectè diſcant & Orationem Dominicam; ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in ſuâ linguâ hoc diſcat.* Paſtorale quoddam Latinum, vetuſtum admodum MS. vidi in Collegio Corporis Chriſti Cantab. quod in Conciliis Anglicis [m] Saxonico-Latinum reperitur. Canon ejus 22[us] ſic habet. [n] *Commonendi ſunt fideles; ut generaliter omnes à minimo uſque ad maximum, Orationem Dominicam & Symbolum diſcant. Et dicendum eſt eis, quòd in his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit. Et niſi quis has duas ſententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſimè frequentaverit, Catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt, ut nullus chriſmetur; neque baptizetur, neque è lavacro fontis alium ſuſcipiat, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat; niſi Symbolum & Orationem Dominicam memoriter tenuerit; exceptis iis, quos ad loquendum ætas minimè perduxit.*

Denique ſi expreſſum Concilii Decretum, preces alienâ linguâ factas damnans, requiratur; neque id etiam deerit. Qui preces enim alienâ linguâ peroratas tuebantur, iſto imprimis argumento uſi

[i] Ibid. pag. 595. [k] Vid. ſupra, cap. 7. [l] Concil. Tom. VII. pag. 1251. [m] Tom. I. pag. 584. [n] Vid. Theodulphi Aurelianenſis Capit. 22. Concil. Tom. VI. pag. 1206.

ſunt,

ſunt, & adhuc utuntur: Nimirum tres ſolummodo linguas, Hebræam, Græcam, & Latinam, ſacras eſſe, & divinis laudibus in Eccleſiâ reſonandis idoneas; has ſolas dignas ſuiſſe habitas, quæ Chriſti cruci inſcriberentur; reliquas omnes barbaras ab Apoſtolo [o] appellari, divinis officiis celebrandis minùs aptas natas, & ex uſu Eccleſiaſtico eliminandas. E contra autem Concilium Francoſordienſe, Anno 794. coactum (quod ab Occidentalibus Generale habitum eſt) Canone 52. decernit. [p] *Ut nullus credat, quòd nonniſi in tribus linguis Deus orandus ſit; quia in omni linguâ Deus adoratur, & homo exauditur, ſi juſta petierit.*

[o] 1 Cor. XIV. [p] Concil. Tom. VII. pag. 1063.

CAPUT VIII.

MULTA de Verſionibus S. Scripturæ in linguas Orientales Illuſtriſſimus Primas congeſſit. Cùm plures autem ex iis Verſiones abhinc prodierint, aliæ in notitiam devenerint; pauca addere non abs re erit. De Verſionibus Judæorum ſupra egimus cap. I. A Chriſtianis Orientalibus factæ ſunt Tranſlationes Syriacæ, Armenicæ, Æthiopicæ, Copticæ, Arabicæ, & Perſicæ.

Duplex exſtat Verſio S. Scripturæ in linguam Syriacam ſive Chaldæam [unica enim eſt lingua, diverſis tamen characteribus exarata.] Altera ex Hebræo facta, quæ *Simplex* & *Antiqua* vocatur; altera ex Græco, recentior. Antiquâ ſolummodò in divinis Officiis hodie utuntur Maronitæ. Factam eſſe à Thaddæo aliiſque Apoſtolis tempore Abgari Regis ex Syriacis Scriptoribus oſtendit Abraham Ecchellenſis [a]. Eandem tamen, ſaltem ex parte, conditam eſſe tempore Solomonis in gratiam Hirami Regis Tyri, reliquam curâ Thaddæi cæterorumque Apoſtolorum tempore Abgari Regis, plerique è Syris contendunt [b]. Apud alios tamen Syros conſtans viget Traditio à D. Marco factam eſſe. Utut id certum eſt temporibus Apoſtolorum factam fuiſſe; antequam Canon N. Teſtamenti communi Eccleſiarum conſenſu confirmatus eſſet. Unde fit, quòd Epiſtolâ 2ª. Petri, 2ª. & 3ª. Joannis, illa Judæ, & Apocalypſis in eâ omittantur. Prodiit Novum Teſtamentum iſtius Verſionis à Widmanſtadio editum (de quâ editione vide Cl. Uſſerium cap. 8. ſect. 1.) & in Editione Bibliorum Antverpienſi Ariæ Montani. Utrumque Teſtamentum, aliquoties mutilum, in Bibliis Pariſienſibus Michaelis Jaii, integrum in Londinenſibus Polyglottis Waltoni. Verſio Syriaca è Græco facta, nondum integra prodiit. Apocalypſin tamen edidit Ludovicus de Dieu: Epiſtolas Canonicas Cl. Pocockius; qui Evangelia MSS. penès ſe habet. Quod ætatem ejus ſpectat: extitit exemplar ejus MS. penès Andream Maſium ante Annos mille exaratum: aliud in Bibliothecâ Florentinâ, Evangelia continens; quod Anno 925. ſcriptum eſt. Quin & Ephræmio Edeſſeno antiquior eſt, ab illo paſſim uſurpata; Siquidem Gerardus Voſſius Opera ejus fideliter tranſtulerit: judice Richardo Simonio [c]. Sacra autem

[a] Not. in Hebed. Jeſu. [b] Walton. Prolegom. in Bibl. Polyglott. cap. 13. [c] Hiſtoire Critique l. 2. c. 15.

linguâ

linguâ Syriacâ celebrant, referente ex variis Scriptoribus Waltono [c]: 1. Maronitæ in monte Libano, Patriarchæ in eodem monte vel Tripoli ſedem obtinenti ſubjecti. 2. Neſtoriani, Patriarchæ in Urbe Muzal ſedenti ſubditi. 3. Jacobitæ, quorum Patriarcha ſedem habet in Caramit Meſopotamiæ metropoli. Ipſorum Liturgiam habemus ex Syriaco in Latinum converſam operâ Andreæ Maſii, quæ in Bibliothecâ Patrum ſub nomine Anaphoræ Baſilii reperitur. 4. Copti ſeu Coptitæ, quotcunque religionem Jacobitarum ſectantur. Iſti poſt lectum Evangelium linguâ Syriacâ, legunt idem Arabicâ; quæ iis jam vernacula eſt. Patriarchæ Alexandrino ſubjecti ſunt; & Liturgiâ utuntur Severi Patriarchæ Alexandrini [rectiùs Antiocheni, juxta Simonium [d]; neque enim Patriarcha Alexandrinus iſtius nominis ſuit.] Latinè iſthæc verſa eſt à Fabricio Boderiano. 5. Indi, ſive S. Thomæ Chriſtiani. Habetur eorum Liturgia ex Syriaco Latinè verſa in Bibliothecâ Patrum. 6. Chriſtiani qui Inſulam Zocotoram extra ſinum Arabicum inhabitant, & Patriarchæ in urbe Mozal ſedenti ſubſunt.

Armeniaca Verſio à Chryſoſtomo confecta exiſtimatur, ſaltem à quibuſdam doctis Chryſoſtomi tempore. Hos vetuſta traditio Moſen Grammaticum & Davidem Philoſophum fuiſſe perhibet. Quamvis Armenorum plurimi Tranſlationem ſuam Gregorio primo Patriarchæ acceptam referant. Evangelia quatuor extiterunt Armenicè penès Waltonum [e]. Anno demum 1662. Jacobus Caractri, Patriarcha Armenorum, Uſcanem Epiſcopum Vuſchuavanchæ in Europam miſit, qui Biblia Armenicis typis imprimi curaret. Is itaque utrumque Teſtamentum in 4°. & Novum Teſtamentum in 8°. excudi fecit *Amſtelodami* 1664.

Apud Æthiopas conſtans eſt traditio [f] Verſionem S. Scripturæ vernaculam extitiſſe à primis Converſionis temporibus; ſive illa Apoſtolorum ſeu Conſtantini Imp. ævo contigerit. Tranſlatio Æthiopica totius Veteris Teſtamenti MS. penès Gaulminum fuit. Pſalterium, Canticum Canticorum, aliaque Cantica Eccleſiaſtica à Potkenio edita ſunt *Romæ* 1513. *Colon.* 1518. Novum Teſtamentum (demptis Epiſtolis Catholicis) à Petro Æthiope evulgatum eſt *Romæ* 1548. unà cum Miſſali Æthiopico [cujus Verſio Latina in Bibliothecâ Patrum invenitur] Epiſtolæ Catholicæ ab eodem, *Romæ* 1551. Omnia demum priùs impreſſa, cuncta ſunt ſimul in Bibliis Polyglottis Londinenſibus.

[c] Prolegom cap. 13. ſect. 17. [d] L. 2. c. 24. [e] Prolegom. cap. 5. [f] Ludolphus Hiſt. Æthiop. l. 3. c. 4.

Coptica

Coptica ſive Ægyptiaca Verſio facta eſt circa tempus Concilii Nicæni, cenſente Kirchero [g]. In Bibliothecâ enim Collegii Maronitarum ſe Copticum Martyrologium vidiſſe dicit ante Annos circiter 1300. ſcriptum; in quo repperit præcipuum fuiſſe veterum Monachorum Ægyptiorum ſtudium, S. Scripturam ex Hebraico, Chaldæo, & Græco, in uſum Populi Græcè non intelligentis, transferre. Vidit ipſe in Bibliothecâ Vaticanâ plurimos libros MSS. linguâ Copticâ exaratos; puta, *Pentateuchum* tribus Tomis; *Evangelia IV.* ſeorſim; *S. Pauli Epiſtolas, & tres Canonicas Epiſtolas, & Acta Apoſtolorum*, in alio volumine. *Apocalypſin* ſeorſim, uti & *Pſalterium*; *Liturgiam S. Marci*, cum aliis *precibus* quotidianis; *Liturgiam S. Gregorii*, cum *precibus S. Cyrilli*; *Liturgiam S. Baſilii*, aliaque *Ritualia* & *Miſſalia*. Idem *Ordinale* Copticum Latine tranſtulit & excudi curavit, à Morino recuſum, lib de Ordinat. ſacris, pag. 504. Denique in Bibliothecâ Segvierii Galliæ Cancellarii [h] extabat MS. *Conſecratio Patriarchæ* Copticè, & Arabicè, & Plures S. Scripturæ Tranſlationes, ac Orationes, utrâque linguâ. Vetuſtus Evangeliorum Codex Copticus penès Iſaacum Voſſium nuper fuit.

Arabicæ Verſiones complures reperiuntur [i]. Veteris Teſtamenti duplex eſt; Antiochena, & Alexandrina. Utrâque uſus eſt Auguſtinus Juſtinianus, Epiſcopus Nebienſis; & utramque in Bibliothecis Vaticanâ & Medicæâ haberi Cornelius à Lapide fidem facit Comm. in Prophet. Min. in Argumento, pag. 5. Ex Antiochenâ Nebienſis Pſalmos edidit, unà cùm Verſionibus ejuſdem Chaldæâ, Græcâ, & Latinâ, & textu Hebræo, *Genuæ* 1516. Alexandrina omnes S. Scripturæ libros complectitur; & in his Pentateuchum & Joſhuam ex Hebræo, Job ex Syriaco, reliquos ex Græco τῶν ό conver ſos. Ferè eadem eſt cum illâ Saadiæ (de quâ ſupra, cap. I.) adeò ut aut revera non differant, aut unus Interpres alium deſcripſerit. Facta eſt poſt Alcoranum conditum; quodque veriſimile eſt, circa Saadiæ tempora, viz. circa Annum 900. Exemplar ejus ante Annum 300. ſcriptum nactus Gabriel Sionita edidit in Bibliis Pariſienſibus, dein Waltonus in Londinenſibus. Novi Teſtamenti Variæ ſunt verſiones, Evangeliorum ſc. tres. Prima *Romæ* prodiit typis Medicæis, fol. incertæ ætatis, docti tamen Interpretis. Secunda unà cum reliquis Novi Teſtamenti libris, Erpenio curante, *Lugduni Bat.* 1616. 4°. & in Bibliis Pariſienſibus ac Londinenſibus.

[g] Prodrom. Copt. cap. 8. [h] Catal. MSS. pag. 31. [i] Walton. Prolegom. cap. 14.

Priori

Priori non multùm abſimilis eſt; atque ex Syriaco, prout videtur, facta. Authorem habet Neſiulaman F. Azalkeſati. Utraque Verſio eſt longè antiquiſſima, & ante hæreſin Arii à Waltono [k] elucubrata cenſetur: Propterea quòd deſit inſignis ille locus 1 Joan. V. 7. & Doxologia Orationis Dominicæ. Simonio [l] autem multò recentiores videntur. Tertia Evangeliorum Verſio MS. penès Waltonum fuit, admodùm antiqua.

Verſiones Evangeliorum Perſicæ binæ extant, una ab Abrahamo Wheloco Cantabrigiæ evulgata; altera (quæ ex Syriaco facta eſt) à Waltono, Tomo 5. Bibliorum Londinenſium, ex Codice Anno 1341. in Urbe Caffâ conſcripto. Verſiones iſtæ recentioris ævi ſunt. Fuit olim quidem Tranſlatio Perſica Theodoreti [m] tempore. Hodiernæ autem poſt mutatam linguam, & Mahometis longè tempora, confectæ ſunt.

Hactenus de Verſionibus Chriſtianorum Orientalibus; quibus ea tantùm addemus, quæ de Græcis habet Joannes Tynmuthenſis in *Hiſtoriâ Aureâ* MS. lib. 8. cap. 24. poſt narratam ex Ariſteâ LXX. Verſionis Hiſtoriam. *De variis Tranſlationibus ſemel dicere ſufficiat. Ante Incarnationem Domini Annis* 341. *Interpretes LXX. floruerunt. Item poſt aſcenſionem Domini Anno* 134. *ſub Adriano Principe Aquila tranſtulit. Deinde poſt Annos* 53. *ſub Commodo Principe Theodotion. Deinde poſt Annos* 30. *ſub Severo principe Symmachus. Deinde poſt Annos* 8. *reperta eſt Jeroſolymis Quinta Editio; quæ iccirco Vulgata dicitur, quia ejus Author ignoratur. Deinde poſt Annos* 18. *ſub Alexandro principe Origenes tranſtulit cum aſteriſco & obelo, & poſtmodum ſine his. Hi omnes de Hebræo in Græcum tranſtulerunt. De Græco autem in Latinum plures fuerunt. Ultimò tamen Jeronymus de Hebræo in Latinum tranſtulit. Cujus Editio ubique, præterquam in Pſalterio, ferè ſervatur.* Iſta autem παρέργως. Quas enim ante Origenem factas Tynmuthenſis memoravit, Verſiones à Judæis confectæ ſunt: uti ſupra notavimus, Cap. I.

In recenſendis Occidentalium ante Reformationem editis, Cl. Armachanus præter alias à nobis ſupra diverſis in locis memoratas, prætermiſit Gallicam à Guarino Molinæo, Presbytero & Canonico Arienſi, Diœceſeos Teroanæ, ex vulgari Latino Anno 1294. confectam; cujus exemplar MS. in Bibliothecâ publicâ Genevenſi aſſervatur, teſte Richardo

[k] Cap. 14. ſect. 22. [l] Hiſtoire Critique, l. 2. c. 24. [m] Vid. locum ab Uſſerio citatum ex Serm. 5. de curand. Græcor. affect.

Simonio [n]. Biblia etiam Moſcovitica Illuſtriſſimus Primas nequaquam viderat. Prodierunt iſta typis impreſſa *Oſtroviæ* 1581. fol. characteribus Slavicis ſive Cyrillianis. Præfigitur Interpretis Præfatio ſeu Oratio ad Deum Græcè & Moſcoviticè; quâ gratias agit Deo, qui vires ipſi dederit Verſionem ad umbilicum perducendi ad honorem divini nominis. ᾔδειν γὰρ σωθῆναι τοὺς ἀνθρώπους δυσχερὲς, εἰ μὴ τῇ τῶν ἐντολῶν σου φυλακῇ, ἃς δεδώκας σὺ τῇ γενεᾷ ἀνθρώπων ἐντίθεσθαι, καὶ τὴν μὲν ἱερὰν σου καὶ θείαν τε γραφὴν πεφανῶς δ' ἀπαγγέλλειν, &c. *Probè enim novi homines ſalutem ægre conſequi, niſi obſervatione mandatorum tuorum; quæ humano generi præſcribere tibi placuit; & idcirco ſacram tui ac divinam Scripturam palàm omnibus prædicare. Nunc igitur tibi complacuit illam per me ſervum tuum ac peccatorem noſtræ genti manifeſtare.* Dein ſuccedit Baſilii Magni Ducis Admonitio. Κἀγὼ Κωνσταντῖνος Βασίλειος, &c. τοῖς δ' ἐπισταμένοις πανταχοῦ ἐν Σλοβαικῇ γλώττῃ. *Ego Conſtantinus Baſilius, Dux Oſtroviæ, Beobodæ, Kioviæ, &c. omnibus ubique Catholicis linguam Slavicam ſcientibus verſionem iſtam Bibliaque legenda commendo: Deoque gratias ago, qui in hunc finem me regno præfecit; ad opus iſtud aggrediendum incitavit; utque abſolutum fœliciter viderem, dedit; adeoque dignum habuit, qui vobis utrumque Teſtamentum typis impreſſum in lucem darem & in manus traderem; in civitate & Ducatu noſtro Oſtroviæ, in Volhiniâ, Anno Orbis conditi 7809. Nativitatis Chriſti 1581.* Denique in fine voluminis, Joannes Theodori filius, ex Magnâ Ruſſiâ, qui Biblia iſta Magni Ducis juſſu typis excuderat; gratias Deo reddit; quòd dignus eſſet habitus, qui omnibus divinas Scripturas typis impreſſas publicaret.

[n] Catologue des principales editions de la Bible, cap. 6. pag. 531.

Addenda

Addenda in Auctario.

De Verſione Evangeliorum Saxonicâ.

PRodiit Evangeliorum IV. Tranſlatio Saxonica (quam Cl. Uſſerius Alfredo Regi acceptam refert [a]) *Londini* 1571. 4°. Elizabethæ Reginæ à Joanne Foxo prolixâ Præfatione nuncupata. Non tamen Foxus ſed Matthæus Parkerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, editionem procuravit; quod ipſemet Cantuarienſis teſtatur in Præfatione ſuâ ad Aſſerii Menevenſis Hiſtoriam de Vitâ Alfredi Regis. Eadem Verſio caſtigatior prodiit, notiſque doctiſſimis elucidata, à Thomâ Mareſchallo Anglo, *Dordrechti* 1665. 4°. unà cum Verſione Evangeliorum Gothicâ vetuſtiſſimâ; quæ (ut id obiter moneam) & Cl. Armachano [b], & Franciſco Junio [c], editore eruditiſſimo, judicibus, Ulphilæ Gothorum Epiſcopo debetur; & ex Codice Argenteo Monaſterii Werdenſis, de quo multa habet ſupra [d] Uſſerius, evulgata eſt.

Antiquior videtur Verſio Evangeliorum Saxonica ab Aldredo Preſbytero confecta; quæ in celeberrimo Eadfridi Codice reperitur. Extat enim in Bibliothecâ Cottonianâ nobiliſſimum Antiquitatis monumentum, Codex Quatuor Evangeliorum miræ pulchritudinis; qui inter pretioſiſſima Eccleſiæ Dunelmenſis cimelia olim aſſervatus, plurimis (ſi Simeoni Dunelmenſi [e] fides,) miraculis enituit. Eum manu propriâ conſcripſit Eadfridus Epiſcopus Lindisfarnenſis, circa annum 680. juxta Seldeni [f] calculum; Ethelwoldus autem Epiſcopus, & Billfridus Anachoreta picturis, auro, gemmiſque perornàrunt; Aldredus denique Preſbyter donavit Verſione Saxonicâ interlineari, ſeu Gloſsâ (ſic enim Verſionem ſuam appellari voluit.) additâ ad calcem notâ, quâ libri Scriptorem, Pictorem, Ornatorem ac Gloſſatorem ſigillatim indicat. Illam habes apud Seldenum loco citato [g]. Erravit itaque Cl. Uſſerius [h], quùm Verſionem iſtam Evangeliorum Saxonicam Eadfrido tribuit. Oratio enim Dominica, quam ex Eadfridi editione Evangeliſtarum Saxonicâ deſumptam memorat; ex illo ipſo Codice deſcripta eſt. Habetur illa etiam in libro vernaculo, qui ſub *Camdeni Reliquiarum* nomine circumfertur; cap. 3.

Præter hanc Aldredi Verſionem; alia Franciſco Junio Gloſſarium Gothicum adornanti præſtò fuit Gloſſa ſeu Verſio Saxonica Evangeliorum

[a] Supra, pag 124. [b] Epiſt. ad Junium poſt Goth. Alphabet. [c] In Præfat. & Not. [d] Pag. 213, 214. [e] Hiſt. Dunelm. lib. 2. cap. 12. [f] Præfat. ad X. Scriptores Angl. [g] Fol. 26. [h] Supra, p. 105.

interlinearis, quam Ruſworthianam vocat, à J. Ruſhworthio JC. ſibi commodatam, à Færmenno Presbytero Harwoodenſi & Oweno confecta. Penès eundem etiam fuit Gloſſa interlinearis Saxonica Proverbiorum Solomonis, ex Bibliothecâ Cottonianâ deſcripta; & Pſalterii Verſio interlinearis, ab omnibus præcedentibus Pſalterii Tranſlationibus Saxonicis diverſa, ex Bibliothecâ Iſaaci Voſſii; quin, ut id etiam adjiciam antiqua Verſio Francica Harmoniæ Tatiani Evangelicæ; cujus editionem Eruditiſſimus Senex meditabatur.

Sunt, qui Verſionem S. Scripturæ, his omnibus multò antiquiorem, apud Britannos fuiſſe volunt, deſumpto opinionis argumento ex illis Chryſoſtomi verbis, *κἂν πρὸς τὰς Βρεταννικὰς νήσους ἐκείνας*, quæ ſupra habes, pag. 331. Verùm cùm id ex illis nullâ arte exculpere potuiſſem, iis immorari nolui. Nec fœlicior videtur eorum conjectura; qui ex illis Bedæ verbis Lib. 1. Hiſt. Eccl. Angl. cap. 1. *Hæc in præſenti juxta numerum librorum, &c.* concludunt S. Scripturam Bedæ tempore in linguas Anglorum, Britonum, Scotorum, & Pictorum, vernaculas converſam fuiſſe. Converſam quidem negare nolim; me tamen nullo id artificio ex Bedæ verbis citatis colligere poſſe fateor.

De Verſione Pſalterii Gallicâ antiquâ ſupra, pag. 390.

Parilis ætatis atq; elegantiæ Pſalterium MS. Latinum, cum Verſione interlineari Gallicâ, extat in Bibliothecâ Norfolcianâ, Cod. 230. 4°. In Angliâ, idque ante finem Sæculi duodecimi, ſcriptum eſſe, eadem ſuadent argumenta, quæ de Cottoniano Codice ſupra [1] protulimus. Norfolcianum autem cum illo Eadwini convenire fidem facit nota recenter præmiſſa cujuſdam Eruditi Lectoris, qui Gallicam Verſionem in quatuor prioribus Pſalmis præ vetuſtate evanidam, ex altero Cantabrigienſi reſtituerat. Nos initia Pſalmorum primi & quinti exinde deſcripta dedimus.

Pſalm. I. *Beneurez huem, qui ne allat el conſeil des feluns, è en la veie des pecheurs ne ſtout, è en la chaere de peſtilence ne ſiſt.*

Pſal. V. *Les meies paroles atues orreilles receif, Sire; entent clamur lameie. Lentent alaveir de laoreiſun lameie, limeus Reis & Deus limeus, voiz elameie: kar ate io urrai, Sire, lematine orras.*

De Saxonicæ linguæ uſu poſt Normannorum adventum.

Paucula de hoc argumento adnotavi ſupra, pag. 388. Si quis integræ idiomatis Saxonici apud Anglos deſuetudinis tempus ſcire velit; haud alibi certiora quàm in antiquis Regum Chartis Latino-Anglicis

[1] Loc. cit.

inveniet.

inveniet. In his pro ætatis diverſitate linguæ gradatim evaneſcentis veſtigia clariſſimè obſervare licet; præſertim in illis Chartis recentioribus antiquiorum confirmatoriis, quæ ab initiali vocabulo *Inſpeximus* nomen ſortiuntur. Quippe in his plurimæ Regum antecedentium Chartæ conſimiles verbatim recenſeri ſolent; ex quibus juxta poſitis linguæ in ſingulis uſurpatæ collatio optimè inſtitui poteſt. Plures ejuſmodi Chartæ, Regum Henrici IV. Edwardi IV. Henrici VIII. &c. habentur in Bibliothecâ Lambethanâ, libertates & poſſeſſiones Chartaſque antiquas Archiepiſcopatûs Cantuarienſis confirmantes. In his locum ſemper obtinent Chartæ Henrici I. Anſelmo data, Stephani Regis, Henrici II. Henrici Regis filii ejus, Richardi I. &c. quæ deinceps confirmantur. Ex his tres priores in utrâque linguâ, Latinâ ſç. & Anglicâ, exhibentur: reliquæ omnes Latinè ſolummodò conſcribuntur. Hinc patet linguam Anglo Saxonicam in Chartis ſcriptiſque publicis uſurpari deſiiſſe tempore Henrici II. Quin & eodem circiter tempore mutationem maximam ſubiiſſe, & in aliam ferè linguam deflexam eſſe. Quùm enim idioma Chartæ Henrici I. ad veterem Saxonicam quàm ad hodiernam Anglicam multò propiùs accedit; illud Chartæ Henrici II. è contra multò magis ad hanc quàm ad illam accedit; Grammaticâ & terminationibus Saxonicis, quæ in priore retenta erant, in hodiernam ferè dialectum immutatis. In illis quidem Chartis Confirmatoriis, antiquæ Chartæ non primævo ſed neoterico charactere conſcribuntur; adeò ut de Characteris Saxonici mutatione parum exinde conſtet. Verùm is defectus ſuppleri poteſt ex Chartis Originalibus; quarum duæ maximè inſignes, ſc. Henrici I. Willelmo Corbel, & Henrici II. Theobaldo Archiepiſcopo datæ, in eâdem Bibliothecâ aſſervantur. Ex his Characterem etiam Saxonicum circa eadem tempora in communi uſu eſſe deſiiſſe non obſcurè colligi poteſt. Cùm ex decem enim circiter Characteribus, quibus Saxonica Scriptura à Latinâ diſtinguitur, unicus in Chartâ Henrici I. immutetur; in illâ Henrici II. tres ſolummodò retinentur.

De Armenis.

De Armenorum conſuetudine & eximio S. Scripturæ ſtudio teſtimonium maximè inſigne dedit Bonaventura Brocardus (Borchardum malè vocant libri editi) Ordinis Prædicatorum; qui in Orientem iter ſuſcepit circa Annum 1283. prout ipſemet in Itinerario ſuo [k] fidem facit. Iſta autem de Armenis [l] refert; quæ quidem Thomas Rudburn, Monachus Anglus circa An. 1410. in *Hiſtoriam Majorem* ſuam MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, nonnihil immutata, [m] tranſtulit. *Solenniſſimo die in-*

[k] Par. 1. cap. 7. ſect. 10. [l] Par. 2. cap. 2. ſect. 9. [m] Lib. 5. cap. 2.

terſui eorum Miſſæ coram eodem Catholico (ſic Patriarcham ſuum vocant) *& Rege & Reginâ; habentque Officium devotum valde. In azymo conficiunt, & eiſdem verbis ſicut nos. Eaſdem Epiſtolas, eadem Evangelia, Præfationes, Sanctus, Pater Noſter, & Agnus Dei in miſſis decantant, ſicut & nos; in ſuo tamen idiomate. Habent enim linguam vulgarem, propriam & literalem* [Rudburn. *cantant in Miſsâ, ſicut & omnes nos, ſub idiomate ſuo. Scripturam habent, literam ſpecialem, & linguam*] ——*Reges Principeſque Nobileſque ardenti animo audiunt divinos ſermones. Propterea ſingulis diebus, horâ diei tertiâ Vatrapetæ* (Monachi) *Regis aut alterius Principis Curiam adeunt; ad quos ſtatim accedunt Principes & Domini cum filiis ac potentibus ſuis; afferturque liber aliquis ſacræ Bibliæ, legiturque in vulgari ſuo; & à Vatrapetis textus exponitur.* [Rudburn. *Reges & Principes & etiam omnes Nobiles audiunt libentiſſimè Verbum Dei. Unde cotidie àd horam tertiam, ubi Tapechæ ſive Gapechæ ſeu Monachi ad Curiam Regis ſeu Principis alicujus advenerint; occurrunt eis ſtatim ipſi Principes vel Rex cum filiis ſuis & omnibus de Curiâ ſuâ: & apponitur eis liber aliquis S. Scripturæ, & legitur coram eis in vulgari; quòd linguam aliam neſciunt, ſed linguâ & literis propriis utuntur.*] *Sæculares quando dubia proponunt; ſuper hujuſmodi à Vatrapetis inſtruuntur; & quæſtiones per Sanctorum Expoſitiones ſolvunt.* ——*Clerici & Laici in Eccleſiâ devoti admodum, nihil ibi operantur, niſi orare, legere, divina celebrare vel audire. Nunquam conſpicies in Eccleſiâ ridentem vel vagum aut diſſolutum, cujuſcunque nationis exiſtat. Cæremonialia Miſſæ devotiſſima ſunt apud eos.* [Rudburn. *Multùm devoti ſunt in Eccleſiâ. Et Clerici & Laici nihil ibi faciunt; niſi aut orant, aut cantant & cætera quæ de jure facere poſſunt. Nunquam videbis eos in Eccleſiâ diſſolvi nec ridere, nec Clericum nec Laicum; ſive Græcus ſit, ſive cujuſcunque alterius nationis. Officium Miſſæ devotiſſimum eſt apud eos.*] —*Et cantant Melodiam quandam, certè* [Rudburn. *valdè*] *devotam & dulcem.* [Rudburn. *dulciſſimam*] *alternatim ſibi invicem reſpondentes. Et id quidem* [Rudburn. *Iſtud abſq; dubio*] *devotiſſimum eſt audire ac videre.*

De Verſionibus Anglicis.

Cùm dixerim ſupra pag. 426 duos ſolummodo mediâ ætate (ſc. inter Saxonum & Reformationis tempora) fuiſſe Interpretes S. Scripturæ Anglicanos, ſc. Wiclefum & Treviſam; vellem duos ſolummodo nobis conſtare Authores integræ SS. Scripturarum Verſionis Anglicanæ; qualis fuit illa, de quâ loco citato egimus. Id Lectorem monitum volui; ne incautum dicto laxiore in errorem inducerem.

FINIS.

INDEX

Scriptorum, & Illuſtrium Virorum, quorum teſtimonia aut exempla in utramvis partem in hoc volumine citantur; & Verſionum Sacræ Scripturæ, quæ ante Reformationem factæ ibidem memorantur.

A

Adrianus IV. Papa 145.
Adrianus VI. Papa 177.
Ægyptii 18, 242, 243, 340, 461.
Æneas Sylvius 170.
Æthiopes 244, 245, 461.
Agnes Imperatrix 390.
Aidanus 101.
Ailredus Rievallenſis 403, 404.
R. Akilas 308, 316.
Alcuinus 109, 361, 362, 364.
Alcimus Avitus 229.
Aldhelmus 103, 350, &c.
Alexander IV. Papa 153, 154.
Alexander V. Papa 164.
Alexander Carpentarius 168, 169.
Alexander Neckam 414, 415.
Alfonſus Caſtellæ Rex 154.
Alfonſus V. Aragoniæ Rex 172.
Alphonſus Salmeron 275.
Alphonſus à Caſtro 452.
Alfredus Rex Angliæ 123, 124, 374, 375.
Alfridus Rex Northumbriæ 103.
Amalarius Lugdunenſis 115, 360, 367, 368, &c.
Ambroſius 65, 66, 67, 232, 233, 240, 265.
Ambroſius Catharinus 235.
Anaſtaſius Niçænus 116, 117.
Anaſtaſius I. Papa 206, 456.
Anaſtaſius Sinaita 57.
Andronicus Comnenus Imp. 148.
Angelomus 113.
Angli Martyres & Confeſſores 166, 167, 173, 179, &c. 198.
Anna Regina Angliæ 161, 162.
Anonymus Author Operis Imperfecti in Matthæum 73, 74, 262, 263.
Anonymus Author Præfationis Anglicæ in Vetus Teſtamentum 157, 424, &c.
Anonymus Author Determinationis Anglicæ de Scripturis vernaculis 164, 165.
Anonymus Wigornienſis 165, 166.
Anonymus Græcus de origine errorum

rum Armeniacorum 217, 218.
Anonymus Author Gloſſæ in Epiſtolas S. Pauli 441.
Anonymus Interpres Speculi B. Virginis 447.
Anonymus Author libri de duplici Martyrio 388.
Anonymus Author libri de XII. Abuſionibus Sæculi 388.
Anonymus Rothomagenſis 402, 403.
Anonymus Author libri de Admonitione profectûs animæ 411.
Anſelmus Cantuarienſis 136, 137.
Anſelmus Laudunenſis 116, 136, 139.
Antonius Abbas 17, 20, 328, 412.
Antonius Poſſevinus 154.
Apollinarii 31.
Apollinariſtæ 259, 260.
Aquila Ponticus 308.
Ariani 262, 263.
Ariſteas 316, 317.
Armeni 18, 33, 148, 155, 217. 244, 245, 414, 461, 467, 468.
Arnoldus Carnotenſis 405.
Arnobius junior 87.
Athalaricus Rex 91, 92.
Athanaſius 21, 22, 225, 260, 328, 450.
Athenagoras 225.
Auguſtinus 75, &c. 168, 206, 207, 211, 212, 226, 231, 232, 233, 234, 236, &c. 240, 249, 256, 264, 265, 267, 339, 408.
Aurelius Caſſiodorus 92, 341.
Azorius Jeſuita 190, 191, 224.

B

B*Aldwinus* Archiepiſcopus Cantuarienſis 407, 408, 409.
Barlaamus 440.
Bartholomæus Epiſcopus Exonienſis 407, 408.
Bartholomæus de Glanvillâ 430.
J. Bartoloccius de Celleno 313, 315.
Baſilidiani 256, 257.
Baſilius Macedo Imp. 120.
Baſilius Magnus 25, 26, 27, 28, 236, 240.
Baſilius Seleucienſis 334.
Bathildis Regina 225.
Beatus Rhenanus 124, 125, 178.
Beda 105, 106, 107, 268, 356, 357, 358.
Beghinæ 230.
Benedictus 91, 400.
Benignus 94.
Ben Sira 4.
R. Ben Bagbag 7.
Berengarius 391, 392.
Berno Augienſis 130.
Bernardus 142, 143, 144, 169, 277.
Bleſilla 228.
Bohemi 166, 169, 170.
Bonifacius Moguntinus 104, 105.
Bonaventura Brocardus 467, 468.
Boſo Merſeburgenſis 126.
Boſtonus Burienſis 124.
Brigitta 156.

Cæcilia

C

Cæcilia 227.
Cælius Sedulius 86, 229.
Cæſarius Arelatenſis 90, 91, 234, 237, 238, 340, 341.
Canones & *Conſtitutiones* Apoſtolicæ 193, 208, 209, 456.
Canutus Rex 131, 132, 198, 199, 388.
Capitularia Carolina 99, 199, 200, 201, libri de Imaginibus 110.
Carolini 345, 347, 457.
Carpocratiani 256.
Carolus V. Galliæ Rex 158, 159.
Carolus VIII. Galliæ Rex 173.
Carolus Calvus Rex 117.
Carolus Magnus Imp. 99, 100, 110, 111, 199, 344, 345, 346, 366, 367.
Cednomus 102, 349, 350.
Celſus Philoſophus 268.
Chriſtophorus (al. *Conradus*) *Helmſdorff* 152.
Chunegundis Imperatrix 130.
Chronici Alexandrini Author. 348, 349.
Chrodogandus 358, 359.
Clemens Alexandrinus 12, 13, 230, 236, 272, 322, 323.
Clemens Romanus 208, 209, 231, 254, 321.
Clemens VIII. Papa. 189, 208.
Claudius Eſpenſæus 277.
Clemens Lanthonienſis 406, 407.
Conradus IV. Imp. 152.
Cornelius Agrippa 277, 278.
Cornelius Papa 336.
Conſtantius Imp. 225.
Conſtantinus Baſilius, Dux Moſcoviæ 464.
Conſtantinus Magnus Imp. 19, 232.
Conſtantinus Sclavorum Apoſtolus 122, 372.
Cuthbertus Tunſtallus 188.
Cyprianus 59, 60, 336.
Cyrillus Alexandrinus 52, 53, 260, 332, 333.
Cyrillus Hieroſolymitanus 20, 21, 329.
Cyrillus Sclavorum Apoſtolus 117, 118, 119, 120, 221, 371, 372.

D

Dagobertus Francorum Rex 225.
Dalmatæ 172.
Daniel Propheta 312, 314.
Didymus Alexandrinus 330.
Diodorus 241.
Dionyſius Areopagita 56, 194, 238.
Dionyſius Carthuſianus 172.
Donatiſtæ 264.
Dorotheus Abbas 55, 56.
Drogo 140.
Durandus 366.

E

Eadfridus 105, 350, 355.
Eadwinus 390.
Edgarus Rex 126.
R. Eleazar 5, 6, 308.
Eleuſinia Sacra 271, 272.
Elfleda 229.
Elfricus 128, 129, 377, &c.

Elias

Elias Cretenſis 125, 194.
Ephræm Syrus 23, 24, 25, 239.
Epiphanius 30, 317, 329.
Eraſmus 176, 177, 192, 193, 223, 226, 277, 278.
Eſdras 308, 312, 314.
Ethelſtanus Rex 125.
Etherius Tyanenſis 22.
Euplius Martyr 250.
Euſebius Cæſarienſis 19, 20, 227, 311, 326, 327.
Euſebius Emeſenus 18, 101.
Euthymius Zygabenus 134, 135.

F

F*Abiola* 227.
Facundus Hermianenſis 341.
Faſtidius 83.
Fauſtinus 229.
Ferdinandus Hiſpaniæ Rex 175, 452.
Flavianus 241.
Florus Magiſter 106.
Fœlix Martyr 250.
Fredericus V. Imp. 371.
Fridericus Furius 223.
Fulgentius 89, 90, 231.
Furſeus 94.
Fuſcina 229.

G

G*Abriel Biel* 376, 448.
Galfridus Chaucer 156.
Gennadius Maſſilienſis 89.
Gentilium Praxis 219, &c.
Georgius Caſſander 277.
Georgius Florus Baldinus 174.
Germanus Pariſienſis 342.
Giraldus Cambrenſis 375, 376.
Giſla & *Rectruda* 367.
Gnoſimachi 259.
Gorgonia 227.
Gregorius Armenus 18, 217, 461.
Gregorius Capuccinus 251.
Gregorius Nazianzenus 31, 32, 33, 239.
Gregorius Neocæſarienſis 194, 325.
Gregorius Nyſſenus 29, 30.
Gregorius I. Papa Romanus 92, 93, 94, 169, 206, 342, 359, 401, 407.
Gregorius VII. Papa 135, 136, 404, 405.
Gregorius IX. Papa 202, 416.
Gregorius XIII. Papa 189.
Gualterus Hilton 442, 443, 444.
Guarinus Molinæus 463.
Guigo Carthuſianus 144.
Gulielmus Warham, Archiepiſcopus Cant. 451, 452.
Gulielmus Pariſienſis 136, 152.
Gulielmus Bleſenſis, Epiſcopus Wigornienſis 408.
Gulielmus Butler 162, 163.
Gulielmus Malmsburienſis 360, &c.
Guthlacus 103, 104.

H

R. *Hanina Theradionis* 6, 7.
R. *Haymo* 114.
Helceſaitæ 258.
Heloiſſa 401.
Henricus VI. Angliæ Rex 171.
Heracleonitæ 257.
Herveus Dolenſis 136.

Henricus

Henricus VIII. Angliæ Rex 451, 452.
Herardus Turonenſis 368, 369, 457.
Herlevinus Beccenſis 389.
R. Hillel. 4, 308.
Heſychius Hieroſolymitanus 57, 335.
Hieronymus 68, 69, 70, 71, 169, 206, 207, 210, 212, 221, 228, 235, 240, 249, 260, 265, 266, 267, 338.
Hilarius Pictavienſis 61, 237.
Hilarius Romanus 63, 64, 337.
Hildebertus 397, 398, 399.
Hildebrandus junior 404, 405.
Hincmarus 117, 346.
Hugo de Folieto 401.
Hugo Victorinus 141, 142.
Humbertus de Romanis 419, 420.

J

J*Acobitæ* 461.
Jacobus Faber Stapulenſis 175.
Jacobus de Theramo 164.
S. Jacobi Miſſa 235, 335.
Jacobus de Voragine 154.
Jacobus Ledeſma 191.
Jacobus Gretſerus 178, 192, 218.
Jacobus de Vitriaco 414.
Jamblichus 270, 273, 274.
R. Jehoſcua 7, 308.
Jeſuitæ Colonienſes 18, 31.
Jeſus filius Sirachi 3.
Ignatius Antiochenus 9.
Ignatius Conſtantinopolitanus 120.
Illyrici 248.
Indi 461.
Innocentius III. Papa 149, 150, 409.
Innocentius IV. Papa 416.
R. Johanan ben Zaccai 4, 5, 308.
Johannes Aragoniæ Rex 172.
Johannes Aventinus 178.
Johannes à S. Andreâ 255.
Johannes Beleth 148.
Johannes Blackman 171.
Johannes II. Caſtellæ Rex 171.
Johannes Cantacuzenus Imp. 157.
Johannes Chryſoſtomus 33, &c. 102, 216, 217, 230, 231, 232, 234, 235, &c. 239, 241, 330, 331, 332.
Johannes Coletus 198.
Johannes Cuſpinianus 277.
Johannes Caſſianus 339, 340.
Johannes Climachus 348.
Johannes Chemnicenſis 449.
Johannes Damaſcenus 107, 108.
Johannes Fr. Picus Mirandula 174.
Johannes Gandavenſis 162.
Johannes Hiſpalenſis 108.
Johannes Huſſus 166.
Johannes Liechſtenſternius 371.
Johannes Molanus 191.
Johannes Neſtenta 49.
Johannes Oldcaſtle 159.
Johannes VIII. Papa 122, 373.
Johannes Purvey 166.
Johannes Rely 173.
Johannes Subprior 410.
Johannes Theodori 464.
Johannes Tinmuthenſis 350, 463.
Johannes Treviſa 157, 426, 427, 430, 438, 439.
Johannes Trithemius 174, 175, 197.
Johannes Thoresbeius, Archiepiſcopus Ebor 430, 431.

P p p *Johannes*

Johannes Wicleſus 159, 160, 161, 162, 424, &c. 432, &c.
Johannes Zonaras 208.
Jonathan Maccabæus 4.
Jonathan ben Uzziel 4, 5, 307, 308, 315, 316.
R. Joſe 5, 7, 316.
Joſephus 6, 309.
Irene Imperatrix 229.
Irenæus 12, 255.
Iſidorus Hiſpalenſis 94, 95, 96, 207, 411, 418.
Iſidorus Hiſpalenſis junior 349.
Iſidorus Peleuſiota 53.
Judæi 4, 6, 8, 204, 260, 307, &c.
Julius Firmicus 272, 273.
Julianus Apoſtata 269.
Julianus Hæreticus 268.
Julianus Toletanus 103.
Jus Canonicum 191, 206, 207, 208.
Jus Civile 203, 204, 205.
Juſtinianus Imp. 8, 203, 204.
Juſtinus Martyr 9, 10, 251, 317.
Ivo Carnotenſis 136, 359, &c. 394, 395.

K

*K*Ero 127.
Kilianus 103.

L

*L*Actantius 60, 254, 337.
Lanfrancus 393.
Laurentius Dunelmenſis 405, 406.
Laurentius Gulielmus de Savonâ 418, 419.
Leo I. Papa Romanus 87.
Leo Philoſophus Imp. 225.
Leonides Martyr 13.
R. Levi 7.
Lindanus 277.
Livinus 94.
Lovanienſes Theologi 454, 455.
Ludolphus 156.
Ludovicus IX. Galliæ Rex 152.
Ludovicus XI. Galliæ Rex 173.
Ludovicus Lateranenſis 276.
Ludovicus Pius Imp. 112, 113.
Lupus de Oliveto 167, 207.
Lyſis Pythagoricus 270, 271.

M

*M*Acrobius 272.
Macarius 23.
Maccabæi 4, 309.
Macrina 29, 30.
Maimonides 311.
Marcella 227, 228.
Marcoſii 257.
Marcus Epheſinus 444.
Marcus Eremita 55, 231.
Maronitæ 242, 244, 414, 460, 461.
Martinus Aſpilcueta 154.
Maurus 367.
Maximus Abbas 22, 102, 239, 349.
Maximus Taurinenſis 87, 88.
R. Meir 7.
Meſſaliani 257, 258.
Metenſes 149, 150, 151.
Methodius Sclavorum Apoſtolus 117, 118, 119, 120, 122, 221, 371, 372.
Michael Adam 175.
Moſcovitæ 246, 464.
Moſes Barcepha 210.

Mulieres

Mulieres SS. Scripturarum ſtudioſæ 227, 228, 229.
Muſæus 89.

N.

NEſulaman F. Azalkefati 463.
Neſtoriani 243, 461.
Nicetas 259.
Nicolaitæ 257.
Nicolaus Cabaſilas 155, 428.
Nicolaus de Clamengiis 439.
Nicolaus Lyranus 155.
Nicolaus Oremus 158.
Nicolaus I. Papa 119, 154, 365, 366, 369.
Nilus Abbas 334.
Notkerus Labeo 126, 127.
Novatianus 336.

O

OEcumenius 133.
Olavus Rex 133.
Olympiodorus 55.
Onkelus 5, 307, 308, 315.
Optatus 264, 337.
Ordo Romanus 207, 208, 359, &c.
Origenes 13, 14, 15, 16, 17, 52, 232, 268, 324, 325, 441.
Oſroeni 18.
Otfridus 120, 121, 369, 370.

P

PAmphilus Martyr 18.
Paſchalis I. Papa 366.
Paſchaſius Radbertus 368.
Paſtorale Saxonicum 458.
Paula & Euſtochium 73, 227.
Paulus II. Papa 172.
Paulus IV. Papa 188.
Paulus Vergerius 452, 453.
Paulinus Aquileienſis 84.
Paulinus Nolanus 84, 85, 232.
Pelagius 73, 265, 266, 267.
Petrus Abælardus 399, 400, 401.
Petrus Bleſenſis 144, 145.
Petrus Cantor Pariſienſis 411, 412, 413.
Petrus Comeſtor 353, 407.
Petrus Licetius 192.
Petrus Lombardus 144.
Petrus Victor Cajetanus 223.
Petrus Waldus 145, 146, 147.
Philo Carpathius 51.
Philo Judæus 5, 309, 310, 315.
Phariſæi 262, 263.
Pius IV. Papa 188, 197.
Placilla Auguſta 31, 225.
Polycarpus 9, 321.
Polydorus Virgilius 136, 450.
Porphyrius 273.
Poſnaniani 246.
Primaſius 72.
Procopius Martyr 327, 328.
Procopius Gazæus 51.
Proſper Rhegienſis 88, 89, 206, 266.
Protogenes 30, 31.
Pythagoras 270.

R

RAbanus Maurus 114, 115, 371.
Radulphus Flaviacenſis 137, 138, 139.
Radulphus de Rivo 162.
Reginaldus Peacock 171, 444, &c.

Regino 345, 376.
Remigius Antiſſiodorenſis 114.
Rhemenſes Angli 192, 277.
Richardus Armachanus 156, 429, 430.
Richardus de Dumellis 395, 396, 397.
Richardus Hampole 162, 163, 427, 428.
Richardus Erwinham 166.
Richardus Victorinus 142.
Robertus Betunè, Epiſcopus Herefordenſis 394.
Robertus Groſthead 165, 416, 417, 418.
Robertus Pullenus 402, 431.
Rogerus Bacon 420, 421, 422, 423, 424.
Romanus Cardinalis S. Angeli 416.
Rotbodus 145.
Rudolphus ab Emſ. 152.
Ruffinus 67, 68.
Rupertus Tuitienſis 139, 140.
Rutheni 246.

S

Saturninus Martyr 249.
Scillius 163, 165.
Sclavi 118, 119, 170, 246.
Scythæ 33.
Sedulius Hybernienſis 85, 86.
Servulus 92.
Simon Langham 432.
Simeon Theſſalonicenſis 440, 441, 442.
R. Simeon 5, 7.
Sixtus Senenſis 224.
Smaragdus 126.
Socrates 269.
Sozomenus 269.
Stephanus Eduenſis 148.
Stephanus Langton 353, 413, 414.
Syncletica 229.
Synodus
Anglicana ſub *Æthelbado* Rege 197.
Anglo-Saxonica Elfrici 129, 202.
Antiochena 193.
Aquiſgranenſis 201.
Arauſicana 456, 457.
Auguſtana 200.
Aurelianenſis 231, 362.
Baſileenſis 170.
Bracarenſis I. 237, 241.
Cabilonenſis II. 346, 408.
Carthaginenſis IV. 195.
Cloveſhovienſis 457.
Conſtantinopolitana I. 195.
Conſtantinopolitana ſub Menna 196.
Conſtantinopolitana VI. 197, 200.
Francofordienſis 459.
Hipponenſis 195.
Laodicena 241, 265.
Lateranenſis 202, 231, 410.
Mediolanenſis III. 191.
Moguntiaca 99, 201, 202, 231, 408, 458.
Nicæna I. 193.
Nicæna II. 199.
Oxonienſis 163, 164, 202, 447.
Pariſienſis 346.
Rhemenſis 199, 200, 457.
Saponarienſis 347.
Saxonica incertæ ætatis 457, 458.
In *Theodonis* villâ 100, 345, 346.
Toloſana 151, 152, 416.
Toletana IV. 196.
Turonenſis III. 99.
Valentina 195, 346.

Swencfel-

Swencfeldius 275, 276.
Syri 25, 148, 242, 243, 327, 328, 460, 461.

T

T Almud Judaicum 308.
Tatianus 11.
Tertullianus 59, 231, 255.
Teſtamentum XII. Patriarcharum 321, 322.
Thalaſſius 102.
Theodoretus 53, 54, 311, 333, 334.
Theodorus Antiochenus 52.
Theodorus Balſamon 148, 149.
Theodoſius junior Imp. 51, 52, 217.
Theodotus 258, 259.
Theodotion 308.
Theodulphus Aurelianenſis 200, 346, 458.
Theophilus Antiochenus 11, 321.
Theophylactus 132.
Theophanes Cerameus 390.
Thomas Aquinas 277, 418.
Thomas Cantipratenſis 419.
Thomas Arundel, Archiepiſcopus Ebor. poſtea Cant. 161, 162, 163, 166.
Thomas Boſius 192.
Thomas Gaſcoign 164.
Thomas Cajetanus 277, 449.
Thomas Moreſinus 271, 275.
Thomas Rudburn 467, 468.
Turci 261.
Turonenſis Eccleſia 65.
Tzerviani 246.

V

V *Alentini* 167, 175.
Venantius fortunatus 92, 342.
Victorinus Rhetor. 225, 226.
Victor Vitenſis 239.
Ulphilas 61, 62, 212, 213, 465.
Uratiſlaus Dux Boemiæ 135.

W

W *Alafridus Strabo* 116.
Waldenſes 145, 146, 147, 149, 150, 151, 153, 154.
Waldo Friſingenſis 124, 370.
Wenceſlaus Imperator 371.
Wilgis 103.
Willeramus 134, 370.
Wulſtanus, Epiſcopus Wigornienſis 394.

INDEX

INDEX

Verſionum S. Scripturæ Vernacularum, ante Reformationem factarum, quæ in hoc Opere memorantur.

Ægyptiaca *ſeu* Coptica
Antiqua 40, 53, 328, 462.
Aliæ 219, 462.

Æthiopica
Antiqua 40, 218, 461.
Aliæ 214, 218, 461.

Arabica
Johannis Hiſpalenſis 108.
Saadiæ Gaonis 219, 220, 318, 462.
Abuſaid Samaritani 320.
Aliorum 125, 147, 219, 220, 242, 318, 462, 463.

Armenica
Chryſoſtomi 33, 53, 216, 461.
Aliorum 155, 214, 216, 461.

Arabica
Antiochena 462.
Alexandrina 462.
Neſiulamani 463.

Anglicana
Veteris Interpretis 155, 424, 425, 426, 427.
Johannis Treviſæ 157, 426, 427, 468.
Johannis Wiclefi 159, 160, 424, 425, 426, 427, 435, 436, 468.
Richardi Hampole 163, 165, 427, 428.
Reginaldi Peacock 444, 445.
Aliorum 160, 164, 165, 180, &c. 436, 468.

Belgica
Jacobi Merland 165, 425.

Britannica 466.

Britonica 425.

Chaldaica
Jonathæ 5, 210, 315, 316.
Joſephi Cæci 210, 316.
Onkeli 5, 210, 315.
R. Akilæ 316.
Samaritanorum 319.
Aliorum 315, 316.

Dalmatica
Hieronymi 221.

Danica 388, 389.

Friſica

Friſica 213.

Gallica

Caroli V. Regis 158, 159.
Caroli Magni 111.
Caroli VIII. Regis 173.
Eadwini 390, 466.
Guarini Molinæi 463.
Johannis Rely 173.
Ludovici XI. Regis 173.
Metenſium 149.
Nicolai Oremi 158, 159.
Petri Roberti Olivetani 153.
Petri Waldi 145, 146, 147, 153.
Aliorum 222, 390, 438, 466.

Germanica

Caroli Magni 111, 112.
Frederici V. Imp. 371.
Johannis Liechſtenſternii 371.
Ludovici Pii 112, 113.
Michaelis Adam 175.
Notkeri Labeonis 126, 130.
Otfridi 120, 121, 369, 370.
Rudolphi ab Emſ. 152.
Waldonis Friſingenſis 124, 370.
Wenceſlai Imp. 371.
Willerami 134, 370.
Aliorum 127, 222, 371.

Gothica

Vlphilæ 61, 62, 63, 116, 212, 213, 214, 465.

Græca

Aquilæ 210, 251, 318, 463.
Heſychii 210, 338.
Luciani Martyris 210, 338.
Origenis 210, 251, 463.
Samaritanorum 319.
LXX. Interpretum 210, 316, 317, 463.
Sophronii 211.
Symmachi 210, 251, 318, 463.
Quintæ & Sextæ & Septimæ Editionis 210, 318, 463.
Theodotionis 210, 251, 318, 463.
Aliorum 317, 319.

Hibernica 156, 222.

Hiſpanica

Alfonſi Regis 154.
Alphonſi V. Aragoniæ Regis 172.
Johannis Aragoniæ Regis 172.
Aliorum 175, 319.
Johannis II. Caſtellæ Regis 171.
Valentinorum 167, 175.

Indica

Antiqua 40, 53.

Italica

Jacobi de Voragine 154.

Latina

Hieronymi 211, 463.
Veteres plures 211.

Libri

Job ex Syriaco à Moſe facta 15.

Moſcovitica 221, 464.

Perſica

Antiqua 40, 53, 463.
Jacobi Tarvaſi Pavonis 219, 319.
Aliorum 219, 463.

Sauroma-

Sauromatica 55.

Saxonica
Aldhelmi 103, 350.
Aldredi 465.
Alfredi Regis 123, 124, 157, 374, 390, 425, 438, 465.
Bedæ 107, 157, 165, 425, 438.
Cednomi 102, 349, 350, 438.
Eadfridi 105, 350, 355, 465.
Elfrici 128, 129, 379, &c. 387.
Ethelſtani Regis 125.
Færmenni & Oweni 466.
Guthlaci 104.
Aliorum 104, 129, 132, 350, 374, 380, 387, 466.

Scotica 222, 466.

Scythica
Antiqua 53, 116.

Sclavonica
Methodii & Cyrilli 118, 119, 221, 371, 372.

Suecica
Brigittæ 156.

Syriaca
Antiqua 58, 214, 215, 461.
Recentior 460.
Aliæ 147, 215, 216, 220.

Finis Indicum.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. D. H.

F. Alberti Mariæ Quiricoli

Digitized by Google

Digitized by Google